[illegible]: Neue Jahrbuch. für Philol. u. Pädag. von Seebode, Jahn u. Klotz. 1r B. 1 Heft 1832. S. 59–133.
von Klotz: Die Ausgabe gehört zu den wichtigsten und erfreulichsten Erscheinungen, die sich in neuerer
Zeit in der [illegible] Literatur gezeigt haben, da sie die Aufmerksamkeit aufs neue [illegible]
und gründlichen Untersuchungen und [illegible] hervorgehende Wahrheit
durch die mannigfaltigen [illegible] der [illegible] Kritik führt [illegible]
[illegible] über die [illegible] Überweisungen [illegible] Handschriften [illegible]
[illegible], mit d. grossem Aufwande von [illegible] und Gelehrsamkeit die [illegible]
[illegible] und [illegible]. [illegible], so hätten manche
[illegible] der [illegible] nicht so sehr das [illegible] dieser [illegible]
[illegible] Werks [illegible], als diese [illegible] einer einzigen [illegible]. Denn
obgleich der Herr [illegible] seine [illegible] auf die übrigen Schriften [illegible]
[illegible], hat er doch in den [illegible] fast unwillkürlich sich die
grössten Verdienste um die kritische Behandlung auch der übrigen Schriften [illegible]
[illegible]. Die kritische Behandlung des Textes ist der hauptsächlichste Glanz-
punkt dieser Ausgabe. Daß Hr. Wunder alle Varianten gegeben hat, [illegible] den
[illegible]: denn nur nach einer genauen und auf das Einzelnste eingehenden Vergleichung
sämtlicher Handschriften lässt sich mit Gewissheit über den Werth der Handschriften
[illegible], als über die [illegible] selbst [illegible], [illegible], daß sich [illegible]
[illegible] eine Handschrift [illegible], und der die übrigen alle [illegible]
[illegible] — Das ist [illegible] noch nicht geleistet worden, und [illegible]
und, auf welchem Hr. Wunder [illegible] die [illegible] Hilfsmittel, als sein
[illegible] und seine [illegible] Gelehrsamkeit [illegible]. Die Schuld liegt zum Theil in
[illegible] selbst, [illegible] [illegible] auf die [illegible]
der Handschriften [illegible] begründeten, [illegible] in der [illegible] und Zusammen-
hang der [illegible] selbst [illegible]. Am Schlusse: obgleich in [illegible] die
Ausgabe vieles geleistet, ist doch noch Manches zu wünschen übrig.

2391.

M. TULLI CICERONIS

ORATIO

PRO CN. PLANCIO

AD

OPTUMORUM CODICUM FIDEM

EMENDAUIT

ET

INTERPRETATIONIBUS TUM ALIORUM TUM SUIS

EXPLANAUIT

EDUARDUS WUNDERUS.

LIPSIAE
SUMPTIBUS C. H. F. HARTMANNI.

MDCCCXXX.

IOH. AUGUSTO. FÜRCHTEGOTT. A. GLOBIG

POTENTISSUMO. SAXONUM. REGI. A. CONSILIIS. INTUMIS. SENATUS. SACRI. ET. CONSISTORI. SUPREMI. IN SAXONIA. OLIM. PRAESIDI. ORDINIS. SAXONICI. UIRTUTIS. CIUICAE. PRAEFECTO. RELL. RELL.

ET

CAROLO. HENRICO. CONSTANTINO. AB. ENDE

CURIAE. PROUINCIALIS. SUPREMAE. PRAESIDI. CONSISTORI. LIPSIENSIS. DIRECTORI. DISCIPLINAE. PUBLICAE APUT. LIPSIENSIS. SUMMO. PRAEFECTO. ACADEMIAE. CURATORI. ET. SCHOLAE. REGIAE. GRIMENSIS INSPECTORI. ORDINIS. SAXONICI. UIRTUTIS. CIUICAE. PRAEFECTO. RELL. RELL.

UIRIS. PERINLUSTRIBUS. GENEROSISSUMIS. GRAUISSUMIS
EXCELLENTISSUMIS

PATRONIS. INDULGENTISSUMIS

HANC. M. TULLI. ORATIONIS. PLANCIANAE

EDITIONEM

ANIMI. SUI. GRATISSUMI. DOCUMENTUM. EXHIBITURUS

D. D. D.

EDUARDUS. WUNDERUS.

PRAEFATIO.

Quemadmodum multae M. Tulli orationes per Casp. Garatonium a mendis, quibus librariorum neglegentia uitiatae erant, optume purgatae sunt et ad pristinam formam propius adductae, ita haec etiam, quae pro Cn. Plancio habitast, plurumis in locis egregie emendatast. Quod quamquam Bauarici potissumum codicis ope factum esse constat, tamen ipse etiam Garatonius et ingeni sui sagacitate et doctrinae ubertate multorum locorum nunc uitia correxit praeclare nunc sententiam obscuriorem explanauit egregie. Eius autem editio Neapolitana et Curae secundae quom in Germania rarissumae essent, magnam aput philologos Germanos gratiam iniit Io. Casp. Orellius, qui anno huius saeculi uicensumo sexto hanc orationem cum integro uiri illius commentario denuo excudendam curauerit. Neque tamen is satis habuit, solum Garatoni commentarium iterum euolgare, set quae est eius doctrinae copia, de suo etiam addidit nonnullas adnotationes, selegitque ex scholiastae Ambrosiani reliquorumque interpretum recentiorum commentariis, quae ad intellegendam hanc orationem aliquid conferre uiderentur.

Nihilominus eam multis inquinatam corruptelis plurumisque in locis non recte explanatam quom uidissem, non modo quod iam septem abhinc annis recensendae eius consilium ceperam non abieci, set indefessum potius studium inde ab illo tempore in emendanda ea et explicanda consumpsi. Ac primum quidem uarietatem lectionum, quae a prioribus editoribus ex codicibus enotatae erant, Lambinum dico, Gruterum,

Graeuium, Lallemandum, et Garatonium, magna cum diligentia conligendam putaui et examinandam, ut singulorum codicum quae auctoritas esset penitus cognoscerem. In qua re eo plus exantlandum laboris erat et taedi, quo magis uariae illae lectiones adnotationibus quae dicuntur exegeticis sine ullo ordine inmixtae erant. Uehementer autem illos equidem reprehendendos editores iudico, qui non seorsim uariarum lectionum farraginem ponunt, set et eas et adnotationes reliquas unum in locum confundunt. Quo fit, ut qui uel uno in loco quae codicum scriptura sit cognoscere uelit, longissumam saepe adnotationem sine ullo fructu magnoque cum temporis dispendio legere cogatur. Hanc igitur lectionum uarietatem postquam ex commentariis illis diligentissume conlegeram, ut nullis admixtis adnotationibus in mea editione lectoribus facillume cognosci possent, id egi, ut qui praeterea in Europae bibliothecis restarent codices, quorum ope emendari posse haec oratio uideretur, sedulo in usum meum adhiberem. Atque quom Graeuium codices, quorum ei copia fuerat, neglegentissume inspexisse multis indiciis cognossem, ante omnia Erfurtensem librum, cuius secundum Bauaricum maxumum esset pretium, denuo conferendum putaui. Ex eius conlatione quantum lucri fecerim, libro de eo scripto iam intellectumst. Nec minus neglegens Graeuius in conmemoranda lectionum uarietate fuit, quas codex Dresdensis praebet, quem eundem ipse iterum cum editione Ernesti contuli, quamquam mirum quantum a praestantia libri Erfurtensis recedebat. Porro quom non inutile ducerem, codicem etiam Bauaricum, omnium praestantissumum, qui olim in coenobio Tegernseensi adseruabatur, postea uero Monachum translatus dicebatur, iterum conferre, precibus adii Krabingerum, bibliothecae Monacensis custodem eruditissumum, ut eius codicis inspiciundi mihi potestatem faceret. Qui uir quom rescripsisset mihi, numquam codicem illum Monachum esse delatum, set a Francogallis, dum Bauariam popularentur, aut ablatum aut deletum esse, insigni cum liberalitate alios quosdam, in quibus oratio Planciana extaret, codices non malos in bibliotheca Monacensi seruari addidit, quos si cuperem in usum meum se cum editione aliqua uolgata conlaturum promisit. Quin eo progressa uiri illius humanitas est, ut antequam respondissem, uarias lectiones, ex aliquot codicibus maxuma cum diligentia enotatas, humanissume mecum communicaret. Deinde quom in bibliotheca Laurentiana, quae Florentiam ornat, ex Bandini catalogo tris extare codi-

ces uetustiores intellexissem, eos quoque per Franciscum de Furia, uirum celeberrumum, conferendos cum editione Graeuiana curaui. In bibliotheca etiam Parisina ut codices quosdam non malae notae, ex quibus uerae scripturae erui possent, reconditos latere suspicarer, Lallemandus fecit, qui in notulis ad orationem Plancianam nonnumquam optumas lectiones, quae ex solo Erfurtensi enotatae erant, in codicibus Parisinis reperiri iactauerat. Itaque Schlottichius, popularis meus, qui Parisiis ante aliquot annos conmorabatur, per litteras a me rogatus trium codicum, qui alicuius preti esse uidebantur, conferendorum negotium promptissume in se recepit. Postremo Io. Casp. Orellius pro sua erga me beneuolentia uarias lectiones, quas L. Usterus, professor Bernensis, ex codice bibliothecae Bernensis accurate enotauerat, sua sponte ad me misit.

Omnis hos codices, quos modo conmemoraui, diligenter descriptos in prolegomenis reperies. Ibidem de origine eorum et cognatione a me expositum uidebis esse. Quae res quamquam non sine maxumo negotio indagari potest, ideoque a plerisque editoribus non solum neglegi, set etiam in inuidiam adduci solet, tantam tamen in emendandis ueterum scriptorum monumentis uim habet, ut neminem umquam laboris temporisque in ea re consumpti paenitere possit. Equidem quid lucri ex detecta codicum familia, quibus oratio Planciana seruata posteritatist, consecutus sim, non opus est ut uerbo hic praedicem exponamque, quom quisque, qui prolegomena et commentarium perlegerit, facile ipse cognoscere possit. Quid, quod ex ea re intellexisse mihi uideor, quotquot in Europae bibliothecis codices reconditi lateant, qui aut nondum inspecti aut neglegenter inspecti sint, eorum nullum esse eiusmodi, cuius ope uel unus orationis Plancianae locus etiamnunc emendari possit; — non loquor de palimpsestis, ex quibus, si qui reperiantur praeter eum, quem A. Maius detexit, non nego aliquot locis insperatam lucem adferri posse. Certissumis enim argumentis adductus sum, ut omnis, qui nondum usurpati sint, codices deteriori illi librorum classi, quos in prolegomenis L. I. C. I. §. 3. percensui, adnumerandos esse credam. Omnis enim contendo; ac iure me hoc contendere, confirmari ab iis poterit, quibus inspiciundorum eorum copiast; omnis igitur contendo lacuna illa deprauatos repertum iri, quae est in omnibus, qui adhuc consulti sunt, deterioris illius classis codicibus, qui C. V. §. 13.

haec uerba, *mihi sunt iudices parati; tribuni pl. permagni interest qui sint. Quare aut redde,* omittunt. Qui autem omittunt uerba illa, eos omnis ex codice perquam corrupto nec ualde uetusto originem duxisse, in prolegomenis planum feci. Atque ipsum illum codicem, qui parens extitit deterioris illius familiae, quom ibidem ex eo libro iam situ uitiato neglegenter descriptum esse docuerim, cuius nondum uitiati scripturae per Bauaricum et Erfurtensem diligenter nobis seruatae sunt: facile apparet, eo minus a nouis, qui deteriori illi familiae accensendi sint, codicibus expectandum esse auxili, quo magis ex cunctis illis, qui adhuc inspecti sunt, deterioribus codicibus hoc quidem intellegi potest atque adeo intellectumst, cuiusmodi scripturae in eo libro, quem deterioris familiae parentem dixi, extiterint. Hoc unum aliquid commodi haberet, si quis ipsum illum codicem, ex quo deteriores codices ortos modo monui, reperiret. Tum enim omnis illa lectionum uarietas, quae ex iis enotatast, abici posset. Nullus autem ex iis libris manu scriptis, quorum equidem notitiam habeo, pro fonte illo haberi potest.

Editionum antiquarum ut nullam in apparatu critico mentionem inicerem rationemque haberem, inde factumst, quod editiones illas omnis ex codicum istorum deteriorum fide recensitas intellexeram. Itaque satis est hoc loco monuisse, nullam in eis bonam ueramque lectionem reperiri, quae non ex codicibus, quorum lectionum discrepantiam congessi, enotata sit. Eoque minorem antiquae editiones quam codices illi aput criticum auctoritatem debent habere, quo magis a forma codicum, ex quibus ductae sunt, recedere mendisque, quae in codicibus, quos repraesentare putantur, erant, ex quibus solis cognatio codicum perspici potest, inmunes solent esse. Eam ob caussam non dubitaui omnem singulorum codicum discrepantiam scripturae adeoque manifestos amanuensium errores in apparatu critico adnotare. Certumst enim, uehementer falli lectorum iudicium debere, si bonae tantum speciosaeque scripturae ex singulis codicibus adlatae, errores contra ac menda librariorum silentio transmissa sint. Itaque derisi profecto eorum reprehensiones hominum doctorum, qui nuper mihi exprobrarunt, quod omnis scripturas etiam manifesto corruptas ex codice Erfurtensi enotarim enotatasque typis recudendas curarim. Quemadmodum enim de homine non licet uerum facere iudicium, cuius uirtutes noris, uitia ignores, ita codicis quod sit pretium, nisi

et genuinas et corruptas scripturas eius diligenter noris, minume perspectum habere poteris. Penitus autem cognitos habere codices apparet eum debere, qui quomodo cognati sint inter se perscrutari uelit.

De commentario, qui sequitur post orationem Tullianam, haec mihi praemonenda sunt. Recepi in eum omnia, quae ad inlustrandam orationem Plancianam facere uiderentur, siue ab aliis uiris doctis ante me monita, siue a me demum obseruata. Non nego quaedam breuius dici potuisse, maxume ea, quae a Garatonio scripta sunt, cuius uerbositatem minume probo. Uerum illius uiri, cuius maxuma aput homines doctos auctoritas est, adnotationes si in breuius contraxissem, in magnas multorum uirorum reprehensiones incidissem, qui nisi integras commentario meo insertas repperissent, aliarum etiam editionum, in quibus inmutatae sunt repetitae, usum sibi necessarium esse quererentur. Mihi autem id faciundum uidebatur, ut qui mea uterentur editione, reliquis carere omnibus possent. Itaque ne uerbum quidem eius a me omissumst praeter ea, quibus uariae codicum scripturae simpliciter referuntur. Quas quom in apparatu critico iam percensuissem, ineptus fuissem, si iterum in commentario Garatonium uerbosius eas conmemorantem introduxissem. Ex reliquorum interpretum recentiorum explanationibus, Manuti, Lambini, Gruteri, Graeui, Ernesti, Lallemandi, Weiski, Schutzi, et Orelli, eas recepi, quarum aliquis fructus esse posset. Optumum horum omnes sciunt interpretem Manutium esse, cuius plerasque adnotationes in commentario meo repetitas uidebis. Ac multos locos quamquam ipse non monitus ab aliis recte intellexeram, priorum tamen editorum interpretationes quam meas, quas breuiores fecissem, adposito eorum nomine commentario inserere malui, ne erga eos, qui ante me in explananda hac oratione elaborarant, ingratus reperirer eorumque memoriam et merita uoluisse oblitterare dicerer. Magna cum laude conmemorandus hic etiam I. Bakius Batauus est, qui in censura editionis Orellianae, quae in Bibliothecam Criticam Nouam Lugdunensem receptast Uol. III. p. 57 — 88., aliquot huius orationis locos optume tractauit.

Denique integris scholiis, quae ab A. Maio ex codice Ambrosiano et Uaticano eruta erant, in commentario meo locum dedi. Ac Uaticana scholia, quae anno demum uicensumo nono huius saeculi A. Maius Romae edidit, ab eodem scripta homine, qui

auctor Ambrosianorumst, ut inseri ei possent, factumst insigni Niebuhri, uiri uenerabilis, liberalitate, qui mihi quem ab auctore dono acceperat librum mutuum dedit, quom ex officina Romana nulla dum exemplaria, quom commentarius prelum iam exercere incepisset, ad bibliopolas Lipsiensis missa essent. Itaque uarias etiam scripturas, quas palimpsestus Uaticanus in uerbis Tullianis habet, non in apparatu critico, set in commentario demum adnotare coactus sum. Argumentum etiam orationis, in codice Uaticano seruatum, non potuit in commentarium, qui typis inprimi iam coeptus esset, recipi. Est illut his uerbis scriptum:

M. Tullius orationem luculentam L. Domitio et Appio[1]) Claudio cos. etiam pro hoc Cn. Plancio dixit, qui reus de sodaliciis petitus est lege licinia, quam M. Licinius Crassus Pompei magni collega in consulatu suo pertulit, ut seuerissime quaereretur in eos candidatos, qui sibi conciliassent, ea potissimum de causa ut per illos pecuniam tribulibus dispertirent, ac sibi mutuo eadem suffragationis emptae praesidia communicarent. Huic factioni coercendae legislator Crassus existimauit etiam genus iudicii multo periculosius comparandum, ut aput iudices editicios accusarentur, id est ut pro uoluntate accusatoris ederentur tribus, ex quibus unam tantummodo reicere posset reus; de reliquis autem iudices haberentur utique infestissimi causam dicentibus, utpote quos accusator ad uoluntatem suam praelegisset, edendo eas potissimum tribus quas reo minus aequas fore arbitraretur. Sed enim Cn. Plancio summa et religiosa cum M. Tullio familiaritas erat beneficiis non mediocribus copulata. Nam cum P. Clodii tribuni plebi inimici sui lege aqua et igni interdictus urbe cessisset et Macedoniam petisset, nullis opem ferentibus, qui clodianam potentiam grauiter extimescebant, prolixa benignitate et fide non minore quaestoris Cn. Plancii sustentatus est. Illo quippe anno sub L. Apuleio praetore

---

1) Tres primi coloriis ductibus scripti uersus perierunt. Supplementum autem meum spatio congruum faciendum curaui. A. Maius.

quaestura Plancius in Macedonia fungebatur. Diu igitur Thessalonicae fuit auxilio eius ab omni periculo insidiarum Cicero defensus. Dein postea restitutus inter ceteros et ipsi gratias egit iis orationibus, quarum alteram in contione, alteram uero habuit in senatu. Causa pendet ex aedilitatis petitione, in qua designatus est Plancius, repulsam ferente Iuuentio Laterense patriciae familiae, senatore, non minore facundia quam generis nobilitate praedito; qui nunc etiam reum de sodaliciis facit, inuidioso crimine et reis metuendo propter iudices editicios, de quorum condicione supra diximus. Principaliter quidem coniecturalis defensio est; uidelicet oratore nitente, Plancium non pecuniae largitione, sed integritate morum et rerum gestarum men*tione*

Apparet confirmari eo denuo, uera esse, quae de tempore, quo habita sit oratio Planciana, in prolegomenis exposui. Praeterea illut etiam eruto palimpsesto Uaticano patefactumst, non Asconium, ut A. Maius inperite iudicauerat, set alium quempiam scholiorum illorum auctorem esse. Intellexerat hoc simulatque edita erant quae in codice Ambrosiano extant scholia Niebuhrius, uir sagacissumus; probauitque euidentissumis argumentis nuperrume Maduigius in eximio libello, quem de Asconio Pediano scripsit. Neque tamen, quae uidetur Maduigi sententia esse, interpres ille quae ad historiam pertinentia adfert ex Asconi commentario deprompsisse statui potest: longe enim alia ad orationem Milonianam adnotauit quam quae ab Asconio scripta sunt. Quo etsi multost inferior, non pauca tamen protulit, quorum notitia ad intellegendos quosdam locos orationum Tullianarum egregie adiuuamur. Ac sunt in iis, quae mea sententia ab homine saeculi quarti post Christum natum nullo pacto scribi potuerunt. Non ausim tamen nunc decernere, utrum ex uetustioribus commentariis ea sumpserit, an aeuo antiquiore uixisse existumandus sit.

Restat, ut de antiquo orthographiae genere, quod et in orationem Tullianam reuocaui et in iis, quae ipse scripsi, secutus sum, pauca moneam. Quamquam enim praeuidebam fore, ut a multis reprehenderer, quod uolgarem repudiassem scriptionem, tamen considerate et recte agendo inuidiam mihi conflare, quam socordiam et consue-

tudinem malam sequendo multorum mihi laudem parere malui. Dubitari enim uix potest, quin qui uolgarem scriptionem probant uiam tritam persequi cumque aliis errare, quam nouam quaerere multumque in ea quaerenda operae laborisque consumere malint. Ego autem quom id agerem, ut hanc Tulli orationem Plancianam tum codicum ope tum meopte ingenio quantum fieri posset pristino nitori restituerem, uehementer mihi reprehendendus uiderer, si id retinuissem orthographiae genus, quod maxumam partem tum per indoctos saeculi quinti et sequentium grammaticos tum a stolidis librariis ortum intellexeram. Quod quom nulla omnino niteretur auctoritate, set usu tantum receptum esset uitioso, faciundum putaui, ut eam scriptionem, quae usurpata a Romanis Ciceronis aetate esset, sedulo restituerem. A qua re ne eo quidem deterreri me passus sum, quod nonnumquam obscurum erat, quae illo tempore in usu fuisset scriptio, ideoque, quod consuetudinem sequi malueram quam in nouom incidere errorem, eam scriptionem, quae serioribus saeculis usurpari coepit, retinui.

Non secus enim errant qui, nisi si omnino ueterem scriptionem restitutam uideant, uitiosam, quae in usust, retineri satius ducant, quam qui, nisi omnes corruptelae, quibus ueteris scriptoris opus adfectumst, remoueantur, nullam tollendam opinentur. Et quemadmodum non est ab ullo homine postulandum, ut in emendando explicandoque antiquitatis monumento ab omni errore inmunem se praestet, ita ne si uoluissem quidem Tullianam scriptionem iam nunc prorsus restituere, in ea ego sententia essem, ut id me consecutum arbitrarer. Hoc tamen a me perfectum iudico, ut multae scriptiones, quae ab Ciceronis consuetudine eorumque Romanorum, qui aequales eius fuerunt, abhorrebant, sustulerim, Tullianamque orationem certe propius ad eam formam, qua scripta ab auctore erat, adduxerim. Atque id quidem pro certo adfirmare audeo, quae nunc a me scriptiones introductae sint pro iis, quae in uolgatis editionibus, ut Ernestiana, obtinebant, eas ab ipso Cicerone eiusque aequalibus usurpatas esse; contra ea non nego relictas quasdam esse, quae incognitae, certe non usurpatae Tullio fuerint. Atque illas quidem, quas primus reuocaui, scriptiones iure a me reuocatas esse, argumentis conprobare in prolegomenis constitueram; uerum postquam longiorem eam rem requirere dissertationem intellexeram, quam quae recipi in prolegomena posset, singulari libro de tota orthographia latina, qui mox in lucem emittetur, exponere de-

creui. Itaque hic tantum breuiter conmemorabo uel potius lectorum oculis subiciam scriptiones, quae contra uolgarem consuetudinem partim inuitis, quibus oratio Planciana seruatast, codicibus, partim addicentibus a me restituta sunt. Quod eo magis necessarium, quom breuitatis caussa numquam in hac re quando a librorum manu scriptorum lectione recessi, lectorem in apparatu critico eius rei admonuerim; in quo ipso, ut hoc adiciam, consulto uolgari usus scriptione ubique uerba Tulliana adtuli.

Scripsi igitur *paenitere* pro *poenitere*, *defetigari* pro *defatigari*, *intellegere*, *neglegere*, *beneuolus*, *maleuolus* pro *intelligere*, etc.. Ac *defetigari* quidem et *neglegere* cum Bauarico restitui. Cum eodem accussatiuom numeri pluralis substantiuorum tertiae declinationis, quorum genitiuos pluralis in *ium* exit, constanter *is* scripsi, ut *omnis*, *partis*, *offerentis* etc..

O pro *E* posui in *uoster;* Bauaricus genitiuom tantum numeri pluralis pronominis *uos* scribit *uostrum.*

O pro *U* restitui in his: *auolsus*, *auos*, *nouom*, *saluom*, *uolgus*, *uolgaris*, *uolnus*, *uolt*, *uoltus.*

U pro *I* posui primum in superlatiuis, scripsique *maxumus*, *plurumus*, *proxumus*, etc.; eandem uocalem reuocaui in his: *finitumus*, *infumus*, *maritumus*, *existumare*, *lacrumae*, *lubet*, *lubenter*, *lubido.* *Lubet* et cognata recte sic scripta in Bauarico fuerunt.

U pro *O* restitui in his: *adulescens*, *adulescentia*, *adulescentulus.* Et sic in palimpsesto Ambrosiano scriptum.

Diphthongo usus sum pro uocali simplici ex Bauarici codicis auctoritate in *scaena* et *scaenicis.*

Dempsi contra alibi uocalis, scripsique *idem* pro *iidem*, *isdem* pro *iisdem*, *dis* pro *diis;* porro *obicere*, *reicere*, *subicere*, *conicere.* Pro *conicere* debebam tamen *coicere* potius scribere. Atque hanc quidem unam *i* litteram in his quae posui exemplis paene cuncti, quos usurpaui, codices constanter tuentur. *Obiicere* etc. in nullo umquam codice scriptum uidi. Porro genitiuom numeri singularis declinationis secundae in *ii* uolgo desinentem formaui *i*, scripsique *Planci* et similia. Saepe in hoc genitiuo ueterem orthographiam seruauit codex Erfurtensis; de Bauarici scriptione tacuit Garatonius.

Minume uero ablatiuom numeri pluralis eiusdem declinationis in unam *i* litteram terminaui, quod uiri quidam docti nuper fecerunt inperitissume. Denique *est* copulam cum uerbis praecedentibus, quae in uocalem exibant aut *m* litteram, eiecta *e* littera coniunxi plerumque; debebam coniungere ubique.

Porro *idcirco* et *quidquid* omnibus, quantum scio, codicibus addicentibus scripsi; contra non *quidquam*, set *quicquam* secundum Romanorum consuetudinem scripsi. Reuocaui etiam *C* pro *T* in nomine *condicionis*, et *T* pro *C* in nomine *contionis*.

Quae inaudita omnibus Romanorum auribus conpositio litterarum fuit, *quu*, licet frequentissuma sit nostris temporibus et usitatissuma, eam numquam tolerandam putaui. Itaque pro barbaro *aequum* scripsi cum Bauarico *aecum*, pro *iniquum* et *iniquus* dedi *inicum* et *inicus*. Neque umquam ullo in codice aut palimpsesto *quum* scriptum uidi, set aut *cum* uel *qum* aut *quom*. Fuit autem iam Tulli aetate et *cum* et *quom* in usu. Itaque *quom* scripsi, ubi codicum lectionibus eam formam a Tullio usurpatam fuisse admonebar; ceteris in locis *cum* retinui. In Mediceo codice P. Uergili quotiens ab altera manu *quom* mutatumst, non *quum*, set *cum* scriptumst. Aliquotiens tamen manus correctrix grammaticorum, quibus *o* littera maxume ingrata erat in hac forma, *qu* in *c* mutare omisit; quo factumst, ut licet rarissume tamen aliquando *quum* inuito correctore scriptum sit. Nonnumquam Romani *qu* litteras etiam *o* sequente in *c* mutarunt; quo pertinet *cotidie*, quam formam ubique fere Erfurtensis liber recte seruauit, nisi quod aliquotiens *cottidie* scripsit. Aput Catullum autem scribendumst *quotidianum* eo loco, ubi prima syllaba productast. Fecit enim accentus in syllaba antepenultuma aduerbi illius positus et correpta prima syllaba, ut diceretur pariter atque scriberetur *cotidie*.

Pro *C* reuocaui *S* ipsius Erfurtensis libri auctoritate in uerbo *suscensere;* de Bauarico tacuit Garatonius.

Pro *D* posui *T* in his uerbis: *aput, aliut, illut, haut, set.* Romani nec *d* nec *t* constanter in his posuerunt.

M seruaui ante *Qu*, ideoque scripsi *plerumque*, *umquam*, *nonnumquam*, *tamquam*, *quamquam*, *quemquam;* set ante *D* posui *N*, scripsique *eundem*, *eandem*, *quendam*, *quandam*.

Duplicatio consonantium factast a me in his exemplis: *caussa*, *accusso*, *recusso*, *nummus*, *immo*, *comminus*, *repperi* (bene distinguendum a *reperio*), *reccidi* (quam formam olim iam unice probauerat Buttmannus, set usurpare recussauerat, quod pronuntiatio aspera esset. At num quemquam pudet et scribere et dicere *accido?*), *querella*, *litterae*. Scripsissem etiam, si usus his uocabulis Tullius esset, *reppuli*, *rettuli*, et *loquella*.

Addidi consonantis in *totiens*, *quotiens*, consentientibus Bau., Erf., Dresdensi, et sine dubio aliis, in *septiens*, et *condempnare*, quae forma in Dresd. codice usurpata reperitur; dempsi in *paulo* et *uilicus*, de quo postremo uerbo suo loco dictum in commentariost.

In uerbis cum praepositionibus conpositis, quae nunc a uiris doctis miro arbitrio ab aliis aliter scribuntur, pessume autem ab iis, qui aut consequentiae, quam uocant, laudem sibi parere uolunt, aut eos grammaticos, qui *affari* pro *abfari* et *arripio* pro *abripio* scribi monent, tamquam optumos duces secuntur, in illis igitur uerbis scribendis eam iniui rationem, quam secutum Ciceronem esse euidentissumis argumentis certissumisque testimoniis probabo eo in libro, quem de orthographia latina paene iam confeci.

Scripsi igitur *afui*, non *abfui*, *afuturus*, non *abfuturus*; porro *adfui*, *adfinis*, *adfinitas*, *adgnoscere*, *adlicere*, *adligare*, *adpetere*, *adrogare*, *adsentire*, *adsequi*, *adsidere*, *adspergere*, *adstringere*, *adsuetus*, *adsumere*; contra non *adpellare*, non *adscendere* et *adscensus*, non *adspernari*, non *adspicere*, set *appellare*, *ascendere*, *ascensus*, *aspernari*, *aspicere*; porro *adtingere*, *adtrectare*, *adtulisse*. In quibusdam horum uerborum illut non diffiteor, fortassis *at* pro *ad* a Tullio scriptum fuisse; quemadmodum dubiumst, utrum ille *opstrictus*, *opsit*, *aps*, *opseruare*, *optrectare*, *suptilis*, *apstinens*, *apsterruit*, *optinere*, *optemperare*, *optestari* et sim., an *obstrictus* et sic porro scripserit. In his postremis a uolgari consuetudine non discedendum putaui.

Con et *In* praepositiones ante omnis consonantis puras seruaui, nisi quod *corrigere* et *corrumpere* scripsi: nam *conrigere* et *conrumpere* Ciceroni inaudita fuerunt.

Postremo *ecferuescere*, *ecfundere*, et *ecferre* scripsi, simillumoque modo *exilium*, *expectare*, *extare*, *extinguere*.

Non possum autem praefationi finem inponere, priusquam merita laude Ch. G. I. Laurentium, uirum clarissumum, ornarim, qui in corrigendis plagulis tantast usus cura ac diligentia, ut nullum omnino eius culpa operarum mendum relictum esse confirmare possim. Nihilominus si quae conmissa deprehendentur, aut mihi aut typothetarum neglegentiae tribuenda sunt. Quamquam equidem in iis, quae typis inpressa iam legi, nullum, quod alicuius momenti sit, mendum animaduerti. Ab eodem Laurentio confecti etiam indices sunt.

Scripsi Grimae a. d. IV. Calendas Maias. MDCCCXXX.

PROLEGOMENA.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

ENUMERANTUR CODICES, QUI AD EMENDANDAM ORATIONEM PLANCIANAM ADHIBITI SUNT.

§. 1.

Optumus et antiquissumus codex.

Ambrosianus (A). Codex est palimpsestus, qui e monasterio Bobiense in bibliothecam Ambrosianam uenit. Continet altera scriptura latinam concili Chalcedonensis interpretationem, prima, quam detexit A. Maius, partis deperditas Tullianarum orationum *in Clodium et Curionem*, *de aere alieno Milonis*, *de rege Alexandrino* cum antiquo interprete ad has orationes, aliasque quattuor editas *pro Archia*, *pro Sulla*, *pro Plancio*, et *in Uatinium*. In lucem haec A. Maius adiunctis aliis Tullianarum orationum partibus ineditis scholiisque item ineditis primum an. MDCCCXIV., iterum an. MDCCCXVII. Mediolani emisit. Eius codicis ueterem scripturam ille ad IV. aut V. saeculum pertinere statuit. Cfr. Praef. alter. non. edit. princ. p. 39. 42.. Continet autem nonnullos tantum orationis Plancianae locos, quos explanauit uetus ille interpres, quem Asconium Pedianum esse A. Maius existumat. Cfr. Praef. alt. p. 21 sqq.. De auctoritate et praestantia eius dictum Proleg. L. I. c. 2. §. 1. est.

§. 2.

Secunda familia codicum.

Bauaricus (B). Seruabatur olim in Tegernseensi Bauariae coenobio; nunc ubi extet, ignoratur. Cfr. Praef. meam. Contulit cum Theoph. Harlesius, qui uarias, quas inde enotauit, lectiones cum Garatonio communicauit. Monuit de eo Garatonius Oratt. Tull. T. VII. ed. Neap. 1786. Praef. p. VII. haec: „In eisdem Philippicis duos praeterea codices habui Barberinos XV. saeculi non magni faciendos; set accessit nuper subsidium haut mediocre Bauarici codicis a Th. Chr. Harlesio. Maxuma hic diligentia quidquid in eo codice, quem saeculo ineunte XII. scriptum repperit, ab Ernesti editione discrepat, adnotauit; munusque ad me gratissumum Erlanga misit. Quin etiam ad orationes in Catilinam aliasque nonnullas eiusdem uarietates libri pollicitus est animo liberalissumo; quas et expecto cupide et quo quaeque loco poterunt, euolgabo.“ Diu postquam Garatonius orationem Plancianam Neap. an. 1786. edi-

derat, accepit ab Harlesio codicis illius narietates ex orationibus Caeciniana, Sullana, Miloniana, et Planciana petitas. Atque lectionum narietatem, quae ad emendandam orationem Plancianam ex codice illo enotata erat, euolgauit Garatonius in libro, cuius titulus est: *Gasp. Garatoni ad M. T. Cic. or. pro Cn. Plancio ex optimo codice Bauarico Curae Secundae. Bononiae MDCCCXV. Ex typogr. Franceschia ad signum Columbae.* Conlatus est codex cum edit. Gronou. Lugd. Bat. 1692. „Primus eius codicis — Garatoni sunt uerba ad Cur. Sec. praefantis p. IX. X. — usus venit in Miloniana; semper cum optumis facere Bauaricum uidi; nihil tamen inerat singulare. Deinde antequam Roma discederem, ueritus ne Harlesi mihi schedae perirent, reliquas narietates raptim in margines editionis meae transtuli. In oratione pro Caecina praeclari nihil; pro Sulla praestantia conplusecula, quae, si umquam potero, proferam. Set quom accessi denique ad Plancianam, et uerba c. 5. deperdita ab optumo codice egregie restituta conspexi, tum uero unumquodque, tametsi properabam, considerare coepi, ratiocinari paululum, et breuissume, quid lucri fieret, adnotare. Cetera, quae sanantur, hic non enumero; dicam breui: nisi codex ille praestantissumus Erfurtensis conlatus fuisset antea, huic orationi, multis acceptis uolneribus aegrotanti, salutem Bauaricus plane dedisset.“

Erfurtensis (E). Descriptus hic codex diligenter a me est in Praef. libri, quo uariae lectiones, ex eo enotatae, omnes continentur, p. VII—XV. et p. LXXVII sq.. Eidem libro additum etiam specimen codicis illius lithographum est.

§. 3.

Tertia familia codicum.

A.

Diligenter conlati.

Monacensis primus (Ma). Seruatur in bibliotheca regia Monacensi, estque membranaceus, nro. 68., fol. min., litteris initialibus auro et picturis ornatis, elegantissume scriptus, constans 436 fol., saecul. XV. exaratus. Continet 33 orationes: 1.) pro leg. Man., 2.) pro Mil., 3.) pro Deiot., 4.) pro Marc., 5.) pro Lig., 6.) pro Arch., 7.) ante exil. suum, 8.) in Cat. I — IV., 9.) C. Sallust. in Cic., 10.) in C. Sall., 11.) ad Quir., 12.) post red., 13). in Uat., 14.) pro Arch., 15.) de prou. cons., 16.) pro Planc., 17.) pro Flacco, 18.) pro R. Quinctio, 19.) pro Cluent., 20.) pro Muraena, 21.) de har. resp., 22.) pro Coelio, 23.) pro Balbo, 24.) pro Sextio, 25.) pro dom. sua, 26.) pro Sylla, 27.) pro C. Rab., 28) pro Rab. perd. reo, 29.) pro Cecina, 30.) pro Rosc. Com., 31.) pro Rosc. Am., 32.) in L. Pis., 33.) de leg. agr. I — III.. Tituli maxuma ex parte desunt, loco uacuo pro illis relicto. — Haec ad me de codice hoc Krabingerus scripsit, qui meum in usum cum ed. Ern. contulit. — Insignis hic codex est ineptissuma orthographia, orta a stulto librario, qui cum antiquae orthographiae genus restituere uellet, similiter atque nostrae aetatis uiri quidam docti scripturas excudit, quas si uideret Cicero rideret. Eiusmodi sunt *adcusare*, *adcipere*, *obmittere*, et aliae. Praeterea in corruptelis haut paucis mire cum Le et H consentit. Exempla adlata sunt Lib. II. c. 1. §. 16. in nota.

Monacensis secundus (Mb). Eiusdem bibl. codex membr. Lat. c. figg. uro. 35*a* in fol. mai., olim Salisburgensis, figuris elegantissumis et litteris auratis uariegatisque exornatus, nitidissume scriptus, constans fol. 368., cum correct. marginalibus et interlinearibus, optume conseruatus, et saec. XV. scriptus. Continet 32 orationes: 1.) pro P. Quintio, 2.) pro Sexto Rosc. Am., 3.) de leg. Man. ad Quirites, 4.) pro A. Licinio poeta, 5.) pro M. Marc., 6.) pro Q. Lig. ad C. Caesarem, 7.) pro R. Dei., 8.) pro L. Flacco ad iudices, 9.) pro Cn. Plantio ad iudices, 10.) pro P. Sylla ad iud., 11.) in Uat. testem, 12.) de resp. Arusp.; 13.) de prou. cons., 14.) pro M. Celio, 15.) pro L. Corn. Balbo, 16.) pro P. Sestio, 17.) pro domo sua ad Pont., 18.) ad eq. Ro. pridie quam iret in exilium, 19.) ad sen. post red., 20.) pro se populo gratias agens, 21.) pro T. Annio Milone, 22.) pro A. Clu. Habito, 23.) pro L. Murena, 24.) de lege agr. liber primus, 25.) de l. agr. contra P. Rullum l. II., 26.) de l. agr. ad Quir. III., 27.) in L. Pis., 28.) pro A. Cecina, 29.) pro C. Rabirio posthumo, 30.) pro C. Rab. perduel-

lione, 31.) Sall. in Cic., 32.) in Salustium Ciceronis. — Hanc quoque huius cod. notitiam acceptam refero Krabingero meo, qui eum cd. Ern. cum contulit. — Melior hic cod. quam Ma est; habet enim nonnumquam cum paucis aliis genuinas scripturas. Alibi expertus tamen est manum interpolatricem, quae eadem in Uict. a deprehenditur, ut §. 64. *in maximis rebus*, §. 89. *ob illam constantiam*, et ibid. *Metellorum habitus est.*

Monacensis tertius (Mc). Ab Ang. Mar. Bandinio Carolo Theodoro, Comiti et Electori Palatino, Florentiae cum commoraretur, dono datus in bibliothecam Manhemianam, postea in Monacensem uenit, in qua nunc adseruatur, U. 94. insignitus. Chartaceus est, fol. 300 constans, et saec. XV. scriptus. Continet T. Liui Hist. libros decem priores, Baptistae Guarini et has Ciceronis orationes: 1.) pro Mil., 2.) pro magni Pompeii imperio, 3.) pro A. Lic. Archia poeta contra Grachum, 4.) pro M. Marc., 5.) pro Lig., 6.) Sallust. in Cic., 7.) Cic. in Crisp. Sall., 8.) pro Cn. Plancio. — Contulit hunc quoque codicem Krabingerus cum ed. Ernestiana. Orationem Plancianam ineptissumis interpolationibus foedatam continet. Uide ad §. 1. 5. 13. 44. 58. 68. 71. 74. 79. 83..

Copiae Uictorianae a (Uict. a) sunt lectiones uariantes e codice quodam ab Iacobo Diaectio, Petri Uictori amico, ut uidetur, enotatae et margini exemplaris Uictoriani editionis, quam Benedictus Hectoris Bononiensis anno 1499. Bononiae excudit, adscriptae, mecumque a Krabingero communicatae. Non sunt magni preti, saepenumero nihil nisi interpolationes librari cuiusdam docti. Sic §. 26. post *cedentem* inepte *tempori* addit; §. 61. pro lacuna, quae in libris familiae tertiae omnibus, qui non interpolati sunt, inter *T.* et *C. Mari* est, nomen *Gracchi* habet; §. 64. *in maximis rebus* scribit; §. 89. *tamen ob illam constantiam;* ibidem pro *iustissimos omnium Metellorum* scribit *iustissimus omnium Metellorum habitus est;* §. 100. pro *necessitudinem comparantem* habet *necis insidias comparatas.*

Copiae Uictorianae b (Uict. b) notulae sunt et correctiones ab ipso Petro Uictorio margini editionis Aldinae additae. Harum, quas idem ille Krabingerus mecum communicauit, usus maxume in commentario fuit, cum interpretationi potissumum inseruirent.

Laurentianus primus (La). Seruatur in bibliotheca Laurentiana, quae Florentiaest, plut. XLVIII. estque cod. XXV., descriptus a Bandinio T. II. p. 451 — 453.. — Quae scriptae sunt in hoc codice lectiones uariantes uel glossae super uerba in textu posita, eae a me breuitatis caussa semper glossarum (gl.) nomine insignitae sunt. Longe plurumae ineptissumae corruptelae sunt, quas plerasque in ipso textu codicis Oxoniensis *H* positas uidere licet. Uide quae in descriptione illius codicis exempla protuli. Praeterea tenendum, codicem hunc Laurentianum saepenumero in interpolationibus, quibus deprauatus est, aliisque mendis secum consentientem Oxoniensem ψ habere. Ita cum illo §. 9. *cedit precibus* post *cedit* addit *populus;* §. 27. *dixi, tegere* post *dixi* addit *me;* ibid. pro *ut illae* scribit *causae illae ut;* §. 68. *uenerit, hoc nomen* post *uenerit* addit *satisfacere.* — Denique monendum, errare Bandinium, qui primum hunc Laurentianum saeculo XIII. scriptum putat. Non posse prius quam saec. XV. scriptum censeri, recte uidetur Am. Peyron in M. Tulli Ciceronis Oratt. pro Scauro etc. fragmm. ined. p. 239. monuisse. Neque enim iure Bandini sententiam in Praef. ad uarr. lectt. ex cod. Erf. enot. p. XI. defendisse mihi uideor.

Laurentianus secundus (Lb). Eiusdem est bibliothecae, plut. LIII. cod. XII., descriptus a Bandinio T. II. p. 608 sq., qui saeculo XIV. scriptum eum dicit. — Aliquanto hic praestantior quam La, quod nonnumquam cum optumis codicibus, B et E, in scripturis genuinis consentit. Errabit autem, qui solius eius auctoritate ullum mutandum locum esse, recipiundaque uerba, quae solus nonnumquam addit, existumet. Expertus enim manum interpolatricemst. Ita §. 10. pro uolg. scriptura *ut fueris dignior* habet *at si fuisses dignior;* §. 11. *qui in hac tempestate populi iactemur* pro *populi* habet *pelagi;* §. 20. *quid ego de me, de fratre meo loquar* ante *de fratre* addit *quid;* §. 22. *legatione, testimonio* scribit *legatione testimonioque;* §. 33. *in Q. Scaeuolam* scribit *induant Q. Scaeuolam;* §. 54. *a Plancio tibi* ante *tibi* addit *Lemoniam;* §. 54. *indicas eum* cum aliis ante *eum* addit *an dicis;* §. 55. *recenti, nunc* ante *nunc* addit *neque enim;* §. 60 extr. post *consecuti* addit *sunt;* §. 61. lacunam, quae in codd. familiae tertiae omnibus est, *Didi* nomen non habentibus, sic expleuit, ut ineptum nomen *Manlii* poneret;

ibidem aliam lacunam, quae eadem in omnibus fam. tertiae codicibus fuit, *magistratus ceperint* omittentibus et tantum *magis* scribentibus, sic expleuit: *magis non ciues laude fuerint digni;* §. 62 extr. pro *ciuibus* habet *uiris ciuibus;* §. 91. *in hoc gratulor* post *hoc* addit *loco*.

Laurentianus tertius (Lc). Eiusdem est bibliothecae, plut. XLVIII. cod. XVIII., a Bandinio T. II. p. 443—445. descriptus, qui saec. XIV. a Francisco Petrarcha exaratum esse contendit. — Optumus uidetur Laurentianorum omniumque omnino familiae tertiae codicum, saepius quam quisquam reliquorum cum B et E in ueris scripturis solus consentiens. Sic §. 15. cum illis post *praetorio* recte *nomine* addit; ibidem *requiremus* habet; §. 31 extr. *si* ante *sordidissimus* seruauit; §. 60. *Etenim* pro *Est enim* habet; §. 64. *in maximis imperiis* scribit; §. 69. *quam quod pro Plancio* habet. Nonnumquam etiam, ubi mendosi B et E sunt, cum paucis aliis genuinam scripturam seruauit. Nihilominus haut raro miris corruptelis depranatus est, in quibus Ma et Oxoniensem H secum consentientis habet. Exempla adtuli Lib. II. c. 1. §. 16. in nota. In initio orationis saepe in textu habet scripturas corruptas, quae in La super genuinas lectiones positae sunt. Sic §. 2. La *extet* cum gl. *est*, Lc *est;* §. 4. La *dicerent* cum gl. *dicant*, Lc *dicant;* §. 10. La *ferendum* cum gl. *referendum*, Lc *referendum;* §. 13. La *quicumque* cum gl. *quinque*, Lc *quinque;* §. 19. La *nam* cum gl. *non*, Lc *non;* §. 35. La *perfaeetum* cum gl. *perfectum*, Lc *perfectum;* §. 45. La *modica* cum gl. *admodo*, Lc *admodo*. — Ceterum omnes tres Laurentiani a de la Furia cum editione Graeui Amstelod. an. MDCLXXXXVI. conlati sunt.

Parisinus primus (Pa). 7788, chartaceus, olim I. A. Thuani, postea Colbertinus, nunc biblioth. regiae Par., saec. XV. scriptus. Quauis pagina pluruma uerba temere omittit.

Parisinus secundus (Pb). 7784, membran., olim Colbertinus, nunc bibl. reg. Par., saec. XV. scriptus.

Parisinus tertius (Pc). 7780, membr., olim I. A. Thuani, postea Colbertinus, nunc bibl. reg. Par., saec. XV. scriptus. Pb et Pc in ineptissumis corruptelis mire consentiunt, ita ut ex uno eodemque libro descripti intellegantur. Hos tris codices Schlottichius cum edit. Lallem. contulit.

Dresdensis (D). Seruatur in bibl. regia Dresd., in quam uenit ex Wertheriana. „Cod. est membr., 129 fol. in fol., saec. XV. ineunte in Italia scriptus, litteris initialibus affabre pictis et auratis.“ Ebertus in: Gesch. und Beschreib. der kön. Biblioth. zu Dresden. Leipz. 1822. p. 265. Continet uiginti orationes, ab Eberto memoratas. Quamquam a Gothofredo Graeuio, senatore olim et syndico Lipsiense, in usum I. G. Graeui fratris conlatus iam erat, tamen ego denuo contuli cum ed. Ern., neglegentissumeque a Graeuio consultum intellexi. Continet glossas marginalis et interlinearis. Quae margini adscriptae sunt, eae ex Antoni Luschi in hanc orationem commentario satis inutili petitae maxumamque partem rhetorici argumenti sunt. Porro usque ad fol. 79., quo usque scholiis auctae sunt orationes, multae etiam a manu sec. in textu sunt factae mutationes, uerba erasa, eorumque in locum alia posita, toti uersus, ab librario omissi temere, adscripti, et uariae lectiones passim adnotatae.

Bernensis (O). Codex est bibliothecae Bernensis, num. 254. insignitus, et saeculo XV. scriptus. Conlatus est a L. Usterio, Professore Bernense, cum editione Orelliana Tullianorum operum omnium. Non maiorem hic habet auctoritatem quam Pb et Pc, quibuscum in multis corruptelis uehementer consentit.

Garatonianus (G). De quo refero quae monuit Garatonius in praef. ad Orr. Tull. ed. Neap. T. VII. p. VI.: „Is (Gualterius) etiam ex auctione Iordaniana Tullianas orationes fere duodecim, in membranis saec. XIV. conscriptas, mihi conparauit, quarum e numero uoluminis est huius extrema pro Plancio.“ Correctus est ad alium codicem, unde ortae sunt uarietates lectionum margini adscriptae.

Barberinus (Br). Usus est hoc codice Garatonius, qui tamen nihil de eo monuit, nisi XV. saeculo eum scriptum nec magni faciendum esse. Cfr. praef. eius ad Orr. Tull. T. VII. p. VII.. Mire consentit et in hac or., et in aliis cum Dresd., et Oxoniensibus C, T, χ 1, quibuscum u. c. in orat. post red. in sen. easdem habet lacunas. Idem uarietates habet margini adpositas, cui etiam saepe loci adscripti reperiuntur spurii, qui ab aliis librariis in textum sunt recepti. — Ceterum monendumst, non omnis lectiones, ex eo cod. a Garatonio enotatas, nobis esse seruatas. Saepe enim schedae, quas

miserat uir magnus Roma Neapolin, ut ibi typis excuderentur, a typographis partim mutilatae, partim perditae sunt; de qua re non raro Garatonius in Curis Sec. conqueritur.

Puccianus (Pucc.). Huius quoque codicis uarietates Garatonio debemus, qui petiit ex edit. Manutiana, cuius primum et alterum uolumen habuit uarietates et emendationes quasdam ex codice Francisci Pucci a Donato Iannoctio descriptas, ut monet Gar. Praef. ad T. VII. p. VI. et ad T. I. p. XV.. — Nec multae nec bonae scripturae ex hoc cod. prolatae sunt.

Oxonienses (Ox.). Eorum notitia petendast ex edit. Oxon. an. MDCCLXXXIII. T. I. p. 7—19., cuius editor contulit eos cum editione Oliueti. Nihilominus referam, quae lectorem nostrae editionis scire oportet, moneboque, in quibus editor Ox. errauerit. — Uariae lectiones, quae sunt enotatae ex codd., in quibus legitur or. Planciana, in extremo Uol. V. locum tenent. In eis nouem codices memorati inueniuntur, his litteris insigniti:

C, H, S, T, ϐ, ϛ, χ 1, 3, ψ.

Easdem litteras ego in apparatu critico meo retinui. Set ubi explicat editor Ox. notas conpendiarias, exponitque de singulis, quos usurpauit, codicibus, Uol. I. p. 8. in descriptione codicis *H* orationumque, quas continet, enumeratione non conmemoratast or. Planciana. Nullus autem cum praeterea conmemoretur codex, cuius littera existumari possit perperam cum hac confusa esse, aut editoris statuendumst aut typographi errore nomen nostrae orationis omissum esse. Porro tenendum, nomine *Ox.* codicum, quo usus sum quotiens consentiunt, usque ad c. IX. §. 24. omnis significari, ab isto autem inde loco octo tantum eorum, cum cod. ϐ tantum eo usque conlatus sit. Iam quae de singulis monenda restant, partim ex ed. Ox. referam, partim ipse addam, errores editoris Ox. correcturus.

C. codex ms. chartaceus, an. 1450. pulchra manu scriptus, inter codd. Laudinos, H. 58.. Haec ed. Ox. Uol. I. p. 7.. Continet 35 orr., ab ed. Ox. enumeratas. Librarius huius cod. homo latinae linguae fuit inperitissumus, pluruma uerba et corrumpens mire et omittens. Uehementer consentit in prauis lectionibus cum Dresd., quo tamen multo etiam deterior est.

H. codex K. Digbaei, in membr. pulcherrume scriptus, num. 231.. Haec ed. Ox. p. 8.. Continet 32 orr., ab ed. Ox. memoratas. In multis, quas habet, corruptelis saepe mire cum Ma et Le consentit; exempla adlata sunt infra Lib. II. c. I. §. 16. in nota. Praeterea animaduertendum, saepissume ineptas corruptelas, quae in La tamquam uariae lectiones a manu secunda super uerba Tulliana scriptae deprehenduntur, ab eo, qui H codicem exarauit, in textum receptas esse. Sic §. 2. La *beneficii* habet cum glossa *beneficiorum*, H *beneficiorum*; §. 8. La *exilio* cum gl. *auxilio*, H *auxilio*; §. 19. La *facile* cum gl. *facere*, H *facere*; §. 30. La *raptam* cum gl. *raptum*, H *raptum*; ibid. La pro *mimulam* habet *Miniolam* cum gl. *in molam*, H *in molam*; §. 31. La *reperiatur* cum gl. *obiciatur*, H *obiiciatur*; ibid. La *dubitetis* cum gl. *non*, H *non dubitetis*; §. 35. La *lacessitus* cum gl. *lacessendi*, H *lacessendi*; §. 43. La *et mea* cum gl. *et sua*, H *et sua*; §. 45. La *tribulum* cum gl. *tribuum*, H *tribuum*; §. 47 extr. La *contulisti* cum gl. *detulisti*, H *detulisti*; §. 48. La *urgeo* cum gl. *rogo*, H *rogo*; §. 49. La *auctoritate* cum gl. *constantia*, H *constantia*; §. 50. La *prolatis* cum gl. *collatis*, H *collatis*; §. 57. La *emittitur* cum gl. *enotatur*, H *enotatur*; §. 68. La *conturbare* cum gl. *contribuere*, H *contribuere*; §. 84. La *spectanda* cum gl. *expetenda*, H *expetenda*; §. 89 extr. La *nominarer* cum gl. *nominaretur*, H *nominaretur*; §. 91. La *in* cum gl. *etiam*, H *etiam*; §. 93. La *quaerunt* cum gl. *quaerit*, H *quaerit*; §. 100. La *coniuratis* cum gl. *coniurationis*, H *coniurationis*; §. 101. La *omnia* cum gl. *et*, H *et omnia*. Quibus ex locis, quam stulti fuerint homines, qui saeculo XV. codices exararunt, abunde patet. Neque tamen silentio praetereundum, duobus in locis H optumas lectiones solum cum B et E habere, §. 84. *defenderem*, et §. 86. *exercitu* scribentem. Uerum non dubito punctum temporis, quin utroque loco aut felici errore aut correctoris manu in H uera scriptura restituta sit.

S. uolumen in fol. pluris orr. continens, in bibl. Lincolniensis Coll., in membr. nitide scriptus (num. 13. in Coll.). Haec nihilque amplius ed. Ox. p. 9.. Optumus uidetur inter Ox., quamquam semper fere uerba insiticia, quae alii codd. recte omittunt, habet.

T. uolumen chartac. eleganter scriptum, plurumas orr. continens in bibl. Coll. Linc. (num. 14. in Coll.). Haec nihilque amplius ed. Ox. p. 9.. Multa uerba saepe temere omittit, scribitque fere semper *Laterenensis* pro *Laterensis*, quam solam eius discrepantiam scripturae non adnotandam putaui.

ε R. 144. codex chartac. fol., non nimis diligenter scriptus ante annos paulo plus CCC. Continet orr. 5, pro Marc., pro Deiot., pro lege Man., pro Mil., et pro Cn. Plancio, huius autem postremae pauca desunt. Haec nec quicquam amplius ed. Ox. p. 12.. — Codex omnium est pessumus, nullaque re nisi corruptelis et uerborum omissionibus excellit. Neglegentiae autem quam maxume accussandus est ed. Ox., qui quaenam desint in hoc codice, lectores non monuerit. Commemoratur ex eo lectionis uarietas tantum usque ad c. IX. §. 24., ubi pro *honore* habere *honorem* dicitur. In reliqua orationis parte utrum consenserit ubique cum Olineti textu, quocum conlati còdd. Ox. sunt, an prorsus non conlatus sit, an denique defecerit, ab ed. Ox. non edocemur. Consensisse ubique cum Olineti textu statui nullo pacto potest. Argumentis, quae euidentissuma adferre possum, in re plana nihil opus est. Itaque reliqua aut omisit, aut, quod ego credo, indignus est habitus ab ed. Ox., qui in reliquis conferretur, cum nihil boni ex eo enotatum esset in priore or. parte. Garatonius, qui ad eam rem non aduertisset, commemorauit codicem usque ad c. 34., ubi primum incredibile ei uisum, legi in eo codice, quod reliqui praeter B et E omnes omittunt, uerbum *discipulo*. Hinc a c. 9. usque ad c. 34. saepe errauit uir summus, qui codici lectiones adtribuerit, quas quouis pignore in eo non legi contendo, si, quod nescimus, istam or. partem seruauit. A Garatonio in errorem se abduci passus Orellius est.

ϛ R. 145. codex membr. fol. nitide atque accurate scriptus ante annos circiter CCCL. Haec ed. Ox. p. 12.. Continet praeter Plancianam 11 alias orr., ab ed. Ox. memoratas. Idem de hoc cod. valet, quod de codd. C, H, et Dresd. dictum.

χ 1, 3. N. codex membr. fol. Coll. Nou. in Catal. Bodl. 1213. Continet orr. 37., quarum duae (pro Deiot. et in Cat. 2.) bis leguntur. Prior locus designatur χ 1, alter χ 3; et cum eandem uterque lectionem exhibet, χ 1, 3. Nitide scribitur, atque, ut plurumum, satis diligenter. Annorum circiter CCC. Haec ed. Ox. p. 15.. — Similis neglegentiae, cuius arguimus edit. Ox. ad cod. H, denuo hic incussandus est. Patet enim ex uerbis eius, semel tantum in hoc codice or. Plancianam scriptam legi. Nihilominus cum in uariis lectionibus saepissume χ 1 et χ 3, et χ 1, 3 commemorentur, ipsaeque notae χ 1, 3 praepositae sint uariarum lectionum syllogae, necessario statuendumst, nostram etiam or. in isto codice bis legi, set editorem id adnotare oblitum esse. Praeterea saepe etiam ed. Ox. in uarr. lectt. sola nota χ usus est, ut nesciamus, uter locus indicetur. In meo apparatu critico ne numerus meo errore omissus putaretur, semper parentheseos signis *sic* addidi. Huius etiam cod. non maior quam antecedentis praestantia.

ψ, B. codex Ms. in bibl. Coll. Balliolensis Oxoniae ex quinque constat uoluminibus in fol. et continet multo maiorem partem Ciceronis operum cum quibusdam, quae supposita habentur. Hicce codex est membr., pulcherrume descriptus, et plurium scriptorum manus exhibet, quarum omnes lectu sunt facillumae. Non autem omnino iniuria uacat. Nam in paucis locis paginae totae desiderantur, et conplures turpiter mutilatae sunt, litteris initialibus operum aliquorum inauratis, cum marginibus earum splendidis, excisis. — Haec ed. Ox. p. 16.. Addo quae idem p. 17. de primo uolumine monuit: „Hoc uol. uoces quamplurumas, sententias, et nonnumquam etiam paginarum maiores partis, quae in textu omissae fuerunt, in marginibus supplet; quin et lectiones uarias exhibet, ubi alia in textu, alia in margine reperitur. Denique ubi textus pars aliqua deest, codex Ball. spatium uacuum linquendo, quanta sit, definire uidetur, et simul codicis cuiusdam auctoritatem adlegat (si modo unus sit codex, non plures) quem nunc *antiquum*, nunc *antiquissimum*, aut *uetustissimum* appellat; nusquam uero titulum eius indicat.“

B.

Neglegenter conlati.

Lambiniani (Lambb.). Neque de numero, neque de pretio codicum, quibus ad hanc or. emendandam Dionysius Lambinus usus est, quicquam nobis traditumst. Monuit tantum uir ille magnus in dedicatione ad Erricum Memmium, se *plūribus* in emendando Cicerone usum codicibus esse, quorum magnam partem ex Memmi bibliotheca nactus esset. In notis ad or. Plancianam hi tantum codd. nonnumquam memorantur:

Clericanus (Cler.) et
Memmiani (Memm.).

Quot fuerint codices Memmiani, prorsus ignoramus. Plerumque uero ne nomine quidem codices memorantur, set simpliciter liber ms. hanc uel illam lectionem habere dicitur. Praeterea paucissumis in locis cum uarietates ex iis enotatae indicataeque sint, difficile uidetur, quo pretio sint, dicere. At ex eo, quod Lambinus multos locos non correxit, qui uel Oxoniensium auctoritate emendari potuerunt, nulloque in loco notarum, quas ad hanc or. scripsit, codices suos praestantis dicit, id quod sine dubio fecisset, si magni esse preti cognosset, certissume intellegitur, uehementer errare Garatonium, qui in Cur. Sec. c. 6. ad uerba *diribitio* et *si dicerem* bonos adeoque egregios codices Lambinum usurpasse dicit. Omnino nullo loco bonam illi lectionem praebuerunt, quae non in aliquot Ox. reperta sit, contra nonnumquam manifesto mendosas, quae in illis non sunt repertae. Ipse autem Lambinus quas quibusdam in locis proposuit emendationes, optumis postea confirmatas codicibus, eas ex suis hausisse libris mss. nullo modo existumandus est.

Ursinianus (Urs.). Hoc nomen adposui scripturis, quas Fuluius Ursinus tamquam codicum scripturas adfert. Nam dubium sane est, num reuera in aliquo codice omnes istae scripturae extiterint, quas in antiquo libro hic illic Ursinus legi ait. Orellius omnino negat Ursinum codicibus usum esse, in not. ad or. Planc. ed. 1825. c. 25. p. 144. dicens: „nusquam opinor nisi in Ursini cerebro exstitit codex ille.“ At hoc et inconsiderate dictum et maligne. Mendacem enim hominem ut Ursinum putemus fuisse, nulla idonea caussa adducimur. Accedit, quod nonnullae ab eo memorantur scripturae, quas et confirmatas aliorum postea codicum auctoritate uidemus, nec fingere quisquam suopte ingenio potuit. Sic c. 16. quod pro uera optumorum librorum scriptura: *nam Maeciam non quae iudicaret, sed quae reiceretur, esse uoluisti* in manuscripto quodam libro legi refert: *nam tres, non quae iudicarent, sed quae reiicerentur esse uoluisti*, idem in Ma, Mb, et Lc scriptum extat. Nec minus ab omni probabilitate abhorret, quemquam c. 25. fingere potuisse, nomen *Metelli* non legi in codice, quod dicit Ursinus. Omittunt autem reuera omnes codices, qui postea conlati sunt. Porro adfert nonnumquam ex codice aliquo eiusmodi scripturas, quas ne probat quidem, licet genuinas esse nos nunc sciamus. Sic c. 34. pro *in locos*, quae uolgata olim scriptura fuit, in perantiquo libro scribi *in ludos* simpliciter refert. Atqui haec et unice uera scripturast et praestantissumorum codd. auctoritate nunc confirmata. Nihilominus ipse hoc contendo, aliquot scripturas, quae ab Ursino in codice quodam legi dicantur, reuera numquam ullo in libro scriptas extitisse, set margini editionis cuiusdam adscriptas temere ab eo pro codicum scripturis esse habitas, cum uiri cuiusdam docti coniecturae essent. Quae sententia uel eo probatur, quod Ursinum plerasque lectiones, quas adfert, non ipsum ex codicibus enotasse, set ab aliis in codicibus legi conperisse, cum ex plurumis eius notis certo intellegimus, tum maxume ex eo, quod semel ad c. 5. *idem mihi* ipsum librum se uidisse ait, in quo *id da mihi* scriptum extiterit, dicens: „In neteri tamen libro, quem ipse uidi, pro *idem mihi* scriptum est *id da mihi*.“

Gruteriani (Grutt.). Quo nomine significo codices, quorum uarietates Gruterus in notis ad hanc or. conmemorauit. Sunt autem:

Palatini (Pall.)
Gruterianus (Grut.) et
S. Uictoris codex (Uict.).

Ualde neglegenter hos codices consultos esse, uel ex ipsa Gruteri praefatione patet, in qua dicit se ultra ducentos habuisse codices Palatinos, set propter temporis angustias omnis conferre non potuisse. Quot Palatini continuerint hanc orationem, nescimus. Decem memorantur ad c. 33. §. 82.. Ex lectionibus a Grutero memoratis satis superque intellegitur, Oxoniensis his codicibus neque uetustate neque praestantia cedere.

Graeuiani (Graeuu.) hi sunt:

Francianus primus (F 1)
Francianus secundus (F 2)
Pithoeanus (Pith.).

Primum et secundum Graeuius ipse contulit, qui accepisse se a Petro Francio in praef. p. 2. dicit.

„*Primus* (ibid. refert Graeuius) nitide descriptus in membranis, in quo Ciceronis omnes orationes leguntur, non quidem ueterrumus, set tamen magni faciendus. Is sane mihi multum etiam profuit."

„*Secundus* fuit chartaceus codex recentior, set non spernendus, in quo habentur orationes pro lege Manilia, pro Milone, ac nonnullae aliae."

Pithoeani nomine intellegendae sunt lectionum uarietates, quas Petrus Pithoeus ex priscis membranis enotauerat et margini edit. Lambinianae adscripserat. Eam editionem nactus erat Graeuius.

Lallemandi (Lallem.). Sic codices Parisini dicti sunt, quos Nicolaus Lallemandus contulit, qui T. III. opp. Tull. ed. Paris. MDCCLXVIII. „in orationibus, inquit, recensendis codices excussimus, et praesertim, qui e Colbertina bibliotheca in Regiam olim transierunt; in quibus orationes ita descriptae sunt, ut in singulas duo trisue codices, aliquando etiam pluris consulere liceat. Horum mentio frequens erit in his notulis, quas ad nonnullam, si fieri possit, Ciceroniani textus emendationem instituimus." Denuo ignoramus, quot codices ad or. Plancianam a Lallemando conlati sint, qui in notis nonnumquam unum uel duo de suis hanc uel illam lectionem habere monuerit. Fortasse eosdem ille codices consuluit, qui nunc a Schlottichio in usum meum conlati sunt. Maioris certe preti non fuisse, manifestumst. Nec sicubi ab illis dissentire uidentur, propterea diuersi fuisse iudicandi sunt, cum Lallemandum et neglegentissume codicibus suis usum esse, et hominem magniloquum mendacemque fuisse, certissumis argumentis demonstrari possit.

CAP. II.

DE CODICUM ENUMERATORUM ORIGINE ET FAMILIA.

§. 1.

Cuncti codices, excepto Ambrosiano, ex uno eodemque libro, qui corruptus iam et interpolatus nec antiquior, ut uidetur, Ambrosiano erat, originem duxerunt. Efficitur hoc manifesto ex aliquot corruptelis, quae omnibus istis codicibus communes sunt, nunc demum libri Ambrosiani auctoritate emendatae. Ita omnes codices c. X. §. 26. corrupte *ciuili errore* scribunt, pro quo solus Ambrosianus ueram scripturam *ciuili ferro* seruauit. Nam quod duo libri, Urs. et Pal. septumus, habent *cruore*, id ex *errore* demum ortum esse, apertumst. Simul autem adtendendumst, cum librarium, qui pro genuina scriptura *FERRO* posuerit *ERRORE*, corrigendi munus sibi adrogasse. Nam cum aut *ERRO* scriptum repperisset, aut ipse litteram *F* propter sequentem *E* simillumam neglexisset, maluisse aliquid scribere, quod sensui quodammodo conuenire uideretur, quam corrupta uerba *ex ciuili erro* retinere intellegitur. Porro idem illi codices ad unum omnes c. XXXIV. §. 83. uitiose scribunt *ex illo ambitu traxisse*, pro quibus uerbis unus Ambrosianus iterum recte haec habet: *exilio ambitum sanxisse;* quo modo ante repertum Ambrosianum Garatonius iam Ciceronem scripsisse acute diuinauerat. Ambrosianus igitur palimpsestus quemadmodum antiquior est reliquis codicibus omnibus, ita ex meliore etiam et integriore fonte fluxisse intellegitur.

§. 2.

Sequitur, ut reliqui codices quomodo cum exemplari isto, ex quo cuncti originem duxerunt, cognati fuerint, eruere studeamus.

Ac primum quidem certissume demonstrari potest, exemplar illut, qui fons omnium, qui seruati sunt, codicum extitit *), a duobus descriptum esse librariis, quorum alter diligenter, alter neglegenter munus describendi executus sit. Ex his duobus, qui ex exemplari illo descripti erant, codicibus orti omnes libri manu scripti sunt, quos C. I. §. 2. 3. enumerauimus; idque ita, ut ex diligenter scripto Bauaricus et Erfurtensis, ex neglegenter scripto reliqui omnes libri originem duxerint.

Bauarico et Erfurtensi communem fontem et quidem alium atque reliquis codicibus fuisse, inde certo intellegitur, quod Bauaricus et Erfurtensis mire et inter se consentiunt et a reliquis libris dissentiunt. Ex meliore autem fonte utrumque librum quam reliquos esse ortos, ipsae illae, quas praebent, scripturae discrepantes demonstrant, quas plerasque genuinas esse et locorum sententia et uetustissumi palimpsesti Ambrosiani auctoritate docemur. Quod ut omnes intellegerent, adposui ipsos illos locos, in quibus B et E alias quam reliqui libri scripturas offerunt.

C. I. §. 2. *qui me ipsi maxime saluum;* reliqui inepte *ipsum.*

Ibidem. *hominem studiosissimum et dignitatis et salutis meae;* reliqui partim *dignissimum,* partim *diligentissimum.*

C. I. §. 3. *neque adrogo iudices;* reliqui *iudices neque adrogo.*

Ibidem. *consecutum putem;* reliqui *consecuturum putem.*

C. IV. §. 9. *quantum ego a te dissentiam;* reliqui omittunt *ego.*

Ibidem. *denique etiamsi iudicat;* reliqui *si.*

C. IV. §. 10. *de quo ipso tecum ita contendam;* reliqui *de quo ita tecum contendam.*

Ibidem. *quam quid cuique a re p. debeatur;* reliqui *uideatur deberi.*

C. IV. §. 11. *nostrum est autem, nostrum, qui;* reliqui repetitum *nostrum* omittunt.

C. V. §. 12. *meum beneficium ad eum potius detuli;* reliqui *potius ad eum.*

Ibidem. *semper sibi supplicari; se;* reliqui et *sibi* et *se* omittunt, et pro *supplicari* partim *placuisse,* partim *supplicari noluisse* habent.

C. V. §. 13. *cum te non uidebam;* reliqui *certe non uidebam.*

Ibidem. *populus Romanus ad ea te tempora;* reliqui *res publica* etc..

Ibidem. *Aediles quicumque erunt, idem mihi sunt iudices parati; tribuni plebis permagni interest qui sint. Quare aut redde mihi, quod ostenderas;* reliqui *mihi sunt — redde* omittunt, ideoque scribunt: *Aediles quicumque erunt, idem mihi, quod ostenderas.*

C. VI. §. 14. *uidero, dicam;* reliqui partim *uideo dicam,* partim *uideo, quid dicam.*

C. VI. §. 15. *tamen nos impetu studiorum;* reliqui partim *tanto* etc., partim *in tanto* etc..

C. VI. §. 16. *tu id in iudicio ut fiat exprimis;* reliqui *ut fiat* omittunt.

Ibidem. *quod mihi esset grauissimum si dicerem;* reliqui *sic dicere.*

C. VII. §. 17. *qui semper patuerit hominibus ortis hoc nostro equestri loco;* reliqui *ortis* omittunt.

Ibidem. *ad causam aliquando crimenque deducere;* reliqui *aliquando* omittunt.

Ibidem. *cur huic potissimum;* reliqui *cur tu huic potissimum.*

C. VIII. §. 19. *uehementius suorum municipum;* reliqui *hospitum suorum* uel *hospitium suorum,* nisi quod Urs. *hominum suorum* scribere dicitur.

C. VIII. §. 21. *Nostra municipia;* reliqui *Iam municipia.*

C. IX. §. 22. *non fucosa, non fallax;* reliqui *non fucata, non fallax.*

Ibidem. *Tractus ille;* reliqui partim *totus ille,* partim *totus ille tractus.*

---

*) Breuitatis caussa in sequentibus codicem illum, qui fons omnium familiae secundae et tertiae extitit, *principem* appellaui.

C. IX. §. 23. *qui carnem Latinis petant, reperiuntur;* reliqui *inueniuntur.* Cum B et E consentit Ambrosianus.

Ibidem. *huic obesse etiam;* reliqui *etiam huic obesse.* Cum B et E facit Ambrosianus.

C. IX. §. 24. *uel quod huius;* reliqui *uel quia huius.*

C. X. §. 24. *Appellaui populum tributim, submisi me;* reliqui pro *tributim* partim *tribuum*, partim *tribunus*, partim *tribubus*, partim *tribulus* habent.

C. X. §. 25. *custodi salutis meae;* reliqui *custodi meo.*

C. X. §. 26. *cui nomen meum absentis honori fuisset;* reliqui *absentis* omittunt.

Ibidem. *terram eam, quam seruarat;* reliqui *seruauerat.*

C. XI. §. 27. *Uitia mehercule Cn. Plancii res eae;* reliqui *Uitia mehercule res hae Cn. Plancii.*

C. XI. §. 28. *legationem suam et mandata;* reliqui *legationem et mandata sua.*

C. XII. §. 29. *neque enim multo secus est parens liberis;* reliqui *est* omittunt.

Ibidem. *cum uidetis luctus societatem;* reliqui pro *uidetis* scribunt *uideatis.*

C. XII. §. 30. *generis dico et nominis;* reliqui *generis et nominis dico.*

Ibidem. *quod dicitur Atinae factum a iuuentute;* reliqui pro *iuuentute* scribunt *iuuene.*

C. XIII. §. 33. *qui hoc queruntur, libertatem equitis Romani, se ferre non posse;* reliqui *hoc* omittunt.

C. XIV. §. 33. *an quod reiectae auctiones essent;* reliqui *reiectae* omittunt. Cum B et E consentit Ambrosianus.

C. XIV. §. 34. *quae enim umquam Plancii uox;* reliqui pro *Plancii* scribunt *Plancio.*

C. XIV. §. 35. *sed aut contentione dicendi, aut lacessitus;* reliqui *aut* ante *contentione* omittunt. Cum B et E consentit Ambrosianus.

C. XV. §. 36. *si est aequum ulla in re nisi in hac tribuaria;* reliqui *in* ante *hac* omittunt.

C. XV. §. 37. *Quid? huiusce rei tandem obscura;* reliqui *Quid? huius rei obscura.*

Ibidem. *disputata hesterno die copiosissime;* reliqui *copiosius* pro *copiosissime* scribunt.

Ibidem. *per hanc consensionem;* reliqui *hanc* omittunt.

C. XVI. §. 38. *quid cum Ufentina;* reliqui pro *Ufentina* miras corruptelas habent.

C. XVI. §. 39. *non largitione corruptas;* reliqui *corruptas* omittunt.

C. XVI. §. 40. *tuorum amicorum necessarios;* reliqui *amicorum* omittunt.

Ibidem. *ut ante consessum meorum iudicum uideam;* reliqui pro *meorum* scribunt *eorum.*

C. XVII. §. 41. *nomen editici iudicis non tulerunt;* reliqui pro *editici* scribunt *editi.*

C. XVII. §. 42. *ut huic et suam et ab hoc obseruatas tribus ederes;* reliqui pro *huic* partim *hunc*, partim *in hunc*, pro *ederes* autem *ederent* scribunt, atque *tribus* omittunt.

Ibidem. *sed hunc iis iudicibus editis;* reliqui *iis* omittunt.

C. XVII. §. 43. *aut apud tribules suos iudices;* reliqui *apud* omittunt.

Ibidem. *propter necessitudinem ac uicinitatem;* reliqui *propter uicinitatem ac necessitudinem.*

Ibidem. *suam uero certe edidisset;* reliqui *certe* omittunt.

Ibidem. *et si quaesitor huic edendus fuisset;* reliqui *huic* omittunt.

Ibidem. *cuius quidem aequitas, et ea uoluntas;* reliqui pro *et ea* partim *et mea*, partim *et sua*, partim *et meae similis* habent.

C. XIX. §. 46. *sin, quia gratiosi sint;* reliqui *sunt* scribunt.

C. XIX. §. 47. *Nam ut ego doceo;* reliqui *Iam* etc..

Ibidem. *gratiosum esse in sua tribu Plancium;* reliqui *in sua* omittunt.

C. XIX. §. 48. *Num possum magis pedem conferre;* reliqui *Non* etc..

Ibidem. *Nec erit haec alia ratio, ac tibi, Laterensis;* reliqui pro *tibi, Laterensis* habent *Laterensi.*

C. XX. §. 49. *Uocatae tribus; latum suffragium; diribitae;* reliqui *descriptae.*

Ibidem. *Ain tandem? una centuria;* reliqui *An tandem una centuria.*

C. XX. §. 50. *Laterensis, si id;* reliqui *si id Laterensis.*

Ibidem. *Numquam enim fere nobilitas;* reliqui *fere* omittunt.

Ibidem. *sicuti esse debuit;* reliqui *sicut* etc..

C. XXII. §. 54. *Aniensem a Plotio Pedio;* reliqui pro *a Plotio Pedio* miras corruptelas habent.

Ibidem. *in idem crimen uocando;* reliqui *uocandum.*

Ibidem. *eos testis te producere;* reliqui *adducere.*

C. XXIII. §. 55. *Sed neque tu haec habes;* reliqui *sed neque tu habes haec.*

C. XXIII. §. 56. *more meo pristino;* reliqui partim *meo pristino more,* partim *meo more pristino.*

C. XXIV. §. 59. *ad laborem et ad laudem excitaret;* reliqui *ad* ante *laudem* omittunt.

C. XXV. §. 60. *tamen eosdem — honorum gradus;* reliqui *tamen* omittunt.

Ibidem. *in uirtute multi sunt adscensus;* reliqui *sunt* omittunt scribuntque maximam partem *multis.*

C. XXV. §. 61. *Profers triumphos T. Didi et C. Mari;* reliqui *Didi* omittunt, pro quo quidam *Gracchi,* unus *Manlii* habet.

C. XXV. §. 62. *qui se afuisse ab istis studiis confitentur;* reliqui *se* omittunt.

Ibidem. *Quodsi praeterea nemo est honore dignus;* reliqui partim *honore dignus nemo est,* partim *honore nemo dignus est,* partim *honore dignus nemo,* partim *honore dignus.*

C. XXVI. §. 64. *ne mihi aliquid, iudices, uidear adrogare;* reliqui *adrogasse* scribunt. Cum B et E facit Ambrosianus.

Ibidem. *ut non ita mihi multum gloriae sit;* reliqui *gloriae* omittunt.

Ibidem. *aut clariorem aut gratiorem;* reliqui *aut gratiorem aut clariorem.*

Ibidem. *Excogitati quidam erant a Siculis honores in me inauditi;* reliqui *in me* omittunt.

C. XXVI. §. 65. *in iis locis solent esse;* reliqui partim *esse solent in iis locis,* partim *ut solet esse in iis locis,* partim *solent esse in iis locis.*

Ibidem. *numquid nam esset noui;* reliqui *num quid in ea esset noui.*

C. XXVII. §. 66. *quam si mihi tum essent omnes gratulati;* reliqui *congratulati* scribunt. Cum B et E facit Ambrosianus.

Ibidem. *oculos autem esse acres atque acutos;* reliqui partim *oculos acres atque acutos habere,* partim *oculos acres acutos habere,* partim *oculos acres habere.*

C. XXVII. §. 67. *ualuit adseruandis amicis;* reliqui *at ualuit seruandis amicis.*

Ibidem. *ea est usus ratione uitae, qua;* reliqui *ea* et *uitae* omittunt, quamquam *ea* in S etiam extare uidetur.

Ibidem. *sunt eosdem honores consecuti;* reliqui partim *eosdem honores consecuti sunt,* partim *eosdem honores sunt consecuti,* partim *eosdem honores consecuti.*

C. XXVIII. §. 69. *quin, cum per hunc me iis conseruatum esse meminerim;* reliqui *cum* omittunt.

C. XXIX. §. 69. *et familiae nobilissimae dicere;* reliqui *et familiae suae nobilissimae dicere.*

C. XXIX. §. 71. *nisi forte existimas;* reliqui *forte* omittunt.

Ibidem. *quod de reditu meo nihil timerent;* reliqui pro *nihil* scribunt *non.*

C. XXX. §. 72. *protectum in acie ex hostium manibus eripi;* reliqui *ex* omittunt.

C. XXX. §. 74. *Recitetur oratio, quae propter rei magnitudinem;* reliqui pro *rei* scribunt *eius.*

C. XXXI. §. 75. *De Cispio mihi igitur obicies;* reliqui pro *mihi igitur* partim *mihi uidetur,* partim *mihi iis,* partim *mihine tu* scribunt.

C. XXXI. §. 76. *Uide quam uerbi tui poeniteat;* reliqui *uide quam me uerbi tui poeniteat.*

Ibidem. *huius in periculo non significarem dolorem meum;* reliqui *huius in periculo non dolorem meum significarem.*

C. XXXII. §. 77. *cum tantum iam Plancio deberem;* reliqui *tantum* omittunt. Cum B et E facit Ambrosianus.

C. XXXII. §. 78. *idcirco minus lubenter iudices mea causa facturos;* reliqui *lubenter* omittunt et uerba reliqua alio ordine conlocant.

C. XXXII. §. 78. *Atqui haec cum uides;* reliqui *haec* omittunt.

Ibidem. *quo me tandem in te animo putas esse;* reliqui *quo me tandem animo in te putas esse.*

Ibidem. *sed quia saepe concurrunt propter aliquorum bene de me meritorum;* reliqui *bene* omittunt et pro *concurrunt* scribunt *concurrit.*

C. XXXIII. §. 82. *iam succumbam, Laterensis, isti tuo crimini, meque in eo;* reliqui pro *tuo crimini meque* partim *tuo ori nimioque*, partim miras alias corruptelas habent.

Ibidem. *neque enim illud ad neglegendam;* reliqui *illud* omittunt.

Ibidem. *si quae forte sunt in me;* reliqui pro *quae* scribunt *qua.*

C. XXXIV. §. 83. *non cum laboris et fori discipulo disputare;* reliqui *discipulo* omittunt.

C. XXXIV. §. 84. *Rhodi enim, inquit, ego non fui;* reliqui *ego* omittunt. Cum B et E facit Ambrosianus.

Ibidem. *qui causis ponderandis omnis fere repudiatis;* reliqui *qui in causis* etc..

C. XXXIV. §. 85. *dictum aliquod in petitionem tuam dici potuisse;* reliqui pro *petitionem tuam* scribunt *petitione tua.*

C. XXXV. §. 86. *illa uero grauia atque magna;* reliqui pro *grauia* scribunt *grauiora.*

C. XXXV. §. 87. *parere non sierint;* reliqui pro *sierint* partim *siuerint*, partim miras corruptelas habent.

C. XXXVI. §. 87. *quo ceteri saepe abundarunt;* reliqui *saepe* omittunt.

C. XXXVI. §. 88. *qui arma, quae priuatus P. Scipio ceperat;* reliqui pro *ceperat* scribunt *sumpserat.*

C. XXXVI. §. 89. *quem — constat inuitissimis uiris bonis cessisse;* reliqui *constat* inepte post *uiris* conlocant.

C. XXXVII. §. 90. *si umquam uitae cupiditas in me fuisset;* reliqui *in me* ante *uitae* conlocant.

C. XXXVII. §. 91. *quod te esse in re p. liberum es gloriatus;* reliqui *te esse* et *es* aliter conlocant.

C. XXXVIII. §. 91. *sin autem aliquando sine ullo rei p. detrimento respicio etiam salutem tum meam;* reliqui *aliquando* ante *salutem* conlocant.

C. XXXVIII. §. 92. *quam tum a me haberet;* reliqui pro *quam tum* partim *quod tum*, partim *quod* scribunt.

C. XXXIX. §. 94. *quam tu in me requiris;* reliqui *tu* omittunt.

C. XL. §. 95. *Nunc uenio ad illud extremum, in quo dixisti;* reliqui pro *in quo* habent *quod.*

Ibidem. *a C. Uergilio;* et sic §. 96., reliquis *a C. Uirgilio* scribentibus.

Ibidem. *tum rei publicae causa sociarat;* reliqui *causa* omittunt et pro *rei p.* scribunt *res publica.*

C. XLI. §. 97. *optimi senis et fratris et utriusque filiorum manibus;* reliqui *et fratris* omittunt.

C. XLI. §. 100. *audierat, ad me animo am. detulisset;* reliqui *ad me* omittunt.

C. XLII. §. 101. *praesentem tibi gratias relaturum;* reliqui *gratiam* scribunt.

Ibidem. *de horum desiderio;* reliqui *eorum* scribunt.

C. XLII. §. 103. *per uos, per fortunas, per liberos uestros;* reliqui *per uos, per fortunas uestras, per liberos.*

Tantopere cum Bauaricus et Erfurtensis uel in leuissumis rebus consentiant, quiuis profecto perspiciat necessest, utrique libro conmunem esse fontem et quidem alium atque reliquis codicibus debuisse. Neque opus est, ut enumeratis, quae in B et E sunt, uariis lectionibus ullum reliquorum codicum aut ex B aut ex E non posse ortum censeri doceam. Cui sententiae non solum quae adlatast lectionum discrepantia prorsus refragatur, uerum etiam hoc, quod in B et E aliquot in locis uerba quaedam omissa sunt, quae in reliquis codicibus omnibus scripta extant. Locos ipsos deinde conmemorabo.

Neque porro, id quod facile quis suspicetur, aut Bauaricum ex Erfurtense aut Erfurtensem ex Bauarico descriptum esse, ullo modo statui potest. Cuius rei caussa in eost posita, quod illi, quam-

quam plurimis in locis mire inter se consentiunt, tamen non paucis in locis uehementer a se dissentiunt.

Ac primum quidem Bauaricum non posse ex Erfurtense ortum esse, ex iis locis luculenter apparet, in quibus Bauaricus et integrior et incorruptior est Erfurtense. Integrior in his locis est:

C. V. §. 12. *non dico C. Seranum, stultissimum hominem: fuit enim tamen nobilis; non C. Fimbriam, nouum hominem: fuit enim et* etc.; sic solus Bauaricus. Erfurtensis cum reliquis codicibus uerba *fuit enim tamen nobilis; non C. Fimbriam, nouum hominem* omittit.

C. VIII. §. 20. *fortasse etiam de nobis aliquid, aliquid sed certe;* sic solus Bau.; Erfurt. alterum *aliquid* omittit; reliqui et ab his libris discrepant et inter se dissentiunt.

C. X. §. 26. *quod C. Marium ex ciuili;* sic solus Bau. cum Ambrosiano; Erfurt. cum reliquis *ex* omittit.

C. XIII. §. 32. *ea primum uetustate equestris nominis;* sic solus Bau.; Erf. uerbum *nominis* omittit, et reliqui pro eo habent *ordinis.*

C. XXVII. §. 67. *numquam ex urbe is afuit;* sic solus Bauaricus. Erfurtensis cum reliquis *is* omittit.

His addo eos locos, in quibus quae Erf. omittit, non in B solum, set in reliquis etiam libris scripta extant. In eorum quibusdam ambiguum profecto est, utrum, quae Erf. omittit, spuria sint habenda, an negligentia excidisse existumanda sint. In aliis non certo scimus, seruaritne Bau. cum reliquis libris, quae Erf. omittit, an cum Erf. omiserit, cum ex silentio Garatoni, per quem uariae lectt. ex Bau. enotatae cum uiris doctis communicatae sunt, non ausim quicquam certo concludere. Itaque quotiens de Bauarico tacetur, tantummodo *uideri* eum ita habere, ut ex silentio concludi debet, in sequentibus dixi. Ubi contra uerbum *uidetur* non est additum, scripturam eius nos compertam habere teneudumst.

C. II. §. 6. *aut optime de me meriti salus deserenda est;* sic Bau. cum reliquis; Erfurt. *est* omittit.

C. III. §. 8. *qui praeteritus non est;* sic uidetur Bau. cum reliquis; Erf. *non* omittit.

C. XIV. §. 34. *sed eum ipsum dolorem hic tulit paulo apertius;* sic uidetur Bau. cum reliquis; Erf. *ipsum* omittunt.

C. XIV. §. 35. *stomachor uero, quum;* sic uidetur Bau. cum reliquis; Erf. *uero* omittit.

C. XVIII. §. 44. *quibus erat hic maxime notus;* sic Bau.; Erf. *erat* omittit; reliqui *quibus hic maxime notus erat.*

C. XXI. §. 51. *qui duabus aedilitatis acceptis repulsis;* sic Bau. cum reliquis; Erf. *acceptis* omittit scribitque: *qui duabus aedilitatibus repulsus.*

C. XXX. §. 74. *ne aut proferre uidear ad tempus;* sic Bau. cum reliquis; Erf. *uidear* omittit.

C. XXXIII. §. 80. *reliquarum. Quid est pietas, nisi;* sic uidetur Bau. cum reliquis; Erf. *Quid est pietas* omittit.

Ibid. §. 81. *ubi alitus aut doctus est;* sic Bau. cum reliquis; Erf. *est* omittit.

C. XXXVIII. §. 88. *si finem tum;* sic Bau. cum reliquis; Erf. *si* omittit.

Porro a librariorum mendis solus immunis Bauaricus est, ubi Erfurtensis cum reliquis consentit, in his locis:

C. V. §. 13. *inquiet populus Romanus;* ubi pro *inquiet* Erf. cum reliquis *inquam et* scribit.

C. XXXI. §. 75. *obsoletae — preces tuae;* ubi pro *obsoletae* Erf. cum reliquis *absolutae* scribit.

Denique aliam certe atque Erfurtensis cum reliquis scripturam, licet non ueram, his locis habet:

C. V. §. 13. *reseruasti, ego autem;* ubi pro *autem* Erf. cum reliquis *quoque* scribit.

C. IX. §. 22. *retinens ueterem illam officii mentem;* ubi pro *illam off. mentem* Erf. cum reliquis *illum officii morem* scribit.

Ex his locis abunde patet, Bauaricum nullo pacto ex Erfurtense descriptum existumari posse. Erunt etiam, qui hoc ne uerbo quidem a me fuisse planum faciundum dicant, cum Bau. librum saeculo iam

XI. scriptum esse supra monitum sit, Erfurtensis autem certe ante saeculum XIII. exaratus esse censeri non possit. Uerum cum Harlesius tantum codicem Bau. ad illut saeculum rettulerit, ei rei nullam a me fidem potuisse haberi intellegitur, quamquam ipsi mihi non sine idonea caussa Bau. prius quam Erf. scriptus uidetur esse.

Neque uero Erfurtensis ex Bauarico descriptus est, id quod cum ex iis, quos modo adtulimus locis, probatur, tum maxume ex illis manifesto apparet, in quibus Erfurtensis et integrior est et incorruptior quam Bauaricus. Integrior in his est locis:

C. III. §. 6. *si te a u t a Plancio;* Bau. *aut* omittit.

Ibidem. *dignitate p o t u i s s e superari;* Bau. *potuisse* omittit.

Ibidem. *ad quam me causa i p s a deducit;* Bau. *ipsa* omittit.

C. IV. §. 9. *et quadam e t i a m temeritate;* Bau. *etiam* omittit.

C. V. §. 13. *ad ea t e tempora reuocaui;* Bau. *te* omittit.

C. VIII. §. 19. *in quibus e s t etiam Iuuentia;* Bau. *est* omittit.

Ibidem. *suorum municipum h o n o r e laetari;* Bau. *honore* omittit.

C. X. §. 25. *quae e s t officio necessitudinis coniuncta maxime;* Bau. *est* omittit.

Ibidem. *non potentia mea, sed causa rogationis f u i t gratiosa;* Bau. *fuit* omittit.

C. XI. §. 27. *Hic e s t enim, qui adol.;* Bau. *est* omittit.

C. XVIII. §. 45. *Neque u e r o tam durus in plebem;* Bau. *uero* omittit.

C. XX. §. 49. *deinde habere coepit subito praeter opinionem o m n i u m;* Bau. *omnium* omittit.

C. XXVII. §. 65. *q u a s i qui omnia sciret;* Bau. *quasi* omittit.

C. XXX. §. 72. *Quae si non essent, uererer, credo* etc.; ad quem locum monuit Garatonius: duodecim uerba desunt hic in Bau., in quibus hoc *(uererer)* est.

C. XXXII. §. 78. *nam h o c quidem abhorret a uirtute uerbum;* Bau. *hoc* omittit.

C. XXXV. §. 87. *edictoque s u o non luctum patribus conscriptis;* Bau. *suo* omittit.

C. XL. §. 96. *uide n u n c caliginem temporum illorum;* Bau. *nunc* omittit.

C. XLI. §. 97. *Brundisium ueni, uel potius ad moenia a c c e s s i;* Bau. *accessi* omittit.

C. XLI. §. 98. *huic a u t e m, quae pro salute mea fecerit;* sic solus Erfurtensis; Bau. cum reliquis *autem* omittit, nisi forte Harlesius ex Bau. enotare neglexit.

Porro a librariorum mendis inmunis Erfurtensis est, ubi Bau. cum aliis corruptus est, his in locis:

C. VIII. §. 20. *num de tot F u l u i s gloriari;* sic Erfurtensis; Bau. pro *F u l u i i s* scribit *flulius;* alii aliter.

C. XIV. §. 33. *cum illo edicto iustitio domum d e c e d e n s rogasset;* sic solus Erfurt. cum Ambrosiano; Bau. pro *decedens* habet *decendens*, reliqui *descendens.*

Ibidem. *immo uero, inquit, quod l e g a t i o n e s;* sic solus Erf. cum Ambrosiano; Bau. cum reliquis pro *legationes* scribit *legiones.*

C. XV. §. 37. *quae m a g i s honeste quam uere sodalitas nominaretur;* sic solus Erf.; Bau. pro *magis* scribit *magna;* reliqui mire corrupti hic sunt.

C. XVI. §. 38. *nam M a e c i a m non quae iudicaret;* sic solus Erf.; Bau. pro *nam Maeciam* scribit *nam etiam;* alii aliter.

C. XXVI. §. 64. *mercatoribus iustus, m a n c i p i b u s liberalis;* sic solus Erf.; Bau. uidetur cum reliquis pro *mancipibus* scribere *municipibus.*

C. XL. §. 95. *quocum me uno uel maxime cum u e t u s t a s, t u m amicitia;* sic solus Erf.; Bau. cum reliquis pro *uetustas, tum* scribit *uetustatum.*

C. XLII. §. 101. *s e d d e h o r u m erga me beneuolentia promittebam;* sic solus Erf.; Bau. cum plerisque reliquis pro *sed de horum* scribit *sed eorum.*

Hi loci etsi ad id quod uolumus probandum sufficiunt, tamen non erit inutile reliquos adiecisse, in quibus Bau. et Erf. a se dissentiunt. Sunt autem hi:

C. II. §. 4. *quum respondero c r i m i n i b u s;* sic Bau. cum reliquis; Erf. pro *criminibus* male *omnibus* scribit.

C. III. §. 7. *Quid tum? An dignitatis;* sic solus Erf.; Bau. *Quid? tu magni dignitatis;* alii aliter.

C. IV. §. 10. *non e n u c l e a t a esse suffragia;* sic Erf.; Bau. pro *enucleata* male *enudata* scribit.

C. V. §. 12. *Qui si tecum congrediatur — h a e c dicat;* sic Erf.; Bau. pro *haec* male *ac* scribit.

Ibidem. *uoluisse, semper sibi supplicari;* sic Bau.; Erf. ante *semper* copulam *et* addit.

C. VI. §. 14. *simul ut, qui sint professi;* sic Bau. cum reliquis; Erf. ante *qui* copulam *et* addit.

C. VIII. §. 19. *ex quo s u n t plurimae familiae consulares;* sic Bau.; Erf. hoc ordine scribit: *ex quo plurimae s u n t familiae consulares;* reliqui: *ex quo plurimae familiae s u n t consulares.*

C. IX. §. 22. *tota denique nostra illa;* sic uidetur Bau. cum uolg.; Erf. *tota denique a n o s t r a i t a.*

Ibidem. *iisdemque nunc a municipiis adsunt;* sic Bau. cum aliis; Erf. cum aliis pro *a* scribit *ex.*

Ibidem. *nec minore nunc s u n t solicitudine;* sic Bau. cum plerisque; Erf. cum paucis *sunt* omittit.

C. IX. §. 23. *nisi forte te Labicana, aut Gabina, aut Bouillana uicinitas;* sic Bau.; Erf. *nisi forte te Labicana, aut Gabina, aut Bouillana, a u t G a b i n i s uicinitas;* alii aliter.

C. X. §. 26. *uotis o m n i b u s q u e l a c r i m i s;* sic Bau.; Erf. *uotis omnibus lacrimisque;* reliqui fere omnes: *lacrimis uotisque omnibus.*

C. XI. §. 27. *de quibus d i x i, t e g e r e;* sic uidetur Bau. cum reliquis; Erf. solus pro *dixi, tegere* scribit *dixit agere.*

Ibidem. *sic ab illo grauissimo et sanctissimo atque omni laude et honore dignissimo uiro;* sic uidetur Bau. cum reliquis; Erf. post *grauissimo* addit *uiro* nec infra idem nomen omittit.

Ibidem. *et a d o l e s c e n t u l i;* sic uidetur Bau. cum reliquis; Erf. *et a d o l e s c e n t i s* scribit.

Ibidem. *illius frater;* Erf. solus *illustrator* scribit.

C. XII. §. 30. *q u a externis, q u a domesticis;* sic Bau.; Erf. pro *qua — qua* scribit *tam — quam.*

C. XIII. §. 33. *erigere d e b e b a t;* sic Erf.; Bau. pro *debebat* scribit uitiose *debeat.*

C. XIV. §. 33. *dixissetque, quid;* Erf. *dixisset, quid.*

Ibidem. *quae enim umquam Plancii uox fuit;* sic Bau.; Erf. *fuit* cum reliquis post *umquam* conlocat.

C. XVI. §. 40. *nec opinante, i n s c i o;* sic Bau. cum aliis; Erf. pro *inscio* cum aliis *in sicco* scribit.

C. XVIII. §. 45. *et hodie esse u i d e m u s quam plurimos;* Erf. cum multis pro *uidemus* habet *uolumus;* de Bau. tacetur.

Ibid. §. 46. *cur sibi hoc oneris imposueris;* sic Erf.; de Bau. tacetur; uolgo *cur hoc sibi* etc..

C. XIX. §. 48. *i n s e c t o r, posco;* Erf. pro *insector* habet *insequor.*

C. XX. §. 49. *Sed cur e g o sic ago;* Erf. *ego* omittit.

Ibid. §. 50. *supplex repudiata f u i t;* Erf. pro *fuit* habet *est;* de Bau. tacetur.

C. XXI. §. 51. *i s t a in aedilitate offensiuncula accepta;* sic Erf. cum Prisciano; Bau. cum reliquis *in ista* etc..

C. XXII. §. 53. *suspicionem c o i t i o n i s;* Erf. pro *coitionis* habet uitiose *comitiis;* de Bau. tacetur.

C. XXIII. §. 55. *inimici r e o r u m omnium;* Bau. *reum,* Erf. *rerum* pro *reorum* habet.

Ibid. §. 57. *excipitur, n i h i l latius;* Erf. cum multis *nihil* omittit; de Bau. tacetur.

Ibidem. *aut s i quid erit eiusmodi;* Erf. cum multis *si* omittit; de Bau. tacetur.

C. XXIV. §. 58. *neque i d fuisse qui nobis narraret;* sic solus Bau.; Erf. cum reliquis *id* ante *nobis* conlocat.

Ibidem. *mortuo L o n g i n o; non;* Erf. solus pro *Longino* habet *longe.*

C. XXIV. §. 59. *tamen numquam i l l i facilioris honorum aditus optaui;* sic Bau.; Erf. *tamen honorum aditus numquam i l l i facilioris optaui*; reliqui: *tamen i l l i honorum aditus numquam faciliores optaui.*

Ibidem. *quamquam ad praecepta aetas non est g r a u i s;* sic Erf.; Bau. pro *grauis* habet *gnarus.*

C. XXV. §. 60. *quis P. Duellio parem;* Bau. *P.* omittit.

C. XXVI. §. 63. *idem effers Laterensem laudibus;* Bau. pro *effers* scribit *ut fers.*

C. XXVII. §. 65. *Syracusis quaestorem;* Erf. haec inuerso ordine habet; de Bau. tacetur.

C. XXVII. §. 66. *clarorum uirorum atque magnorum;* Erf. solus pro *uirorum* habet *hominum.*

Ibidem. *Ita si quam;* Erf. solus *Itaque* etc.; de Bau. tacetur.

C. XXVII. §. 67. *fuit in oculis; petiuit;* solus Bau. *fuit* ante *petiuit* repetit.

C. XXVIII. §. 68. *aes retinet alienum;* sic Bau. cum aliis; Erf. cum aliis pro *aes* scribit *is.*

C. XXIX. §. 70. *in Plancii facio;* Bau. cum aliis uitiose pro *Plancii* habet *Plancio.*

C. XXX. §. 72. *coronam dent ciuicam;* Erf. pro *ciuicam* habet *cuiquam.*

C. XXX. §. 74. *ei me dedebam;* Bau. pro *dedebam* habet *debam.*

C. XXXI. §. 75. *datus est tibi ille;* Bau. *datus est ille tibi.*

C. XXXII. §. 77. *Cui quidem ego — prae me feram;* Erf. solus *qui me quidem ego — praeferam;* de Bau. tacetur.

Ibidem. *deberem, Racilii;* Erf. cum aliis ante *Racilii* addit *marcii;* de Bau. tacetur.

C. XXXII. §. 78. *idcirco minus lubenter iudices mea causa facturos;* sic Bau.; Erf. ante *facturos* addit *esse.*

Ibidem. *an cum patres conscripti;* sic solus Erf.; Bau. *conscripti* omittit.

C. XXXII. §. 79. *Sed ego haec meis;* sic Bau.; Erf. *sed haec ego meis.*

C. XXXIII. §. 80. *et esse gratum et uideri;* sic solus Erf.; reliqui *et gratum esse et uideri;* de Bau. tacetur.

Ibidem. *Haec est enim;* Erf. solus *Est enim haec;* de Bau. tacetur.

C. XXXIII. §. 81. *cui non locus ipse ille mutus, ubi;* sic solus Erf.; Bau. *cui non locus ipse mutus ille, ubi;* alii aliter.

C. XXXVI. §. 87. *id mihi ipsi auxilium;* sic Erf.; Bau. cum multis pro *ipsi* scribit *ipsum.*

C. XXXVII. §. 90. *uiginti quiessem dies;* Erf. solus pro *quiessem dies* habet *quidem dies essent;* de Bau. tacetur.

C. XXXIX. §. 93. *memoriam quaerunt et gratiam;* sic solus Bau.; Erf. cum reliquis *memoriam et gratiam quaerunt.*

Paucissumi, quos aduotare omisi, loci, in quibus B et E a se dissentiunt, eiusmodi sunt, ut nullius prorsus momenti scripturae diuersitas sit.

Postquam demonstratumst, mirificum Bauarici et Erfurtensis codd. consensum non inde esse deriuandum, quod alter ex altero descriptus sit, set quod communis utrique codici fons fuerit, hoc quoque monendum mihi uidetur, non posse eos ex ipso illo codice principe descriptos existumari. Intellegi hoc ex eo puto, quod in prauis aliquot scripturis consentiunt, ubi reliqui libri integram Ciceronis manum conseruarunt. Ita c. XIX. §. 47. pro *Iam ut ego doceo* uitiose *Nam ut ego doceo* scribunt, c. XXXI. §. 76. *Uide quam me uerbi tui poeniteat* male *me* pronomen, et c. XXXIV. §. 84. *qui in causis ponderandis omnis fere repudiatis* praepositionem *in*, et c. XL. §. 95. *Nunc uenio ad illud extremum quod dixisti* pro *quod* corrupte *in quo* scribunt. Ac plura fortassis menda Bauarico cum Erfurtense communia esse reperirentur, si omnes errores ex libro Bauarico ab Harlesio enotati aut a Garatonio nobiscum communicati essent. Uerum placuit Garatonio eas tantum libri illius scripturas conmemorare, quae aliquam certe ueritatis speciem haberent. Nihilominus uel iste utriusque libri in illis erroribus consensus statuere nos cogit, eadem menda in codice illo, ex quo B et E sunt orti, iam extitisse. Qui codex si fons etiam reliquorum, quam tertiam familiam dico, fuisset, fieri non potuit, quin ii quoque eisdem erroribus deprauati ad nos peruenissent. Quod cum non ita sit, ex antiquo isto exemplari, qui fons omnium fuit, descriptum codicem esse existumandumst, ex quo B et E manarint. Magis id uerum esse ex eo etiam elucebit, quod multae glossae in B et E sunt, quibus reliqui libri uacant. De iis expositum infra uidebis.

Set disquirendum iam illut est, qui fieri potuerit, ut duo illi codices, si tantopere inter se cognati sint, id quod mirificus eorum consensus extra controuersiam ponit, nonnullis in locis tam uehementer a se inuicem dissentirent. Qui dissensus quibusdam in locis profecto eiusmodi est, ut neque in Bauarico quae est scripturae uarietas ab eo, qui Bauaricum exarauit, neque quae in Erfurtense est a scriptore huius codicis orta esse dici possit. Intellegant hoc omnes necessest, qui locos, quos modo in eam rem adtulimus, diligentius considerauerint. Simul illut animaduerti uolo, quibusdam in locis, ubi B solus ueram exhibeat scripturam, Erfurtensem in praua scriptura cum familia tertia conspirare, eodemque modo Bauaricum, ubi E solus genuinam seruarit manum, eandem habere scripturam, quae in codicibus familiae tertiae est. Loci hi sunt:

C. V. §. 13. *inquiet populus Romanus;* sic B; Erf. male cum reliquis pro *inquiet* scribit *inquam et.*

C. XXXI. §. 75. *obsoletae — preces tuae;* sic B; Erf. male cum reliquis pro *obsoletae* scribit *absolutae.*

In duobus aliis locis certe propius B quam E ad ueram scripturam accedere uidetur. Hos dico:

C. V. §. 13. *reseruasti, ego autem;* sic B; Erf. cum reliquis pro *autem* scribit *quoque.*

C. IX. §. 22. *retinens ueterem illam officii mentem;* sic B; Erf. cum reliquis pro *illam off. mentem* scribit *illum off. morem.*

Contra melior Bauarico, cum reliquis consentiente, Erfurtensis est in his locis:

C. XIV. §. 33. *domum decedens rogasset;* sic E cum Ambrosiano; Bau. pro *decedens* habet *decendens,* reliqui *descendens.*

Ibidem. *immo uero quod legationes;* sic E cum Ambrosiano; Bau. cum reliquis pro *legationes* habet *legiones.*

C. XXI. §. 51. *qui duabus aedilitatibus repulsus;* sic E; Bau. cum reliquis *qui duabus aedilitatis acceptis repulsis* scribit.

C. XL. §. 95. *cum uetustas, tum amicitia;* sic E; Bau. cum reliquis pro *uetustas, tum* scribit *uetustatum.*

Atque eorum quidem opinionem non opus est ut refellam, qui ex his locis conligi posse censebunt, tertiae familiae codices fortasse ex eo libro, ex quo Erfurtensis sit descriptus, originem duxisse. Nam hoc prorsus incredibile esse cum ex iis locis luculenter patet, in quibus supra Erfurtensem cum Bauarico consentientem a tertia familia dissentire uidimus, tum maxume conprobabitur iis, quae Lib. II. c. 1. de interpolationibus, quibus haec foedata oratiost, disseremus. Neque porro aut B aut E ad codicem quempiam familiae tertiae correctum licet suspicari, ut ita iste utriusque libri a se dissensus et cum codicibus familiae tertiae consensus ortus putetur. Hoc enim si factum esset, non potest dubitari, quin plura istiusmodi correctionis uestigia reperirentur. Neque denique casu credibilest accidisse, ut, cum in codice, ex quo B et E manarunt, uera scriptura posita esset, ea nunc a Bauarici nunc ab Erfurtensis libri auctore in eundem semper modum corrumperetur, quo in codicibus familiae tertiae corrupta erat. Quae cum ita sint, nihil relicuum est, quam ut in libro, qui ex codice principe descriptus erat Bauaricique et Erfurtensis fons extitit, nonnullis in locis duplicem extitisse scripturam existumemus, quarum altera inserta ipsis Ciceronis uerbis, altera pro uarietate lectionis superscripta fuerit. Istae scripturae si, id quod maxume probabilest, ex codice principe depromptae erant, fieri non potuit, quin earum altera in codicibus familiae tertiae scripta extaret, ideoque aut B aut E, si non eandem utriusque librarius scripturam descripserat, cum illis codicibus consentiret. Quae coniectura mea probatur etiam eo, quod in codice principe et glossae et uariae lectiones, id quod infra Lib. II. c. 1. planum faciam, superpositae fuerunt.

Attamen non pauci cum reperiantur loci, in quibus dissensum Bi et Erf. codicum isto quo dixi modo ortum esse non est probabile, equidem in ea sum sententia, ut non ex uno eodemque codice utrumque, set Bauaricum ex libro, qui descriptus ex principe codice erat, Erfurtensem autem ex libro, qui descriptus ex eo erat, quo Bauarici libri auctor usus erat, descriptum putem. Id ut credam, duabus adducor caussis. Primum enim plures describentium errores in Erfurtense uidentur extare, quam

ex Bauarico sunt enotati; deinde, id quod maxume me mouet, multo plura antiquae orthographiae, qualis sine dubio in codice principe fuit, uestigia in Bauarico quam in Erfurtense reperiuntur. Ea indicata in praefatione sunt. Itaque ex mea quidem sententia secundae et tertiae codicum familiae stemma hoc erit:

Codex princeps perditus.

Parens codicum familiae tertiae. — Codex perditus.

Codex perditus. — Codex Bauaricus.

|

Codex Erfurtensis.

§. 3.

Post ea quae adhuc exposuimus non opus est, ut codices, quos C. I. §. 3. enumerauimus, omnis ex libro originem duxisse ostendamus, qui neglegenter ex codice principe fuerit descriptus, cum contra Bauaricus et Erfurtensis orti ex codice sint, cuius auctor diligenter codicem principem descripserat. Omnes enim codices isti, quibus nomen familiae tertiae dedimus, non solum mirum quantum a B et E dissentiunt, set etiam in tot corruptelis et lacunis inter se consentiunt, ut nullus prorsus dubitandi locus relinquatur, quin ex uno eodemque libri cuncti sint orti. Istas autem lacunas et corruptelas cum iam p. IX sqq. indicauerimus, inutilest nunc denuo commemorare. Neque tamen diffitendumst, haut pauca menda, quae sunt in familiae tertiae codicibus, non tam librari neglegentia, qui codicem, unde illi orti sunt, exararit, facta uideri, quam quod codex, quem ille descripsit, princeps iam situ hic illic uitiatus fuerit, ita ut quorundam uerborum syllabae tantum aliquot superessent adeoque uerba nonnulla prorsus euanuissent, integer adhuc tum temporis, cum describeretur ab eo librario, qui codicem confecit, ex quo B et E manarunt. Uerissumum hoc esse inde intellegitur, quod aliquot in locis, ubi tertiae familiae codices perperam uerba nonnulla omittunt, quae Bauaricus et Erfurtensis seruarunt, plerique codices familiae istius pro uerbis omissis uacuum spatium habent, quod nonnumquam librarii quidam codicum familiae tertiae uerbis alienis explerunt. Ita ut unum tantum locum adferam, C. XXV. §. 61. pro *Didi,* quae uera est scriptura a B et E seruata, plerique reliquorum codicum lacunam habent, quidam inepte *Gracchi* posuerunt, unus *Manlii.* Ceterum monendumst, uideri etiam illum librum, qui ex codice principe descriptus eorum, quam tertiam dicimus familiam, fons extitit, temporis iniuria perditum esse. Certe eorum, quorum penes me est lectionum uarietas, nullus est, quem fontem omnium habere liceat. Qui si reperiretur, hoc lucri consequeremur, quod omnem uariarum lectionum apparatum, ex codicibus familiae tertiae haustum, abicere possemus.

Illut autem ingenue profiteor mihi non contigisse, ut quomodo hi inter se cognati essent, inuestigando eruere possem. Neque hoc a quoquam puto umquam inuestigatum iri. Fieri posset, si codices familiae tertiae semper ad fidem eius tantum exemplaris, quod describebatur, exarati eisque solum erroribus, quos qui describebat conmiserat, deprauati essent. At hoc non est factum. Quotiens quis codicem quempiam descripserat, aut ipse aut alii ad alius uel aliorum librorum manu scriptorum fidem corrigere et mutare consuerunt. Iam qui ex istiusmodi correctis libris denuo descripti erant codices, ii ex quo libro sint orti, numquam certo patet indicari posse. Omnes autem familiae tertiae codices, quorum mihi copia fuit, ex libris isto modo correctis sunt orti. Probarem hoc adferendis, quae in promptu sunt, exemplis, nisi uererer, ne inutile quid facerem et id planum facerem, quod cuiuis uariarum lectionum syllogen perlustranti liquebit. Admirandus autem saepenumero correctorum illorum stupor est, qui codicem ex libro diligentius scripto ad fidem pessumi libri correxerint et eas deprompserint ex pessumo libro scripturas, quos ineptissumos indocti librari errores esse intellegitur. Id factum uerbi caussa ab eo esse, qui in Laurentianum primum uarias lectiones intulit, supra p. III. docuimus. Quidam tamen codices ab hominibus non indoctis correcti uidentur esse, ita

ut ex coniectura feliciter ea restitueretur scriptura, quae non est dubium quin in codice principe extiterit. Id factum uerbi caussa in codice uidetur, ex quo Oxonienses C, H, S, et T sunt orti. Hi enim libri nonnullis in locis soli ueram habent scripturam cum B et E, ubi reliqui omnes corrupti sunt. Ex qua re quod conligere quis possit, eos proxume cognatos cum exemplari esse, quod ex codice principe fuerit descriptum, propterea prorsus incredibilest, quod in aliis multo pluribus locis aut consentiunt cum reliquis familiae tertiae codicibus in prauis scripturis, aut multo grauioribus etiam quam alii eiusdem familiae codices corruptelis inquinati deprehenduntur. Quae cum ita sint, neque quomodo inter se cognati sint familiae tertiae codices, neque quinam proxume ex libro, qui descriptus ex codice principe est, orti censendi sint, ullo modo doceri potest. Illut tamen pro certo adfirmare ausim, nullum ex codicibus, quorum uariae lectiones a me sunt congestae, descriptum ex aliquo eorum, quibus usus sum, dici posse. Tantopere a se singuli dissentiunt, quamquam multis in locis denuo mire inter se consentiunt. Ac quae de quorundam inter se consensu dicenda erant, ea iam supra C. I. §. 3. suis locis sunt exposita.

CAP. III.

DE AUCTORITATE CODICUM
SIVE
DE RATIONE, QUA IIS AD EMENDANDAM HANC ORATIONEM UTENDUM SIT.

§. 1.

Quae scripturae consentiente Ambrosiano familiae secundae, et familiae tertiae codicum auctoritate nituntur, eae dubitari nequit quin ab ipso Cicerone profectae sint. Est tamen unus locus, in quo omnes familiae secundae et tertiae codices cum Ambrosiano in falsam uidentur scripturam consentire. Legitur is C. XVII. §. 41., ubi pro *An uero nuper* etc. *Ain uero? nuper* etc. scribendum esse in commentario docui. Set tam facilis error iste fuit, ut nemo non uideat, eum a pluribus librariis simul admitti potuisse.

§. 2.

Non minus genuinae habendae sunt illae scripturae, quas cum Ambrosiano Bauaricus et Erfurtensis habent, reliquis libris aliter scribentibus. Nam in his locis si quis eam scripturam, quae in familiae tertiae codicibus est, genuinam duceret, is statuere deberet, a duobus diuersis librariis iisque diligentioribus, quorum alter Ambrosianum, alter eum codicem, ex quo B et E sunt orti, exarauit, miro consensu Ciceronis uerba in eundem modum commutata esse, seruata autem ab eo, quem uitiatum codicem neglegenter descripsisse scimus. Quod cum ab omni probabilitate abhorreat, scriptura, quam A, B, et E habent, non solum ubi sensui unice aptast, uerum etiam ubi ambiguum uideri potest, utro modo Tullius scripserit, reliquorum codicum lectioni necessario praeferendast. Tenendum autem, reuera sensui numquam non accommodatam trium illorum codicum scripturam esse, aduersari autem saepenumero reliquorum codicum lectionem. Loci hi sunt:

C. IX. §. 23. *Quibus e municipiis uix iam, qui carnem Latinis petant, repperiuntur;* sic A, B, et E; reliqui pro *repperiuntur* scribunt *inueniuntur.*

Ibidem. *Id quod tu huic obesse etiam putas;* sic A, B, et E; reliqui *etiam* ante *huic* conlocant.

C. XIV. §. 33. *An quod reiectae auctiones essent?* sic A, B, et E; reliqui *reiectae* omittunt.

Ibidem. *Oppressa nostra adrogantia ciuitas;* sic A, B, et E; reliqui pro *nostra* scribunt *uestra,* uno excepto χ 3, quem errore in ueram incidisse scripturam certumst.

C. XIV. §. 35. *Sed aut contentione dicendi aut lacessitus;* sic A, B, et E; reliqui *aut* ante *contentione* omittunt.

C. XXVI. §. 64. *Ne mihi aliquid, iudices, uidear adrogare;* sic A, B, et E; reliqui pro *adrogare* scribunt *arrogasse.*

C. XXVII. §. 66. *Quam si mihi tum essent omnes gratulati;* sic A, B, et E; reliqui pro *gratulati* scribunt *congratulati.* Saepe autem in eo a librariis peccatum, quod pro *gratulari* uerbum compositum posuerunt. Ita in hac ipsa oratione C. XXXVII. §. 91. tres codices, quorum nulla est auctoritas, pro *gratulor* scribunt *congratulor.*

C. XXXII. §. 77. *Cum tantum iam Plancio deberem;* sic A, B, et E; reliqui *tantum* omittunt.

C. XXXIV. §. 84. *Rhodi enim, inquit, ego non fui;* sic A, B, et E; reliqui *ego* omittunt.

§. 3.

Porro de eius etiam scripturae ueritate dubitari non poterit, quam Ambrosianus cum solo aut Bauarico aut Erfurtense habet, altero cum familiae tertiae codicibus aliter scribente. Sic leges grammaticae postulant, ut C. X. §. 26. cum A et B scribatur, *quod C. Marium e ciuili ferro atque ex inpiis manibus eripuerunt,* ubi E cum familiae tertiae codicibus *e* praepositionem ante *ciuili* omittit. Quod B *ex* pro *e* scribit, nihil facit ad rem. Non minus certumst, Ciceronem C. XIV. §. 33. non *descendens,* quod in familiae tertiae codicibus est, aut *decendens,* quod B habet, set *decedens,* quae scriptura in A et E extat, ibidemque non *legiones,* quae Bauarici omniumque fam. tertiae codicum scripturast, set *legationes,* id quod in A et E est, scripsisse. Uno in loco communis, set is maxume procliuis error in A et E deprehenditur. Scribunt enim uterque C. XXXIV. §. 83. *sed haec nescio quomodo* etc., cum Tullium non *haec* potuisse, set *hoc,* quod B cum reliquis libris habet, debuisse scribere apertum sit.

§. 4.

Plane nullus autem dubitandi locus, quid Tullius scripserit, in eis locis relinquitur, ubi quam A cum B aut cum E scripturam praebet, omnes aut plurumi certe familiae tertiae codices tuentur. Quod cur ita sit, ex iis liquet, quae paulo ante §. 2. huius capitis monuimus. Itaque non opus est, ut aliis argumentis Garatonium refutemus, qui C. XI. §. 27. cum Bauaricum pro scriptura uolgata, quam A, E, et paene omnes fam. tertiae codices confirmant, *Hic est enim, qui adulescentulus* etc., scribere *Hic enim, qui ad.* etc. conperisset, et *est* et *qui* delendum censuit. Neque adiuuatur ista coniectura eo, quod La etiam cum B facit uerbum *est* omittens, quod ē scriptum facillumo errore sequente *enim* particula excidere potuit, et quod Pa et D, pluruma saepissume uerba omittentes, pronomen *qui* non habent. Eadem de caussa minume cum Erfurtense C. XXXI. §. 76. *lacrimulam tuam* scribi debet, cum ordinem uolgatum A cum B et reliquis libris tueatur.

§. 5.

Numquam illut factum, ut Ambrosianus cum familiae tertiae codicibus consentiat, Bauarico et Erfurtense aliam scripturam offerentibus.

§. 6.

Postremo ubi Ambrosianus ab familiae secundae et tertiae codicibus dissentit, inter se consentientibus, ex loci sententia diiudicandumst, utra scriptura genuina sit. Quamquam hoc pro certo paene adfirmari potest, nisi si Ambrosiani scripturae manifestae corruptelae sint, quibus utique non inmunis est, eam scripturam, quae in Ambrosiano sit, a Cicerone profectam debere existumari. Sic supra C. II. §. 1. solius Ambrosiani auctoritate duo menda, quae omnis codices occupauerant, esse sublata uidimus. Quapropter ex eodem eo minus dubitauimus C. IX. §. 23. *Adiungamus* pro uolgato *Adiungam,* et C. X. §. 24. *timide dicam* pro uolgato *timide dico* recipere, quo facilius priore loco syllabam finalem *us,* quae tenui lineola scribi consueuerit, librari neglegentia potuisse excidere patet, quoque accommodatius altero loco futurum *dicam* consuetudini Tullianaest. Accedit, quod *dicam,* ita scriptum *dicā,* facilius

in *dico*, quam *dico*, si fuisset a Tullio positum, in *dicam* conmutari potuit. Eundem errorem librari in or. de inperio Cn. Pompei C. XX. §. 60. conmiserunt, quo in loco item pro *dico*, quae uolgaris scripturast, Erfurtensis libri auctoritate grauissuma *dicam* scribendum esse, in Praef. ad Uarr. Lectt. ex cod. Erf. enot. p. LXXII. docuimus. Prorsus ambiguum autem uidetur esse, utrum Cicero C. XIV. §. 33. *in medio foro*, quo ordine A uerba haec conlocat, an *medio in foro*, quem ordinem ceteri libri tuentur, et C. XXXI. §. 75. *poterat haec esse inuidia*, quemadmodum A scribit, an *haec poterat esse inuidia*, quae reliquorum codicum lectiost, scripserit. Nam utroque modo uerba conlocare licuit. Sequendum tamen Ambrosianum duxi, qui et antiquiore aeuo quam ille, qui fons familiae secundae et tertiae extitit, scriptus esse, et ex integriore fonte, id quod C. II. §. 1. demonstrauimus, fluxisse uideatur. Aliter tamen iudico de scripturae diuersitate, quae C. X. §. 25. et C. XXVII. §. 66. deprehenditur. Alterum horum locorum familiae secundae et tertiae codices ita scriptum exhibent: *Nam ut omittam illut, quod ego pro eo laborabam, qui ualebat ipse per sese, rogatio ipsa semper est gratiosissuma, quae est officio necessitudinis coniuncta maxume.* Discedit ab iis Ambrosianus eo, quod pro *ipsa* scribit *haec*. Nemo non intellegit, alterutra scriptura si, de quo nego dubitari posse, a Tullio putetur profecta, alteram necessario non ex librari errore set correctione debere ortam existumari. Id autem fieri etiam ab eo potuit, qui antiquiorem codicem Ambrosianum scripsit; factum esse, ex loci sententia certo puto conligi posse, cui primo aspectu *haec* pronomen propter sequens relatiuom *quae* multo aptius quam *ipsa* respondere uideatur. Contra *ipsa* quamquam aptissumum sensum praebet, id quod in commentario docui, tamen multost obscurius dictum, quam ut ab librario pro *haec* esse positum ullam habeat probabilitatis speciem. Itaque et hoc loco codicis Ambrosiani auctoritatem neglegendam duxi, et altero illo (C. XXVII. §. 66.), in quo pro uolgata scriptura, *haut scio, an plus mihi profuerit*, solus habet, *haud scio, an pluris mihi fuerit;* quae scriptura a sensu loci alienissumast.

§. 7.

Deficiente Ambrosiani auctoritate, qui paucos tantum huius orationis locos seruauit, maxuma Lanarici et Erfurtensis auctoritas est. Qui ubi consentiunt cum familiae tertiae codicibus omnibus, tantum intelleguntur auctoritatis habere, quantum codex princeps, qui fons familiae secundae et tertiae extitit, si seruatus esset, haberet. Eum autem codicem iam supra C. III. §. 1. docuimus corruptelis aliquot fuisse deprauatum. Itaque solo illo consensu numquam adduci possumus, ut scripturam, quam omnes familiae secundae et tertiae codices praebent, ob eam ipsam caussam genuinam credamus esse. Quamquam illut negari omnino nequit, eas scripturas, in quas familiae secundae et tertiae codices omnes consentiant, maxumam partem eiusmodi esse, quae quin a Tullio ipso profectae sint dubitari non possit.

§. 8.

Porro eas quoque scripturas, quas B et E cum plurumis aut multis certe familiae tertiae codicibus habeant, fere semper in codice illo principe extitisse, ideoque alteras, quae in paucis deterioris illius familiae libris tantummodo sunt, aut ex correctione aut ex neglegentia librari ortas esse, iure meritoque statui potest. Contrarium enim si uerum putaremus, existumandum esset, et ab eo librario, qui ex codice principe illut descripsit exemplar, ex quo B et E sunt orti, et ab iis omnibus, qui libros exararunt, in quibus eadem atque in B et E scriptura extat, fortuito consensu uerba, quae in codice principe scripta erant, in eundem modum conmutata esse. Quod cum prorsus sit inprobabile, nihil dubito, quin mendosas quoque scripturas, quas aliquot in locis B et E cum plurumis familiae tertiae codicibus habent, fere ubique ex codice principe propagatas, uerasque, quas pauci familiae istius codices habent, a correctore profectas esse contendam. Paucissumi tantum loci sunt, in quibus cum maxume procliui errore uera scriptura a pluribus simul librariis in eundem modum deprauari posset, equidem non recusem, quin genuina scriptura ex codice principe deprompta et per paucos tantum librarios seruata exi-

stuuntur. En omnis illos locos, in quibus manifesto B et E cum plerisque familiae tertiae codicibus in prauam scripturam consentiunt, paucis eiusdem familiae libris genuinam Tulli manum exhibentibus.

C. XI. §. 27. *Fuit in Creta postea contubernalis Saturnini, propinqui sui, miles huius Q. Metelli; cui cum fuerit probatissumus.* Sic soli Mb, La, et H scribunt. Erfurtensis cum multis aliis libris pro *cui* habet uitiose *qui;* reliqui *quibus* scribunt. Bauaricus, de quo tacetur, non dubito quin cum Erfurtense faciat. Docui in commentario, necessario *cui* esse scribendum. Neque tamen eam scripturam in Mb, La, et H puto ex codice principe transisse, in quo uix quicquam certius est quam *qui* scriptum extitisse. Illut *qui* cum a sensu alienum esse intellectum esset, ab aliis in *quibus*, ab aliis in *cui* mutatumst, retentum a modestioribus tantum librariis. Saepissume autem uel in antiquissumis codicibus palimpsestis *qui* pro *cui* scriptum extare, testatur A. Peyron ad Lectt. Uarr. ad orat. pro Cluent. etc. p. 201.. Adde Garatonium ad or. Pison. C. XXIII. p. 365. ed. Neap.. Error ortus fortassis etiam ex eost, quod primitus *quoi* scriptum fuit, qua forma multo saepius, quam nunc uidentur editores putare, Cicero omninoque scriptores latini usi sunt. Cfr. Niebuhrius ad fragm. or. Fontei. p. 61 sq., et Praef. ad Uarr. Lectt. ex cod. Erf. enot. p. LXXX.

C. XVIII. §. 44. *Neque ego nunc consilium reprehendo tuum, quod eas tribus, in quibus hic maxume notus, non edideris.* Particulam negatiuam *non*, ad sensum prorsus necessariam, soli Ma, Lc, et ψ recte ante *edideris* habent. B et E cum multis aliis libris plane omittunt; nonnulli ante *eas* conlocant, quo loco uolgo ab editoribus male positam esse, in commentario demonstraui. Iam in quibus codicibus ante *eas* posita reperitur, in eos non dubium est quin ab librariis uel interpretibus inlata sit. Quod cum ita sit, nonne multost probabilius, in Ma, Lc, et ψ etiam felici casu per interpretem suo loco inuectam esse particulam illam, quam, si fuisset posita in codice principe, tot librarios consentienter omissuros fuisse?

Eodem modo ab interpretis manu profectam ueram scripturam puto in his locis:

C. XXII. §. 53. *At nonnullas punctis paene totidem;* sic Mc, Lc, S, et ψ; reliqui pro *At* uitiose habent *An.*

C. XXIII. §. 56. *Non quo mihi fas sit quicquam defugere;* sic referuntur S, ψ, et duo Lambb. scribere; reliqui pro *defugere* male habent *effugere.*

C. XXIV. §. 59. *An futuram esse filio meo, qui esset familia consulari;* sic Mc, Lc, et pauci alii; longe pluruma pars librorum cum B et E male pro *qui* scribunt *quia.*

Ibidem. *Quae scripsit grauis et ingeniosus poeta;* hic quoque plerique cum B et E uitiose *Quare* pro *Quae* scribunt. Est autem haec permutatio frequentissuma.

C. XXVI. §. 63. *Quid? alii quaestores non fecerunt?* Sic solus Lb, quem supra C. I. §. 3. certissumis exemplis manum interpolatricem expertum esse demonstrauimus; reliqui pro *non* habent *nonne.*

C. XXVII. §. 66. *Pressi forum; neminem* etc.; sic S et T et fortasse alii; longe plurumi cum B et E male *eorum* pro *forum* scribunt.

Ex codice principe ueram scripturam in his duobus tantum locis propagatam puto:

C. XXXVI. §. 88. *Ubi enim praesto fuissent mihi aut tam fortis consul;* sic Lc et ψ; reliqui male pro *fuissent*, quod cur a plurumis librariis mutatum sit sponte intellegitur, habent *fuisset.*

C. XLI. §. 100. *Ui me, ui me, inquam, Plancius et conplexu suo retinuit;* sic Ma, Mb, Lc, et F 1; reliqui male semel tantum *ui me* scribunt.

Omisi eos locos, in quibus aliquot familiae tertiae codices uerba omittunt, quae ambiguum potest esse utrum neglegentia librari exciderint, an ab interprete addita sint. De iis infra Lib. II. c. 1. dicendi locus dabitur.

§. 9.

Bauaricum et Erfurtensem innumeris locis aliam atque familiae tertiae scripturam praebere, supra C. II. §. 2. ostensumst. Neque dubito, quin cuiuis uel primo aspectu patuerit, in locis longe plurumis

eam, quam B et E habeant, scripturam genuinam esse, falsam autem et a librariis deprauatam illam, quae in familiae tertiae codicibus extet. Nihilominus multis de caussis non inutile duco, hic quoque uiam indicare et rationem, qua tractandi loci sint, in quibus familiae secundae et tertiae codices diuersas scripturas offerant. Dissentiunt autem B et E a reliquis codicibus quattuor potissumum modis: nunc alia quam illi uerba habent uel uerborum formas, nunc alio ordine conlocant uerba, nunc addunt, quae in illis desunt, nunc omittunt, quae in illis scripta extant. De additionibus et omissionibus infra dicemus, cum de iis codicum scripturis exponetur, quae interpolationis suspicionem mouere possint. Ibidem illi pertractabuntur loci, in quibus diuersa uerba, quae familiae secundae et tertiae codices habent, eiusmodi sunt, ut neutra esse menda ab librariis admissa uel corruptelae dici possint. In reliquis locis, ubi alterutra scriptura manifesto corruptelast, fere semper genuina in B et E seruata reperitur. Sine dubio ueram scripturam B et E seruarunt in his locis:

C. I. §. 2. *me ipsi;* ibidem *hominem studiosissumum et dignitatis et salutis meae;* C. V. §. 12. *supplicari; se* etc.; C. V. §. 13. *populus Romanus ad ea te tempora;* C. VI. §. 14. *uidero, dicam;* C. VI. §. 16. *si dicerem;* C. VIII. §. 21. *nostra municipia;* C. IX. §. 22. *non fucosa;* C. X. §. 24. *populum tributim;* C. XII. §. 29. *cum uidetis*; C. XII. §. 30. *a iuuentute;* C. XIV. §. 34. *Planci uox;* C. XV. §. 37. *copiosissume;* C. XVI. §. 38. *quid cum Ufentina;* C. XVI. §. 40. *consessum meorum iudicum;* C. XVII. §. 41. *nomen editici iudicis;* C. XVII. §. 42. *ut huic — ederes;* C. XVII. §. 43. *et ea uoluntas;* C. XIX. §. 46. *gratiosi sint;* C. XIX. §. 48. *num possum;* C. XX. §. 49. *latum suffragium; diribitae;* ibid. *ain tandem;* C. XXII. §. 54. *a Plotio Pedio;* ibid. *crimen uocando;* ibid. *te producere;* C. XXVI. §. 65. *num quidnam esset;* C. XXIX. §. 71. *nihil timerent;* C. XXX. §. 74. *propter rei magnitudinem;* C. XXXI. §. 75. *mihi igitur obicies;* C. XXXII. §. 78. *saepe concurrunt;* C. XXXIII. §. 82. *isti tuo crimini, meque̍;* ibid. *si quae forte;* C. XXXIV. §. 85. *in petitionem tuam;* C. XXXV. §. 86. *grauia atque magna;* C. XXXV. §. 87. *non sierint*, quae scriptura certe propius quam reliquorum ad genuinam Ciceronis manum accedit; C. XXXVIII. §. 92. *quamtum a me haberet;* C. XL. §. 95. *a C. Uergilio;* C. XLII. §. 101. *gratias relaturum;* ibid. *de horum desiderio.*

Contra duo tantummodo loci sunt, in quibus B et E leuem corruptelam habent, reliquis libris genuinam scripturam exhibentibus. Alter legitur C. XIX. §. 47., ubi B et E male pro *Iam*, quod familiae tertiae codices habent, *Nam* scribunt; alter C. XL. §. 95., in quo B et E pro genuina lectione, quam reliqui libri seruarunt, *extremum quod dixisti,* uitiose scribunt, *extremum in quo dixisti.* Qui error quam facile committi potuerit, non opus est ut uerbo doceam.

Itaque ibi etiam, ubi B et E uerba aliter quam familiae tertiae codices conlocant, semper sequendam B et E auctoritatem duxi. Neque id sine idonea caussa. Nam cum in iis locis, in quibus e sensu certo diiudicari potest, quo modo Cicero uerba et conlocarit et conlocare debuerit, is ordo, quem sententia flagitat, semper in B et E seruatus reperiatur, reliquis libris uitiose uerba conlocantibus: nemo non intelleget consentaneum fuisse, ut ibi quoque B et E auctoritati obsequerer, ubi e sensu decerni non potuit, utro modo a Tullio uerba fuissent conlocata. Accedit, quod in illis locis, quos Ambrosianus seruauit, is quoque in illo familiae secundae et tertiae codicum dissensu semper cum B et E, numquam cum familiae tertiae codicibus facit.

Loci, in quibus sensus docet, quo ordine uerba a Tullio posita fuerint, hi sunt:

C. V. §. 12. *ad eum potius;* sic B et E; reliqui *potius ad eum.* — C. IX. §. 23. *huic obesse etiam;* sic B et E adsentiente Ambrosiano; reliqui *etiam huic obesse.* — C. XI. §. 27. *uitia mehercule Cn. Planci res eae;* sic B et E; reliqui *uitia m. res eae Cn. Planci.* — C. XXXI. §. 76. *non significarem dolorem meum;* sic B et E; reliqui *non dolorem meum significarem.* — C. XXXVI. §. 89. *quem — constat inuitissimis uiris bonis cessisse;* sic B et E; reliqui *quem — inuitissimis uiris constat bonis cessisse.*

Ambiguum est in his locis:

C. I. §. 3. *neque adrogo iudices;* sic B et E; reliqui *iudices neque adrogo.* — C. IV. §. 10. *tecum*

ita contendam; sic B et E; reliqui *ita tecum contendam.* — C. XI. §. 28. *legationem suam et mandata;* sic B et E; reliqui *legationem et mandata sua.* — C. XII. §. 30. *generis dico et nominis;* sic B et E; reliqui *generis et nominis dico.* — C. XVII. §. 43. *propter necessitudinem ac uicinitatem;* sic B et E; reliqui *propter uicinitatem ac necessitudinem.* — C. XX. §. 50. *Laterensis, si id;* sic B et E; reliqui *si id, Laterensis.* — C. XXIII. §. 55. *sed neque tu haec habes;* sic B et E; reliqui *sed neque tu habes haec.* — C. XXIII. §. 56. *more meo pristino;* sic B et E; reliqui aliter et inter se dissentiunt. — C. XXV. §. 62. *nemo est honore dignus;* sic B et E; reliqui aliter et inter se dissentiunt. — C. XXVI. §. 64. *aut clariorem aut gratiorem;* sic B et E; reliqui *aut gratiorem aut clariorem.* — C. XXVI. §. 65. *in iis locis solent esse;* sic B et E; reliqui aliter et inter se dissentiunt. — C. XXXII. §. 78. *idcirco minus iudices;* sic B et E, post *minus* addentes *libenter;* reliqui *iudices idcirco minus.* — Ibid. *quo me tandem in te animo putas esse;* sic B et E; reliqui *quo me tandem animo in te putas esse.* — C. XXXVII. §. 90. *si umquam uitae cupiditas in me fuisset;* sic B et E; reliqui *si umquam in me uitae cupiditas fuisset.* C. XXXVII. §. 91. *quod te esse in re p. liberum es gloriatus;* sic B et E; reliqui *esse* et *es* aliter conlocant. — C. XXXVIII. §. 91. *sin autem aliquando sine ullo rei p. detrimento respicio etiam salutem;* sic B et E; reliqui *aliquando* ante *salutem* ponunt. C. XLII. §. 103. *per uos, per fortunas, per liberos uestros;* sic B et E; reliqui *per uos, per fortunas uestras, per liberos.*

De quibusdam horum locorum infra denuo dicendum erit.

§. 10.

Dissentientibus inter se familiae secundae et tertiae codicibus eam fere ubique genuinam uidimus scripturam esse, quam familiae secundae codices, id est B et E, habeant. Sequitur, ut moneamus, quid de iis scripturis iudicandum sit, quas solus aut Bauaricus aut Erfurtensis praebeat, altero cum familiae secundae codicibus consentiente. De additionibus et omissionibus pariter atque de iis lectionibus, quae interpolationis suspicionem mouere possint, hic quoque dicere nunc omittimus. Praeterea iam supra C. II. §. 2. adlatis exemplis planum fecimus, nunc B solum, nunc solum Erfurtensem genuinam scripturam seruasse, unumquemque eorum autem passim amanuensis neglegentia leuibus quibusdam mendis deprauatum esse. Ex quo conficitur, singuli cuiusque eam auctoritatem esse, ut scriptura, quam solus aut B aut E habeat, si sensui loci prorsus sit accommodata, altera autem neque apta satis sit et ex facili describentis errore oriri potuerit, sine ulla dubitatione recipienda sit. Contra cauendum uehementer est, ne aliquo mendo, quod aut in B aut in E sit, ad adtemptandam uolgatam scripturam abutamur. In eam partem nonnumquam peccauit Garatonius. Ubi utraque scriptura sensui apta erat, eam recipiendam duxi, quam familiae tertiae codices tuebantur. In uerborum tamen conlocatione nonnumquam ambigebamus, utrum solius aut B aut E auctoritatem sequeremur, an eum retineremus ordinem, quo uerba in familiae tertiae codicibus adsentiente aut B aut E posita erant. Ut omne temeritatis crimen effugerem, hanc mihi scripsi legem, ut tum tantum unius duorum illorum codicum auctoritati obsequerer, cum ordo uerborum, qui in solo aut B aut E fuit, aut sensui solus uidebatur accommodatus, aut tam exquisitus, ut ab librario institutus existumari non posset. Itaque solo E auctore C. XXXIII. §. 80. non dubitaui scribere: *nihil est quod malim, quam me et esse gratum et uideri,* cum in reliquis codicibus omnibus scriberetur, *et gratum esse et uideri.* Tenendum tamen, de Bauarici illius loci scriptura taceri, quem ego paene pignore posito contendere ausim cum Erfurtense facere. Contra solum Bauaricum non sum secutus C. XXXIX. §. 93. pro uolgato ordine *memoriam et gratiam quaerunt* scribentem: *memoriam quaerunt et gratiam.* Facillume enim describentis oculus a uerbo *memoriam* statim ad uerbum *quaerunt* potuit aberrare, ita ut amanuensis scripto demum uerbo *quaerunt* interiecta uerba *et gratiam* se omisisse intellegeret et post *quaerunt* conlocaret.

§. 11.

Ubi B et E ita a se inuicem dissentiunt, ut unusquisque partem reliquorum librorum secum consentientem habeat, e sola loci sententia iudicium fieri potest, utro modo Tullius scripserit. Quotiens a sensu

neutra scriptura aliena erat, difficiliorem et exquisitiorem recepi. In uerborum conlocatione non raro accidit, ut E cum plurumis uel omnibus codicibus iis, qui a me primum consulti sunt, a uolgato ordine recederet. Quibus in locis si ex silentio Garatoni conligi potuisset Bauaricum tenere uolgatum ordinem, cumque eo certum fuisset reliquos libros, qui ab aliis conlati sunt, consentire, fortasse ordo uolgatus retinendus fuit. Uerum cum Garatoni silentium hac in re nihil fere probet, exploratumque sit, eos, qui ante me codices ad emendandam hanc orationem contulerint, ad uerborum ordinem, qui in codicibus erat, minume adtendisse: non dubitaui eo ordine ponere uerba, quo in multis iisque bonis codicibus posita esse sciebamus, cum uolgatus ordo quorum codicum auctoritate niteretur, plane incertum esset. Accedit, quod in plerisque locis, nisi me omnia fallunt, is etiam a sententia postulatur uerborum ordo, qui in E plurumisque familiae tertiae codicibus est. Cfr. C. I. §. 2. *non cara fuerit;* ibid. §. 3. *petam a uobis iudices.*

§. 12.

Numquam accidit, ut aliam scripturam B, aliam E, aliam familiae tertiae codices praeberent, ideoque triplex extaret scriptura, si exceperimus eos locos, in quibus alius uerborum ordo in B, alius in E, alius in tertiae familiae codicibus est. Uerum de his, qui ubique iustam interpolationis suspicionem moneant, infra dicendi locus erit. Excludo etiam, qui fortasse cuipiam huc referendi uideantur, C. VIII, 19. *suorum municipum honore*, ubi B *honore* omittit, familiae autem tertiae codices *hospitum suorum honore* scribunt; et C. XIII. §. 32. *uetustate equestris nominis*, ubi E *nominis* omittit, reliqui autem pro eo uerbo *ordinis* habent. Nam nec priore loco *honore* nec posteriore *nominis* quin librari errore omissa sint, dubium esse potest. Nihilominus de his quoque locis infra dicendum est.

§. 13.

Contra extant duo loci, in quibus et B et E inter se discrepant, et familiae tertiae codices denuo aliter scribunt, set ita ut alii aliam scripturam praebeant. Post ea, quae de cognatione codicum monuimus, facile erit intellectu, quam editores *) adhuc in eis tractandis ingressi sint uiam, eam minume probabilem esse. Prior locus legitur C. III. §. 7. et in codice Erfurtense sic scriptus extat:

---

*) Etsi editorum ad h. locum adnotationes mea sententia nullius fere preti sunt, tamen ne quid in mea editione desiderari homines quidam docti quererentur, ipsa eorum uerba hic describenda putaui. *Quid? tune aequum dignitatis iudicem putas*] Omnes libri manuscr. habent *tu inanem;* uolgati, *tu non inanem;* utraque scriptura mendosa, set antiqua propius abest a recta. Omnino legendum, *tune aequum* etc.. Sic enim disputabat Laterensis: ubicumque duo eundem magistratum petunt, qui superior est altero dignitate, is magistratum obtineat necessest, si populus aecus est dignitatis iudex; quod si non obtineat, largitione superiorem fuisse conpetitorem dicendumst. At populus semper est aecus dignitatis iudex; et ego, qui dignatione Laterense superior sum, nihilo minus a Laterense in campo superatus sum. Largitione igitur me superauit Laterensis. M. Tullius Laterensis argumentationem sic infirmat, negando, populum semper aecum esse dignitatis iudicem. Tune, inquit, aecum dignitatis iudicem populum semper esse putas? proinde quasi dicat, non semper est. Praeterea non ita locuntur Latini, *iudex est inanis*, set *iudex est inicus*, quo modo infra non longe loquitur; neque *iudex non inanis*, set *iudex aecus*, aut *non inicus.* Cum haec olim notassem, homo bliteus et, quod grauius est, *κακοήθης* hanc emendationem inprobauit, et lectionem quandam uolgatam, quam conmemoraui, *tu non inanem*, tutari conatus est, iam antea a me reiectam et iure dampnatam; et grauis auctor scripsit, negationis particulam ad uocem *inanem* esse referendam, non ad uerbum *putas:* quasi aliter intellexerim aut omnino quisquam mortalis intellegat. *LAMBINUS. Quid? tu non inanem* etc.] Lambinus habet, *tune aequum;* set ita nulli libri, in quibus tantum *tu inanem*, aut *tune inanem*, ut forte fuerit, *tu ne inanem. GRUTERUS.* Franc. uterque et ed. prima, ut multi alii: *Quid? tu inanem* etc.. Non nego *inanem* mihi quoque suspectum esse, ut et fuit Fuluio et Lambino, qui uere dicit, *inanis iudex* a latine loquentium consuetudine abhorrere. Ex solo Erfurtense hic locus est refingendus, in quo legitur: *Quid tum? An* etc.. Sed pro *tum* lego ex aliis libris *tu.* A Franci utroque et editione mea [omninoque ab omnibus codicibus] *non* quoque abest. In *tum,* quod est in Erf., *m* in aliis libris mutatum fuit in *in*, quod cum *an* postea coaluit, quibus alii syllabam *em* adiecerunt. Hinc natast corrupta, quae libros obsidet, scriptura: *tu an*

Quid tum? An dignitatis iudicem putas esse populum?

Bauaricus pro *tum? An* habet *tu magni;* reliquorum codicum pars longe maxuma *tu inanem*, pauci *tune inanem;* duo Oxon. H et S *tune;* duoque item Oxon. C et T *tu* scribunt. Nolui autem uariis lectionibus eam adnumerare, quam Ursinus in uetere codice extare dixit: *tu grauem.* Nam hanc hominis docti potius correctionem, quam libri manu scripti lectionem esse, omniumst certissumum. Uide quae supra C. I. §. 3. de codice Ursiniano dixi. Recentiores editores inde ab Ernestio omnes excepto Schutzio eam genuinam putarunt scripturam, quae in C et T repertast. Non recte. Nam ex eo, quod Erfurtensis *tum? an*, familiae autem tertiae codices fere omnes *tu inanem* scribunt, aperte intellegitur, in codice principe aliquid debere scriptum extitisse, quod harum corruptelarum occasionem praebuerit. Etenim quis tandem librarius suopte ingenio existumari potest uerbum *inanem* fuisse additurus, quod omni modo absurdumst, si nihil eiusmodi in codice, quem describebat, scriptum fuisset? Nihil autem probabilius, quam id ipsum fere in codice, ex quo familiae tertiae libri orti sunt, scriptum extitisse, quod E habet *tum? an.* Ex eo iam Graeuius corruptam, quae plerosque libros obsidet, scripturam esse ortam uerissume indicauit. Nam *m* littera mutatast in *in*, quae litterae postquam cum *an* coaluerant, adiecta *em* syllaba *inanem* scriptumst. Alii deinde librarii interrogationis indicandae caussa *tu* pronomini *ne* particulam adiecerunt. Itaque hoc equidem certissumum puto, in eo codice, qui fons familiae secundae et tertiae extitit, non ita locum hunc scriptum fuisse, ut in C et T, et in H et S scriptus est repertus. Confirmat hanc sententiam etiam Bauarici scriptura, *tu magni* exhibentis, quae quo absurdiorem sensum praebet, eo minus potuit a librario codicis Bauarici proficisci, si non simile quid in codice, quem describebat, positum fuisset. Ex quo autem illa lectio orta sit, certo sane dici nequit. Garatoni saltem sententia, cuius adnotationes ad h. l. in imum marginem reiecimus, mihi non probatur. Equidem nihil dubito, quin mera deprauatio sit eius scripturae, quam reliqui libri omnes exceptis C, H, S, et T, quos correctricem manum expertos esse iam alibi declarauimus, in codice principe extitisse extra omnem controuersiam ponunt, id est, *Quid tum an.* Ac *tum* quidem quiuis intellegit ex *tune* fuisse corruptum, saepissume enim *tum* et *tune* confusa reperiuntur. Cfr. Praef. ad Uarr. Lectt. ex cod. Erf. enot. p. XXXIV. et LVII.. Habemus igitur *Quid tune an.* Iam uero Ciceronem ita scri-

---

pro *an tu.* *GRAEUIUS.* Ualde uariant hic libri. Abest a plerisque [immo ab omnibus] *non.* Erf. etiam omittit *inanem:* unde Graeuius edidit, *tu an dignitatis* etc.. *Inanem* sine dubitatione uitiosumst, idque adgnoscit Gruterus. Ego aut Graeuium sequar, aut legam: *tu idoneum dignitatis* etc.. Interea Graeuium secutus sum, set omisi *an*, ad uitandum hiatum duriorem, quia in libris non est, nisi in Erfurtense. *ERNESTIUS.* Codices C. Steph., Barb., et meus, item prior Uen.: *quid tu inanem.* Rom., altera Uen., Naug., et Camer.: *quid tu ne inanem.* Manutius: *tu non inanem*, quod retinuit Gruterus, a librorum fide discedens: nam ego certe [et recte] Manutianum arbitror illut *non*, cum nullo in codice repertum uideam. Nuper tamen extitit Oliuetus, qui omnibus desertis libris ederet, *quid? tu non dignitatis* etc.. Esset saltem recta emendatio, set peruertitur eo modo sententia, nec, si errandum erat, codices deerant errantes, quos cum Naugerio sequeretur. Placeret mihi, quod mox e Mso profert Ursinus, *quid tu grauem*, nisi optumus Erf. utramque uocem adiectitiam esse suaderet, tam *inanem* scilicet quam *grauem.* Itaque rectius Graeuium secuntur Uerburgius et Lallemandus; potuit etiam esse: *quid tune dign.* etc., uel *tu dign.*, ut maluit Ernestus. Duas autem illas, quas dixi, uoces non esse legitumas, ostendunt etiam quae c. 4. leguntur: *non enim comitiis iudicat semper populus,* ibidemque: *comitiis praesertim aediliciis studium esse populi, non iudicium.* *GARATONIUS* I. Bauaricus: *Quid? tu magni dign.*, h. e. *Quid tum? agni dign..* Mendose *tum*, quod est etiam in Erfurtense; ex *tun'* pro *tune* factum puto. Alterum mendum *agni* ortum uidetur ex *anne.* Ita lectiones emergunt duae: *Quid? tun' dign.*, et *Quid? anne dign..* Nisi mauis *magni* fuisse *magnum*, cum similiter in aliis uideamus *inanem* et *grauem.* Quae omnia cum sint adiectitia, id restat, ut uel *tun'* uel *tu* tantummodo admittatur. Deest uero *an* etiam in codice Ursini, omnibusque Oxoniensibus, quorum duo habent: *Quid? tu dign.*, ut Ernestus optume, duo alii *tu inanem*, quattuor denique firmant *tune.* Omnino *an* ex Graeuiana lectione tollendum censeo. *GARATONIUS* II. Frid. Sal. Huldrico (in Progr. edito Anno 1798.) mihique unice uera uidetur lectio: *Quid? tu dignitatis* etc., cum tota sententiae uis insit in ipso *dignitatis* uocabulo. *ORELLIUS.*

bere non potuisse, ideoque ipsum illum codicem principem hoc loco interpolatione quadam auctum debere existumari, manifesto apparet. Cum iis autem uiris doctis, a quibus profecta scriptura codicum C et T est, recentioribusque editoribus et *ne* et *an* eicere, mihi perquam temerarium uidetur. Utramque enim particulam ab interprete adiectam esse, minume uero similest. Contra solam *an* particulam si ut spuriam expellimus, quod fecerunt ii, qui codices H et S exararunt, et sententia loci optume se habebit neque a codicum auctoritate longius quam par est recedemus. Nam postquam *tune* in *tum* fuit mutatum et cum antecedente *quid* perperam coniunctum, quid tandem facilius fieri potuit, quam ut librarius uel interpres interrogationis indicandae caussa ante sequentia *An* poneret? Sic in hac ipsa oratione C. XXVI. §. 63. mala uerborum coniunctione deceptum librarium pro *non fecerunt* scripsisse *nonne fecerunt* certumst. Neque dubito, quin idem ibi *ne* adiecerit librarius, qui huic loco *an* inseruit. Sententiam autem quod adtinet, falso Orellius, qui *Quid? tu d.* scripsit, praeeunte Huldrico propterea negauit *tune* aptum esse, quod tota sententiae uis in *dignitatis* uocabulo inesset. Nam esse etiam in pronomine *tu* uim quandam, ex eo perspicitur, quod in initio interrogationis positumst. Non rarum autem, ut duo uel plura etiam uerba in una enuntiatione interrogatiua praecipua ui ornentur. Sic Cic. Tusc. Quaest. I, 15, 22.: *Quid in hac re p. tot tantosque uiros, ob rem p. interfectos, cogitasse arbitramur? isdemne ut finibus nomen suum, quibus uita terminaretur?* Quo in loco et *isdem finibus* et *nomen* et *uita* praecipuam uim habent. Adde Cic. Orr. Partt. c. 20. §. 68. *Quid? tu aliamne censes et non eandem, quaest exposita, ut ex eisdem locis ad fidem et ad inueniendum ducantur omnia?*

Alter locus legitur C. XXIV. §. 59. et in codice Erfurtense, cui Ox. C. accedit, sic scriptus extat: *Quamquam ad praecepta aetas non est grauis;* Bauaricus pro *grauis* habet *gnarus*, reliqui fere omnes *gnatus*, pauci *gnati*, pauciores *generatus*, unus *gnata*. Ac primum quidem, ne quis codicis C, qui cum Erfurtense solus consentiat, aliquam auctoritatem putet esse, monendumst, quae hic in illo libro extet scriptura, eam minume ex eo codice, qui parens familiae tertiae fuit, in illum translatam, set a correctoris manu profectam esse necessario statui debere. Uide quae supra C. II. §. 3. monui.

Editores, quorum ad h. l. adnotationes integras in imum marginem reiecimus *), triplicem potissumum huius loci conformandi uiam ingressi sunt. Lambinus, qui nondum Erf. scripturam nosset, ita

---

*) *Ad praecepta aetas non est nati*] Libri ueteres habent, *ad p. aetas non est generatus;* quod subindicat, hic aliquid subesse ulceris. Hoc igitur sanet lector eruditus. Quidam [homines docti] sic legunt, *aetas apta nati*, seu *gnati;* ego autem sic potius, *ad praecepta apta aetas non est nati.* Credibilest enim, uocem *apta* omissam esse a librario errante propter similitudinem ultimarum litterarum uocis *praecepta.* *LAMBINUS.* Erf. *aetas non est grauis;* non ad illam grauem aetatem uenit, quae possit haec praecepta intellegere. Cic. de senect.: *Ut enim infirmitas puerorum et ferocitas iuuenum et grauitas iam constantis aetatis: sic senectutis maturitas naturale quaddam habet, quod suo tempore percipi debeat.* *GRAEUIUS.* *Grauis* id est satis constans. Sic Ms. Erf.. Edd. pr. *gnatus*, unde factum *gnati* s. *nati*, primum ab Aldo. Supernacuum erat addere nomen fili, et dixisse *fili* uel *pueri.* Uestigia uerae lectionis sunt in lectione uetere *gnatus.* *ERNESTIUS.* Hunc persanasse locum arbitror Pareum in Lex. Crit. p. 429., siue Gifanium nominari mauis, ex quo ille profecit, cum legit, *quamquam ad praecepta aetas non est*, eiecto illo plane uocabulo, in quo uariatur. Frustra *grauis* a Graeuio et Ernesto probatur, quae ceteris tolerabilior est glossa; monstra uero sunt illa, *generatus*, et *gnatus*, quod est in Rom. et priore Uen., in meo cod. et in Barb. a manu prima: nam in hoc emendatum, in meo adscriptum est *gnati*, quae uolgata fuit lectio usque ad Graeuium, deinde ad Ern. usque resumpta. Etiam forte [nihil inprobabilius] *generatus* glossa fuit uocis *ortus;* certe unus ellipsin loci supplet Erfurtensis. Quid autem clarius, quam hoc, *aetas ad praecepta illi non est?* hunc splendorem, si *grauis* addere uolueris, infuscaueris. *Apta* potius, *idonea* subaudiatur, ut in uolgata. Similia dabo ad c. 42. pro Sest. [quae infra descripta uidebis]. *GARATONIUS* I. Hic libri plane omnes corrupti sunt. Bauaricus *aetas non est gnarus*, *quare* etc.. Nos iam olim Gifanio uocem illam inportunam eicienti, quae sanari non potest, adsensi sumus. *Aetas ad praecepta non est*, nimirum idonea. *GARATONIUS.* Locus difficilis cum propter codicum discrepantiam, tum quod in nulla lectione, quaecumque demum defenditur, idonea sententia inesse uidetur. Siue enim *grauis* adsumas post *non est*, siue *idonea*

hunc locum scribi uolebat: *ad praecepta apta aetas non est nati.* Graeuius recepit, quod in Erf. reppererat, secumque consentientis habuit Ernestium et Schutzium. Garatonius, quem secutus Orellius est, praeeunte Pareo *grauis* eiciendum putauit, ideoque hanc ueram credidit scripturam esse: *quamquam ad praecepta aetas non est.*

Dupliciter peccarunt, qui Parei iudicio subscripserunt. Prior error hic est, quod uerbum *grauis,* quod in Erf. est, ab interprete potuisse proficisci putarunt. Qui cum ipsi non illut uerbum, set *apta* uel *idonea* supplendum esse dicerent, profecto eodem modo sibi debebant persuasum habere interpretem etiam, si quid addidisset, non *grauis* set eiusdem modi uerbum fuisse adiecturum. Alter error in eost positus, quod reliquorum codicum scripturas pro nihilo putauerunt. Eas si diligentius considerassent, omnis unice codicis Erfurtensis scripturam confirmare intellexissent. Reuera autem omnium codicum exceptis E et C duplex tantum scripturast, aut, si uerius loqui uolumus, una tantummodo; altera Bauarici, qui scribit *gnarus,* altera plurumorum familiae tertiae codicum, qui scribunt *gnatus.* Quae in aliis pessumae notae libris extant scripturae *gnati* et *gnata,* eae, si quicquam certumst, ab librariis male sedulis, qui *gnatus* sensu carere intellexissent, ortas esse certissumumst. Neque puncto temporis dubitari potest, quin, quod duo corruptissumi libri, Pb et Pc, quibus Lambiniani accedunt, habent, *generatus,* mera deprauatio uerbi *gnatus* sit. Relinquntur igitur duae scripturae, *gnarus* et *gnatus,* quarum neutram ab interprete profectam esse, luce meridiana clarius est. Itaque negari prorsus nequit, debuisse in codice principe aliquid scriptum fuisse, quod in has duas scripturas deprauari potuerit. Iam quid tandem uero similius est, quam scriptum ibi fuisse *grauis,* fortasse sic exaratum, ut singularum litterarum ductus non satis possent adgnosci? Id quam facile tum in *gnarus* tum in *gnatus* potuerit mutari, intelleget, qui meminerit, primum super *i* litteram punctum in antiquioribus codicibus, qualis fuit codex ille princeps, non poni, porro *r* litteram proclini errore cum *n* confundi potuisse, postremo *r* et *t* litteras ab *i* littera leuissume differre. Quae cum ita sint, quaeuis explicandi potius temptanda uiast, quam ut mutetur scriptura codicis Erfurtensis, quem saepius solum integram Tulli manum conseruasse, supra ostensumst. Esse autem reuera scripturam illam sensui accommodatissumam, in commentario satis a me demonstratum puto esse, ita ut neque Lambini neque Baki coniecturas uerbo refutare amplius opus sit.

---

intellegas, quod Gar. commendat: neutrum bene Latinum esse contendo, quaeque Gar. adfert exempla, omnia aliena esse. Fac tamen sic posse dici, quid istuc tandem erit, soleo filio meo praecipere, quamquam nondum percipere potest praecepta? Audacem proponam coniecturam, set quae aliis fortasse meliora excogitandi uiam ostendat: *quamquam ad praecepta satis est actum. BAKIUS.* Qui uellem meliora excogitasset. Garatonius ad or. Sest. c. 42. p. 176. ed. Neap. haec monuit: „IV. in Uerr. 56. *ualuas, quae olim ad ornandum templum erant maxume:* neque enim puto ibi sumendum ex seqq. *factae*, cum praesertim similiter ibid. 15. *ad eam rem istos fratres Cybiratas fuisse,* ubi genuinum Catonis locum de R. R. c. 125. profert Hottomannus. Adde III. de Nat. D. 34.: *eique laneum pallium iniecit, cum id esse ad omne anni tempus diceret.* ubi *aptum* interpretes interposuerant. Hinc formulas huic simillumas habemus, quae per se denotant, cui quidque inseruiat, ueluti *serui ad remum*, *ad cyathum*, *milites ad nauis* etc.. Ex his explicari fortasse potest Liuianum illut I, 34. *Romast ad id potissumum uisa;* ubi Gron. et Drak. malunt *potissuma*, Heumann. *aptissuma.* Id tamen fiet apertius, si pro *est* rescribas *esse.*" Recte autem Bakius nullo horum locorum scripturam *ad praecepta aetas non est* defendi contendit. Docerem id copiosius, nisi satis iam ostendissem, hanc, quae a Garatonio probata sit, scripturam uel ob codicum auctoritatem omnium, qui *grauis* a Tullio esse additum manifesto ostendunt, necessario esse reiciendam.

LIBER SECUNDUS.

DE
INTERPOLATIONIBUS.

In corruptelis illis, quibus omnia M. Tulli scripta depranata ad nos peruenerunt, numerandae etiam interpolationes sunt. Quae menda etsi multo difficilius quam ceterae corruptelae tolli solent, tamen remouendorum eorum non secus ac ceterorum duplex potissumum ratiost, ita ut aut codicum ope, aut coniectura expellantur. Atque eorum quidem argumentorum, quibus ei, qui sine codicum auctoritate uerba, quae in antiquorum scriptorum operibus scripta extant, spuria esse euincere uelit, utendum sit, nemo non intellegit, ubique idem genus eandemque uim esse. Alia contra illorumst argumentorum ratio, quae ex codicum scripturis depromuntur. Nam nisi quae singulorum codicum praestantia sit et auctoritas, perspectum exploratumque habemus, fieri non potest, ut non saepissume scripturis eorum in tractanda illa artis criticae parte abutamur turpissumosque in errores incidamus. Atque in eam rem non raro ab orationis Plancianae editoribus peccatum uidetur, qui quae in codicibus, quorum nulla debebat esse auctoritas, omissa uerba erant, temere spuria indicarint, ab ipsius autem Ciceronis manu profecta existumarint, quae sola codicum auctoritas ab interpretibus addita esse euincit. Accedit, quod nonnumquam idem libri, qui reliquis librariorum mendis cum maxume inmunes sunt, multo magis interpretum additamentis aucti sunt, quam illi, quos describentium corruptelis mirum quantum refertos uidemus. Cuius rei ignoratio non paucos homines doctos inpulit, ut quae a Tullio scribi nullo pacto potuerunt, ea genuina esse sibi persuaderent.

Quam ob rem uisumst, diligentissume hic exponere, quae codicum scripturae interpolationis suspicionem mouere deberent quaeque non deberent, omnisque locos, qui ad hoc genus pertinerent, hac singulari dissertatione tractare. Praeterea non incommodum putaui, eos quoque locos, quos sola loci sententia interpolationis nomine suspectos reddere uisast, omnis capite secundo proponere, eorumque duos, in quibus tractandis longiore opus erat disputatione, quam quae commentario apte posset inseri, diligenter ibi examinare.

CAP. I.

DE
CODICUM SCRIPTURIS, QUAE INTERPOLATIONIS SUSPICIONEM MOUERE DEBEANT QUAEQUE NON DEBEANT.

§. 1.

Quae uerba cum Bauarico et Erfurtense plurumi familiae tertiae codices omittunt, ea, si non potuisse facili oculorum aberratione omitti patet, quin spuria sint, nullo modo dubitari potest. Nam cum supra

ex alio fonte familiae tertiae codices quam B et E ortos esse docuerimus, ei, qui uerba illa genuina putaret, plurumos librarios statuendum esset fortuito consensu eadem uerba omisisse, quae qui factum sit ut omitterentur, nulla probabilis reddi ratio potest. Quod cum uerendum non sit, ut quisquam statuat homo sanus, solum istum plurumorum codicum consensum apparet certum praebere interpolationis indicium. etiamsi loci sententia non ea sit, quae additis uerbis illis prorsus corrumpatur. Itaque nihil equidem dubitaui primum in his locis adsentientibus Garatonio et Orellio ea expellere uerba, quae plerique libri cum B et E omittunt:

C. V. §. 13. *mihi paulo ante diligentius supplicare;* cum B et E, multisque fam. tertiae codd. *ante,* quod loci sententiam euertit, omisi.

C. XXII. §. 54. *Sed tamen tu an Plotium, uirum ornatissumum, in idem crimen uocandum indicas? an dicis, eum te arripuisse, a quo non sis rogatus?*

Sic ante Garatonium hic locus scribebatur. Uidit autem ille primus, uerba *an dicis*, quae cum B et E omnes fere fam. tertiae codices omittunt, postquam *uocando,* quod postulante sententia ex B et E restituendum erat, in *uocandum* mutatum esset, ab interprete male sedulo addita esse. Adnotationem eius in commentario cum lectoribus communicauimus.

C. XXXIX. §. 94. *obtemperem et paream? Neque enim inconstantis puto, sententiam tamquam aliquod nauigium atque cursum ex rei p. tempestate moderari. Ego uero* etc.

Hic quoque primus Garatonius sensit totum membrum *Neque enim — moderari*, quod cum B et E plurumi fam. t. codices non adgnoscunt, depromptum ex orat. Balb. c. 27. ab interprete margini adscriptum et ab indoctioribus librariis in textum receptum esse.

Eadem de caussa eodemque iure C. VI. §. 15. *in* praepositio ante *tanto nos inpetu studiorum* omitti debebat, id quod ego primus ex eorundem codicum auctoritate feci.

Atque eadem caussa inpedimento fuit, quominus uerba quaedam, quae in uno alterone codice ego primus addita uidi, licet per se spectata a loci sententia non essent aliena, recipere auderem. Ita non sum obsecutus soli Laurentiano secundo, qui C. IX. §. 22. pro *legatione testimonio,* quae plurumorum librorum scripturast, *legatione testimonioque,* et C. VIII. §. 20. pro *quid ego de me, de fratre meo loquar?* quae reliquorum omnium scripturast, *quid ego de me, quid de fratre meo loquar?*, quemadmodum Graeuio olim ex coniectura scribendum uidebatur, scribit. Etenim prorsus incredibilest, uerba illa, si in codice principe fuissent scripta, et ab eo librario, qui diligenter codicem principem descripsit, et a tot familiae tertiae codicum librariis omissa fore. Accedebat, quod Laurentianum secundum saepe manum interpolatricem, nec eam plane indoctam expertum sciebam esse. Exempla uide in descriptione istius cod. Lib. I. c. I. §. 3.

Idem ualet de Francio primo, ex quo temere Schutzium C. X. §. 26. *confectum* post *fluctibusque* recepisse, quiuis iam sponte intellegit.

§. 2.

Longe alia eorum locorum ratiost, in quibus unum aut plura uerba procliui errore a multis librariis consentienter omitti potuisse intellegimus. Eiusmodi uerba cum a B et E accedentibus uel multis uel paucis familiae tertiae codicibus omissa uidemus, nisi sententia loci spuria clamet esse, minume debent ab interprete profecta existumari. Itaque iure meritoque contra B et E plurumorumque fam. tertiae codicum auctoritatem in quattuor his locis paucissumorum librorum scripturam a me receptam credo.

C. XXI. §. 52. *nihil est enim, mihi crede, Laterensis, de te detractum: detractum dico?* etc. Quo in loco cum B et E omnes fere fam. tertiae codices semel tantum uerbum *detractum* habent.

C. XXIII. §. 57. *ut aut neglegatis aut dissimuletis.*

Idem fere libri hic *aut* ante *neglegatis* omittunt, quod quemadmodum cur excidere potuerit, in

promptust uidere, ita, si non fuisset a Tullio scriptum, quomodo interpreti addere in mentem uenire potuerit, plane non perspicitur.

C. XLI. §. 100. *ui me, ui me, inquam, Plancius et conplexu suo retinuit.*

Pauci fam. tertiae codices ita scribunt, reliquis semel tantum uerba *ui me* habentibus. Uerum et uerbi *inquam* significatio docet necessario bis fuisse ponenda, neque qui factum sit, ut a tot librariis omitterentur, cuiquam potest obscurum esse.

C. XXXVI. §. 88. *Uinci autem inprobos a bonis, fateor fuisse praeclarum, si finem tum uincendi uiderem, quem profecto non uidebam. Ubi enim praesto fuissent* etc.

Hic quoque inprobo Garatoni Orellique iudicium, qui uerba *quem profecto non uidebam,* cum in B et E aliisque fam. tertiae codicibus desiderarentur, pro spuriis habuerunt. Atqui sunt illa, id quod in commentario docui, ad sententiae integritatem paene necessaria, et facillumo errore, oculis describentium a *uidebam* ad uerbum *uiderem* aberrantibus, omitti potuerunt.

§. 3.

Paucissumi sunt loci, in quibus B et E aliquid omiserint, quod in familiae tertiae codicibus omnibus scriptum extet, iique omnes eiusmodi, ut librari potius, qui codicem exarauit, unde B et E sunt orti, neglegentia ea, quae B et E omittunt, excidisse, quam ab interprete in familiae tertiae codices inlata esse probabile sit. Loci hi sunt:

C. IV. §. 10. *eos, qui suffragium ferant, quid cuique ipsi debeant, considerare saepius, quam quid cuique a re p. uideatur deberi.*

Hic B et E pro uerbis *uideatur deberi* tantum scribunt *debeatur,* quam scripturam Orellius recepit. Nollem factum. Quem enim interpretem credibilest pro *debeatur,* si id fuisset scriptum, *uideatur deberi* fuisse positurum? Contra si errore quodam uerba *uideatur deberi* transposita erant, facillume in *debeatur* coalescere poterant.

C. VII. §. 17. *Hoc tamen miror, cur tu huic potissumum irascare, qui longissume a te afuit.*

Pronomen *tu,* quod B et E omittunt, et excidere facillume sequente *huic* potuit, neque ab interprete additum esse probabilest.

C. XXIX. §. 69. *cum quidem non dubitaret et consul et homo nobilissumus patronum illum et suum et familiae suae nobilissumae dicere.*

Quo in loco nolui cum B et E *suae* pronomen omittere, quod neque deesse posse uideatur, de qua re in commentario monui, et praecedente nomine *familiae* facillume excidere potuerit.

C. XXXI. §. 76. *Uide, quam me uerbi tui paeniteat.*

Neque usus loquendi permittere uidetur, ut *me* pronomen hic B et E auctoribus abiciatur, neque non perspicuumst, uerba *quam me* sic scripta *quãe* proclini errore in *quam* potuisse deprauari.

C. XXXIV. §. 84. *qui in caussis ponderandis omnis fere repudiatis.*

Hic quoque nihil uerosimilius, quam *in* praepositionem, ita scriptam *ĩ,* ob praecedens *qui* pronomen neglegentia describentis omissam esse. Neque enim abesse salua sententia posse, in commentario a me demonstratum puto.

§. 4.

Uehementius etiam errabit, qui quae uerba solus uel B uel E omittit, ab interprete putabit profecta esse. Nam cum nullus librariorum etiam diligentissumorum error frequentior fuerit, quam ut genuina scriptorum uerba passim omitterent, cumque certum sit exploratumque ab isto errore neque Bauarici neque Erfurtensis librarium inmunem fuisse: unius libri, aliquod uerbum omittentis, numquam ea potest auctoritas esse, qua ad eicienda, quae praeterea omni interpolationis suspicione uacua sunt, uerba utamur. Omittit autem solus B in his locis ea uerba, quae diductis litteris scripsi:

C. III. §. 6. *si te aut a Plancio.* — Ibid. *dignitate potuisse superari.* — Ibid. *ad quam me caussa ipsa deducit.* — C. VIII. §. 19. *in quibus est etiam Iuuentia.* — Ibid. *suorum municipum*

honore laetari. — C. X. §. 25. *quae est officio necessitudinis coniuncta maxume.* — Ibid. *non potentia mea, set caussa rogationis fuit gratiosa.* — C. XVIII. §. 45. *neque uero tam durus in plebem.* — C. XX. §. 49. *deinde habere coepit subito praeter opinionem omnium.* — C. XXVII. §. 65. *quasi qui omnia sciret.* — C. XXXV. §. 87. *edictoque suo non luctum.* — C. XL. §. 96. *uide nunc caliginem temporum illorum.* — C. XLI. §. 97. *Brundisium ueni, uel potius ad moenia accessi.* — Denique Garatonius ad C. XXX. §. 72. *quae si non essent, uererer, credo* etc. monuit: „duodecim uerba desunt hic in Bau., in quibus hoc [*uererer*] est."

In plerisque horum locorum cum uerba, quae B omittit, ad sententiae integritatem necessaria esse pateat, ideoque librarium praestantissumi illius codicis omisisse uerba quaedam, quae Ciceronis sint, conprobatum sit: non possum ego Garatonio et Orellio adstipulari, qui cum alia codicis illius auctoritate expellenda uerba censuerunt, tum maxume uerbum *accessi*, quod C. XLI. §. 97. post *moenia* positum omittit. Quod uerbum numquam inutiliter adiectum putasset Garatonius, nisi in codice, cui nimis fauebat, abesse uidisset. Equidem neque absolutam satis orationem omisso uerbo illo puto, neque interpretem, si non fuisset a Cicerone scriptum, eiusmodi quid adiecturum fuisse mihi persuadere possum.

Non minus errare eum arbitror, qui, quae uerba solus Erfurtensis non habet, quotiens ad orationis integritatem non prorsus sint necessaria, ab interprete adiecta esse statuat. Nam in eo quoque omissa reperiuntur, quae sola describentis neglegentia excidisse certissumumst. Omittit autem in his locis ea uerba, quae diductis litteris scripta sunt:

C. II. §. 6. *aut optume de me meriti salus deserenda est.* — C. III. §. 8. *qui praeteritus non est.* C. XIII. §. 32. *ea primum uetustate equestris nominis.* — C. XIV. §. 34. *set cum ipsum dolorem hic tulit paulo apertius.* — C. XIV. §. 35. *stomachor uero, cum.* — C. XXX. §. 74. *ne aut proferre uidear ad tempus.* C. XXXIII. §. 80. *reliquarum. Quid est pietas, nisi.* — Ibid. §. 81. *ubi alitus aut doctus est.* — C. XXXVIII. §. 88. *si finem tum.* —

Copulam *est* etsi frequenter ab interpretibus additam constat, tamen neque §. 6. neque §. 81. Erfurtense auctore eiciendam puto, cum non minus frequenter propter conpendium, quo scribebatur, iniuria omissam ab librariis esse sciamus. Accedit, quod neutro in loco ulla idonea caussast, ob quam abesse eam malimus. Attamen duo sunt loci, a me paulo ante consulto omissi, in quibus solius codicis Erfurtensis scriptura, aliquid omittentis, unice uera mihi uidetur. Eorum alter C. XVIII. §. 44. legitur et ante me in editt. omnibus, excepta Orelliana, sic conformatus extabat: *quibus hic maxume notus erat.* Eieci hic uerbum *erat*, quod Erf. omittit, non tamen propterea tantum, quod in Erf. non est, set aliis iisque grauioribus conmotus caussis, quas infra expositurus sum. In altero loco, qui C. XXI. §. 51. extat, Garatonius iam, quem secutus Orellius est, uolgatam scripturam, *qui duabus aedilitatis acceptis repulsis*, ferri uix posse necessarioque ad fidem codicis Erf. emendandam uidit, qui uerbo *acceptis* omisso *aedilitatibus repulsus* scribit. Garatoni adnotatio commentario insertast. Addo hoc, in uolgata scriptura illut quoque insolens uideri, quod nomen *repulsae* cum genitiuo *aedilitatis* coniunctumst. Coniungitur quidem nomen illut nonnumquam cum genitiuo hominis, qui fert repulsam, uerum cum genitiuo rei, a qua quis repellatur, numquam nec coniunctum uidi nec coniungi apte uidetur posse. Dicitur potius et recte *repulsa aedilicia,* quo loquendi genere saepe Tullius usus est.

§. 5.

Accidit adeo, ut in aliquot locis nunc B cum omnibus familiae tertiae codicibus, nunc E cum isdem uerba quaedam omiserint, quae quin ex ipsius Ciceronis ore uenerint, minume potest dubitari. Factum hoc in quinque locis est, ita tamen, ut in omnibus uerba illa, quae solus aut B aut E habet, facillumo maxumeque procliui errore excidere potuisse appareat. Seruauit autem solus E integram Ciceronis manum in tribus locis, C. XXXII. §. 78. pro uolgata lectione, *an cum populus Romanus* scribens, *an cum patres conscripti*, ipso Bauarico male uocem *conscripti* omittente, C. XLI.

§. 98. *huic, quae pro salute mea fecerit* particulam *autem*, quae ad sensum necessariast, post *huic* addens, et C. XLII. §. 101. *set de horum erga me beneuolentia* scribens, ubi ipse Bau. cum aliis uitiose *set horum* etc. habet. Contra Bauaricus C. V. §. 12., quem locum supra adtulimus, nouem solus uerba addit, quibus omissis manca prorsus oratio fit, et C. XXVII. §. 67. *numquam ex urbe is afuit* scribit, ubi reliqui *is* omittunt, quod cum praecedente uoce *urbe* arctius coniunctum si fuerat, ita ut *urbeis* scriberetur, fieri uix potuit, quin a librariis deleretur. Neque enim ab interprete pronomen illut additum esse credibilest, quem certum potius est, si quid explicandi caussa addendum putasset, nomen *Planci* fuisse adscripturum.

Contra errare eos mihi persuasum est, qui C. XXVII. §. 67. in Bauarici scriptura, qui in uerbis, *fuit in oculis; petiuit*, ante *petiuit* uerbum *fuit* repetit, aptius aliquod uerbum, quod a librariis corruptum sit, latere arbitrantur. Mea sententia factum hic est, quod saepenumero accidit, ut uerbum describentis neglegentia bis poneretur, quod semel erat ponendum.

§. 6.

Perpauci reperiuntur loci, in quibus solus B aut E cum plerisque familiae tertiae codicibus uerba quaedam omittat. Ac fortasse pauciores etiam uel nulli prorsus essent, si omnes ex Bauarico enotatae et nobiscum communicatae scripturae essent. Certe in iis locis omnibus, in quibus Erfurtensem uidemus cum plurumis familiae tertiae codicibus uerbum aliquod omittere, Bauarici quae sit scriptura, a Garatonio non admonemur. Errauerit autem, qui ex silentio Garatoni Bauaricum cum uolgata consentire scriptura concluserit. Certumst enim, multas Bi scripturas, quae Garatonio primo aspectu prorsus uitiosae essent uisae, non esse ab eo commemoratas. Itaque equidem in ea potius sententia sum, ut Bauaricum si non in omnibus, certe in plerisque locis, ubi nunc Erfurtensem tantum cum plurumis fam. tertiae codicibus aliquid omittere docemur, idem non adgnoscere uerbum credam. Eiusmodi hi tres loci sunt:

C. XXIII. §. 57. *nihil est autem tam uolucre, quam maledictum; nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, [nihil] latius dissipatur.*

Ibidem. *set si quid sine capite manabit, aut [si] quid erit eiusmodi, ut non extet auctor.*

C. XXIV. §. 59. *quae scripsit grauis [ille] et ingeniosus poeta.*

In omnibus his locis Erfurtensis cum plerisque fam. tertiae codicibus ea uerba, quae uncis inclusi, omittit; Bauarici quae sit scriptura, ignoramus. Ac primum quidem neminem fore puto, qui non intellegat, multo facilius illa ab interprete addi, quam, si fuissent in codice principe perscripta, a tot librariis omitti potuisse. Deinde uero, licet quae in primo ac secundo loco omittuntur uerba, primo aspectu non uideantur abesse posse, quae ipsa putanda caussast fuisse, ob quam ab interprete adderentur, tamen necessario debere expelli apparet, si, id quod perquam uerosimilest, in primo loco *nihil* ante *citius* positum, et in secundo *quid* pronomen ante *erit* nunc conlocatum, ab interprete adiecta esse statuamus. Quo facto in primo loco oratio optume ita procedit: *nihil facilius emittitur, citius excipitur, latius dissipatur*, in altero ita: *set si quid sine capite manabit, aut erit eiusmodi, ut non extet auctor.* Saepissume autem istiusmodi uoculae ab interpretibus repetitae sunt. Sic in hac ipsa oratione C. XXVII. §. 67. omnes fere fam. tertiae codices uitiose scribunt: *at ualuit adsiduitate, at ualuit seruandis amicis, ualuit liberalitate,* cum *at* particula post *adsiduitate* posita, nisi etiam post *amicis* repetatur, repeti nullo pacto possit. Atque ibi quidem non dubitarunt plerique recentiorum editorum particulam illam, post *adsiduitate* positam, delere, ex auctoritate Ban. et Erf. codicum hoc se facere arbitrati, qui pro *at ualuit seruandis* scribunt *ualuit adseruandis.* Quae scriptura etsi confirmat eorum sententiam, qui *at* particulam omittendam putant, tamen, ut hoc obiter addam, sine dubio ex eo ortast, quod *at* particula super *ualuit* ab interprete posita fuit. Hinc is librarius, qui codicem, ex quo fam. tertiae libri orti sunt, exarauit, *at ualuit* scripsit, ille autem, a quo exemplar, ex quo B et E originem duxerunt, scriptumst, errore quodam *at* cum sequente uerbo *seruandis* coniunxit, unde factum deinde *adseruan-*

dis est. Nihil hac coniectura probabilius esse, ex iis etiam, quae §. 8. monebuntur, apparebit. Porro simili modo uitiose in or. Pison. C. XVI. §. 37. etiamnunc scribitur: *nondum conmemoro rapinas, nondum exactas pecunias, non captas, non inperatas, non neces sociorum, non caedis hospitum* etc., cum et usu loquendi postulante et optumis codicibus auctoribus pro altero *nondum* necessario *non* scribendum fuerit.

§. 7.

Uix opus est, ut moneam, nullam debere eos locos interpolationis suspicionem mouere, in quibus aut B aut E cum uno alteroue familiae tertiae codice uerba eiusmodi omittat, quae procliui errore a multis potuisse librariis omitti intellegitur. Uide, quae supra L. I. C. III. §. 4. monuimus. Itaque nulla prorsus auctoritas Bauarici potest esse, in his locis cum paucissumis fam. tertiae codicibus ea uerba omittentis, quae uncis inclusi.

C. IV. §. 9. *et quadam [etiam] temeritate.* — C. V. §. 13. *ad ea [te] tempora reuocaui.* — C. XI. §. 27. *hic [est] enim, qui adul..* — C. XXXII. §. 78. *nam [hoc] quidem abhorret a uirtute uerbum.*

§. 8.

Nihil crebrius in hac oratione factum uidemus, quam ut B et E uerba addant, quae familiae tertiae codices omnes omittunt. Ea nunc receperunt editores, nunc pro glossis habuerunt, a uero non raro aberrantes. Non dubito autem, quin rectius iudicassent, si illut explicare studuissent, quod nemini non uehementer mirum debet uideri, qui factum sit, ut tam multis in locis aliquot uerba in fam. tertiae codicibus deesse reperiantur, quae plerumque neque oculorum aberratione neque alio procliui describentium errore omitti potuisse apertumst. Ac uidetur profecto haec res Ernestium certe adduxisse, ut multa ex uerbis illis, quae re diligenter considerata ne abesse quidem salua sententia possunt, recipere tamen recusaret. Atque egomet ipse parum afuit quin in eundem errorem incidissem, nisi rationem detexissem, qua multis certe in locis, qui maxume adhuc torserunt editores, certo posset doceri, cur auctor codicis eius, qui fons extitit familiae tertiae, ea omiserit, quae in B et E scripta reperiuntur. Non est enim dubium, quin in codice principe, ex quo fam. secunda et tertia ortae sunt, glossae interlineares scriptae fuerint. Eum is, qui codicem exarauit, ex quo B et E sunt orti, ita descripsit, ut glossas illas interlinearis plerumque una cum uerbis, quorum explicationi inseruiebant, Tullianae orationi inferret, raro tantum solas glossas reciperet omittens genuina Ciceronis uerba, super quibus glossae erant positae. Alter librarius, qui exemplar, ex quo familia tertia orta, scripsit, ita codicem illum descripsit, ut plerumque glossas reciperet, sine dubio pro uariis lectionibus habens, genuina autem, super quibus erant positae, uerba omitteret. Utrumque uerbum et glossam et uocem, super qua glossa posita erat, rarissume uidetur recepisse. Etsi audaciae crimen non solet effugere, qui de eiusmodi rebus, quae sola nituntur coniectura, certo decernere audet, tamen ego hanc meam sententiam istiusmodi confirmare argumentis possum, ut in dubitationem uocari prorsus nequeat. Unum illut ambiguum potest esse, quot loci in hunc censum uocandi sint. De quibusdam dubitari posse nego. Eiusmodi est, qui C. XXVII. §. 67. legitur:

Set ut redeam ad Plancium, numquam ex urbe is afuit, nisi sorte, lege, necessitate; non ualuit rebus isdem, quibus fortasse nonnulli: at ualuit adsiduitate, ualuit obseruandis amicis, ualuit liberalitate; fuit in oculis; petiuit; ea est usus ratione, qua minuma inuidia noui homines plurumi eosdem honores consecuti sunt.

Sic hunc locum, certe ea uerba, de quibus nunc agitur, inde a Lambino, qui primus post *petiuit ea* addidit, omnes editores usque ad Garatonium scripserunt. Is in Curis Secundis ad hunc locum haec adnotauit:

„Bauaricus [quocum consentit Erf.] meliora haec ita facit: *fuit in oculis, fuit, petiuit, ea est usus ratione uitae, qua — sunt eosdem honores consecuti.* Iam *ea* ex suis libris Lambinus addiderat, et etiam in Oxonn. duobus [uno] est. Nunc unus [et Erf.] hic egregie adicit *uitae,* ut pro Cluent. c. 14.

nihil tam remotum ab accussatione, quam Cluentius et natura et instituta ratione uitae. Clausula etiam gratior, et duabus similis superioribus c. 25.. Quod iteratur *fuit,* in eo non magna sane uis est; maior certe c. 4., ubi solus [et Erf.] habet optumus liber, *nostrum est autem, nostrum, qui in hac tempestate populi iactemur ac fluctibus* etc.. Haut itaque scio, utrum a uarietate conlocationis iteratio prolluxerit, an uero syllaba perierit, et Cicero scripserit, *adfuit, in oculis fuit,* [uid. quae de hoc loco supra §. 5. monui.] quod Tullianae ubertati magis arbitror conuenire. Hacc autem Planci adsiduitas Laterensis reprehendit absentiam, de qua populum ita conquerentem inducit c. 5.: *Desiderarunt te, inquit, oculi mei, cum tu esses Cyrenis,* etc.. Contra Plancius *fuit in oculis,* tribunatum *petiuit,* quam petitionem, ut ibidem dicitur, Laterensis reliquit. Etiam de se ipso post quaesturam Cicero paulo ante, *feci, ut postea cotidie me praesentem uiderent, habitaui in oculis;* quae uerba coniecturae meae, ut opinor, fauent."

Uehementer Garatonius, cuius sententiam miror ab Orellio probatam esse, in explicando hoc loco et corrigendo errauit. Ciceronem enim nullo pacto *petiuit; ea est usus ratione* etc. scribere potuisse, manifesto uerbum *petiuit* ostendit, quod sic nude positum omni sensu caret. Nam Garatoni explicationem, qui nomen *tribunatus* subaudiendum putat, alienissumam esse, duobus conficitur argumentis. Primum positum in ellipsi inauditast, cuius exemplum geminum reperiri nusquam potest; alterum in eo, quod ipsa illa tribunatus petitio conmemorari hoc loco minume potuit, in quo oratorem in commentario ad uerba, *at ualuit adsiduitate — ualuit liberalitate,* docuimus non nisi de Planci petitione aedilitatis loqui eamque conmemorare rationem, qua Plancius populum Romanum rogauerit, ut illum sibi honorem deferret. Itaque extra omnem controuersiam positumst, ad uerbum *petiuit* nomen *aedilitatis* subintellegendum esse. Atque in hac ellipsi propterea nihil omnino offensionis est, quod Ciceronem de ratione, qua Plancius adipisci hunc honorem studuerit, tantummodo loqui hic certumst. Nihilominus ineptum uerbum *petiuit* sic nude positum, cum non minus Laterensem *petiuisse aedilitatem* constet. Atqui ea solum Cicero proferre hic potest, quibus Plancius fecerit, ut Laterensi, conpetitori suo, a populo Romano praeponeretur. Hinc nihil certius esse efficitur, quam locum hunc corruptum esse et sic emendandum: *petiuit ea usus ratione, qua minuma inuidia noui homines plurumi eosdem honores consecuti.*

His expositis uerissumum id esse, cuius caussa hunc locum adtuli, quiuis uel sponte intelleget. Dubitari enim nequit, quin duplex illa codicum scriptura, quorum B et E *ea est usus,* familiae autem tertiae codices *est usus* scribunt, inde sit orta, quod in codice principe, in quo sine dubio genuina Tulli manus seruata erat, super *ea* uerbum *est* positum fuerit, adiectum ab eo, qui *petiuit* cum sequentibus non cohaerere putauerat. Hanc saepissume uerbi *est* addendi caussam fuisse, nemo doctior ignorat. Cfr. autem, quae maxume huc pertineant, quae in Praef. ad Uarr. Lectt. ex cod. Erf. enot. p. LXXXII. et p. CXIX. nos monuimus. Iam uerbum superscriptum *est* alter librarius una cum pronomine, super quo positum erat, recepit, unde Bauarici et Erfurtensis codicum scriptura ortast, alter omisso genuino uerbo *ea* id, quod superscriptum erat, pro uaria lectione habens recepit, unde formatast ea scriptura, quae in fam. tertiae codicibus est. Quod autem in Oxoniense S, qui ex tertia codicum familiast, pronomen *ea* scriptum reperitur, si quidem fides editori Ox. haberi potest, id ne quisquam sententiae meae aduersari putet, monendumst, necessario a librari uel interpretis manu in eum inlatum esse statui debere. Item Lambinum non ex codicum auctoritate, set ex coniectura, in quam quiuis debebat incidere, pronomen illut addidisse iudico.

Ceterum illut continuo sequitur, prorsus alienum additamentum esse, quod B et E habent, post *ratione* addentes *uitae.* Minume enim de *uitae ratione,* qua usus Plancius sit, set de *petendi aedilitatis ratione,* qua populi sibi beneuolentiam conciliarit, oratorem hic loqui debere, supra planum a nobis factumst.

Omnia autem, quae de hoc loco exposuimus, multo magis confirmabuntur iis, quae de nouem aliis cum lectoribus communicaturi sumus. Idem enim quod hoc in loco factum in nouem aliis esse mihi persuasissumumst.

C. X. §. 26. *Etenim si ante reditum meum Cn. Plancio se uolgo uiri boni, cum hic tribunatum peteret, ultro offerebant: cui nomen meum a b s e n t i s honori fuisset, ei meas praesentis preces non putas profuisse?*

Sic B et E hunc locum scriptum seruarunt; familiae tertiae codices ad unum omnes participium *absentis* omittunt. Quod quo magis certumst abesse salua sententia non posse, ideoque cum maxume genuinum esse, eo minus quisquam, quomodo errore quodam excidere potuerit, intelleget. Quae res facit, ut equidem *meum* pronomen, quod nunc ante *absentis* conlocatur, ab interprete adiectum, et, cum esset super uerba *nomen absentis* positum, eodem modo in fam. tertiae codicibus genuinam expulisse uocem putem, quo paulo ante in isdem glossam superscriptam *est* pronomen *ea* loco mouisse uidimus. In B et E denuo et glossa et uox ea, super qua glossa posita fuerat, inlatae sunt. Illut autem uix opus est, ut doceam, *meum* pronomen sine ullo sensus detrimento omitti posse, cum, quis sit nomine *absentis* intellegendus, et antecedentia uerba *ante reditum meum* et sequentia *meas praesentis preces* apertissume declarent.

C. XXIII. §. 55. *Multi etiam communes inimici reorum omnium, qui ita semper testimonium de ambitu dicunt, quasi aut moueant animos i u d i c u m suis testimoniis, aut gratum populo Romano sit, aut ab eo facilius ob eam caussam dignitatem, quam uolunt, consequantur.*

Hic quoque perobscurumst, qui factum sit, ut nomen *iudicum* omitteretur, quod in omnibus fam. tertiae codicibus desideratur. Nam in unum illum Oxon. ψ, quem habere ex silentio editoris Ox. concludere debemus, quin sit emendatoris manu inlatum, dubitari profecto nequit. Sic Syluius iam ad uocem *animos* supplendum nomen *iudicum* esse monuit. Id nomen autem quemadmodum ad sententiae integritatem necessarium patet esse, ita non inutilia tantum set molesta etiam uerba *suis testimoniis* sunt, cum modo uerba *ita semper testimonium dicunt* praecesserint. Quid igitur probabilius, quam in codice principe nomini *iudicum* explicationis caussa superinposita uerba *suis testimoniis* fuisse, et ab eo librario, qui exemplar, ex quo fam. tertiae codices originem duxerunt, confecit, pro uoce genuina *iudicum* recepta esse, alterum autem librarium, qui auctor libri extitit, ex quo B et E manarunt, more suo nec *iudicum* omisisse et uerba *suis testimoniis* orationi Tullianae intulisse?

C. XIX. §. 47. *Iam ut ego doceo, gratiosum esse i n s u a tribu Plancium, quod multis benigne fecerit, pro multis spoponderit, in operas plurumos patris auctoritate et gratia miserit, quod denique omnibus officiis per se, per patrem, per maiores suos totam Atinatem praefecturam conprehenderit: sic tu doce, sequestrem fuisse, largitum esse, conscripsisse, tribulis decuriasse.*

Uerba *in sua* ante *tribu* posita, quae soli B et E seruarunt, quo magis apparet non posse saluo sensu abesse, eo minus perspicuumst, quomodo amanuensis errore excidere potuerint. Itaque quod aliis in locis effecit, ut genuina Tulli uerba omitterentur, hic quoque factum contendo. Persuasum enim habeo, uerbum *esse* in codice principe super uerba *in sua* positum fuisse, ex eaque re duplicem illam, quae in codicibus est, scripturam pari modo, quo in antecedentibus locis factumst, ortam esse.

C. XIX. §. 49. *Nec erit haec alia ratio Plancio, ac L a t e r e n s i: nam ut, quas tribus tu tulisti, si iam ex te requiram, possis, quorum studio tuleris, explicare: sic ego hoc contendo, me tibi ipsi aduersario, cuiuscumque tribus rationem poposceris, redditurum.*

Sic hunc locum omnes editores scripserunt praeter Orellium, qui pro uolgata lectione *ac Laterensi* ex B et E probante Garatonio *ac tibi, Laterensis* recepit. Ac uerissume quidem Garatonius contra Ernestium, qui uolgatam scripturam uenustiorem putauit, *tibi* pronomen propterea requiri monuit, quod toto hoc loco Laterensem Cicero adloqueretur. Nam etsi hoc cum alibi, tum maxume in oratione Pisoniana et Catilinariis factum reperitur, ut quem modo adlocutus erat orator, de eo subito tamquam de alieno, conuersa ad alios oratione, aliquid exponeret, tamen id hoc loco fieri nullo modo potuit, cum nulla nunc conuersae subito ad alios orationis caussa excogitari queat. Fit enim hoc semper cum magni contemptus significatione, quae ab hoc loco alienissumast. Itaque *tibi* pronomen, si quicquam aliut, genuinumst. Neque Ernestium dubitaturum fuisse, quin reciperet, puto, si, qua ratione omitti a librariis potuisset, perspexisset. Quod cum ipse non perspiciam, si uera habeatur ea scriptura, quae in B et E

est, hic quoque in codice principe super *tibi* explicandi caussa ab interprete nomen *Laterensis* scriptum fuisse suspicor. Hinc quomodo duplex illa scriptura codicum oriri potuerit, omnes iam sua sponte intellegent.

C. VII. §. 17. *Quid, si populi quoque factum defendo, Laterensis, et doceo, Cn. Plancium non obrepsisse ad honorem, set eo uenisse cursu, qui semper patuerit hominibus hoc nostro equestri loco?*

Primus Graeuius hoc loco post *hominibus* ex Erf., quocum B consentit, *ortis* addidit, saepe tamen id subaudiri se non nescire monens. Contra Garatonius haec aduotauit: „Participium *ortis* necessarium non est, ut uidit ipse Graeuius, et glossa uidetur Ernestio. Alia plane ratiost locorum Tulli I. Agr. 9. et Ualer. Max. IV, 7, 4.. Tamen Uerb., Oliuet., ac Lallemandum dampnare non ausim, qui eam uocem ab unico, set egregio Mso [quocum B facit] cum Graeuio sumpserunt, cum praesertim aliquid in ea sit diligentiae. Significat enim homines nouos, quorum maiores in equestri semper dignitate constiterant. Talis ex c. 13. Plancius fuisse cognoscitur, tales ii, qui c. 25. *pari loco orti* dicuntur, talis, ut alios praeteream, de quibus locutio eadem adhibetur, ipse Tullius, qui *equestri ortum loco* se dicit in Agr. l. c., et se hic cum Plancio similibusque coniungit. Atqui homines etiam nobiles *equestri loco* esse, et *equitis Romani filios* potuisse docet insignis locus pro Muren. 7., quem consule."

Orellius Graeuium secutus *ortis* recepit; et recte, ut opinor. Nam qui carere hoc participio orationem posse arbitrati sunt, ante omnia similibus locis conuenire hoc loquendi genus, *homines hoc nostro equestri loco* Tullianae consuetudini, similibus locis conprobare debebant. Quos nisi quis adtulerit, non possum *ortis* pro glossa habere. Neque uero istiusmodi locus ad defendendam uolgatam scripturam facit, qualis est, qui in Corn. Nepotis uita Eumenis C. I. §. 5. legitur: *aput illos e contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, et fide et industria cognita.* Immo, si quid uideo, hic quoque id spurium iudicandumst, quod cum in omnibus codicibus repertum esset, nullam interpolationis suspicionem mouit, nomen *hominibus* dico. Id si fuit, quae mea suspiciost, super *ortis* positum, unde diuersitas scripturae codicum orta sit, nemini amplius obscurum erit.

C. XIII. §. 33. *Asperius, inquit, locutus est aliquid aliquando. — Immo fortasse liberius. — At id ipsum, inquit, non est ferendum. — Ergo hi ferendi sunt, qui queruntur, libertatem equitis R. se ferre non posse? ubinam ille mos? ubi illa aequitas iuris? ubi illa antiqua libertas, quae malis oppressa ciuilibus extollere iam caput et aliquando recreata se erigere debebat?*

Ita hic locus in omnibus editionibus scriptus extat. Ego primus ex B et E auctoritate *hoc* ante *queruntur* addidi. Falsumst enim, quod Graeuius Erf. dicit *hoc* post *queruntur* addere. Errant autem uehementer, qui *hoc* pronomen ab interprete additum putant, in qua sententia Garatonius et Orellius fuerint necessest, qui recipere recusarint. Tantum enim abest, ut interpretibus deberi dici possit, quod nec explicationi ullo modo inseruiat neque omnino sententiae loci accommodatum sit, quale pronomen *hoc* uisum Garatonio et Orelliost, ut eiusmodi uerbum aut ab ipso Tullio profectum aut ab librariis ex alio corruptum necessario existumandum sit. Neque uero uiri illi doctissumi pronomen illut spurium iudicassent, si quo referendum quoque modo explicandum esset, intellexissent. Ineptum sane esset, si a uerbo *queruntur* pendere putaretur, in qua opinione Garatonius et Orellius uidentur fuisse. Set coniungendum cum uerbo *ferre* est et referendum ad antecedentia. Adpono iterum totum locum omissis paulisper uerbis *libertatem equitis Romani*, ut intellegas, egregie iam orationem procedere: *Asperius, inquit, locutus est aliquid aliquando. — Immo fortasse liberius. — At id ipsum, inquit, non est ferendum. — Ergo hi ferendi sunt, qui hoc queruntur se ferre non posse?*

Iam quis est, quin aptissume uideat pronomen *hoc* positum esse itaque explicandum: *equitem Romanum liberius loqui,* uel breuius, *libertatem equitis Romani?* Et quid tandem probabilius, quam, si aut *hoc* aut *libertatem equitis Romani* deleri debent, posteriora uerba pronominis *hoc* explicandi caussa ab interprete adiecta esse? Idque ipsum, orta tria illa uerba ab interprete esse, eo credibilius mihi uidetur, quo minus ista pronominis explicatio, quam continent uerba illa, huic accommodata locost, cuius uenustatem in sola orationis breuitate esse positam apparet. Accedit, quod interpositis uerbis illis *hoc* pronomen parum apte a uerbo, a quo pendet, *ferre* nimis seiungitur. Illut autem omnium certissumum,

et *hoc* pronomen ex ipso Ciceronis ore uenisse, et uerba *libertatem equitis Romani*, si putentur genuina, appositionis loco pronomini adiecta debere statui. Ego tamen, cum appositio ista languida sit ipsorumque codicum scripturâ de interpolatione suspecta reddatur, quoniam, qui *hoc* pronomen excidere potuerit, uix potest intellegi, hic quoque genuinam uocem glossa superscripta in altera codicum familia expulsam esse suspicor. A qua suspicione non possum eo deterreri, quod uerba *libertatem equ. R.* non propter ipsum pronomen illut, cuius explicandi caussa superscripta fuisse puto, ante uerbum *queruntur* in codicibus posita reperiuntur. Nam glossas interlinearis saepe alio, quam quo debebant, relatas receptasque esse, nemini ignotumst. Neque temerarium dixerim eum, qui idem fere C. IV. §. 11. huius orationis factum opinetur. Ibi nunc scribitur:

Est enim haec condicio liberorum populorum, praecipueque huius principis populi et omnium gentium domini ac uictoris, posse suffragiis uel dare uel detrahere quod uelit cuique; nostrum e s t autem, n o s t r u m, qui in hac tempestate populi iactemur ac fluctibus, ferre modice populi uol ntates etc.

Recte Orellius, id quod iam Garatonius suaserat, ex B et E auctoritate post *autem* repetiit *nostrum*, quod familiae tertiae codices omnes semel tantum ante *est* habent. Repetitionem enim non ab interprete factam posse censeri, uel caecus animaduertat necessest. Illut autem cum, si uolgatam genuinam scripturam putamus, difficile dictu sit, quomodo *nostrum*, quod fam. tertiae codices omittunt, excidere potuerit, equidem haut scio, an hic quoque uerbum *est*, ab interprete super alterum *nostrum* positum, in caussa fuerit, ut ab eo librario, qui codicem scripsit, ex quo fam. tertiae libri sunt orti, alterum *nostrum* omitteretur. Tantum uero abest, ut uerbum *est* ad orationis integritatem necessarium sit, ut eo omisso hoc grauior reddatur oratio, quo maiore cum ui uerbum *est* iam in initio huius periodi positumst, ita ut ad pronomen *nostrum* repeti prorsus inutile esset.

C. XVII. §. 43. *Etenim si reus tribus ederet, Uoltiniam fortasse Plancius propter necessitudinem ac uicinitatem, suam u e r o c e r t e edidisset.*

Ita hic locus in B et E scriptus extat; contra familiae tertiae codices ad unum omnes *certe* omittunt. Quod pro *uero* aliquot codices uitiose *non* scribunt, nihil morabitur eum, qui frequentissumam utriusque particulae confusionem esse meminerit, ortam inde, quod *uero* hoc conpendio *ů*, *non* hoc *n̄* a librariis recentioris aeui, quo omnes fam. tertiae codices exarati sunt, scribi consuerit. Quaeritur hic tantummodo, qui *certe* particula, quam fam. tertiae codd. omittere dixi, excidere potuerit. Itaque primum hanc ob caussam nihil uerius puto, quam *uero* particulam ab interprete super *certe* explicationis caussa in codice principe fuisse positam, et, ut in reliquis, quos adtuli, locis, ita hic quoque pro genuina uoce ab altero, qui codicem principem descripsit, librario receptam esse. Quae sententia mea egregie confirmatur eo, quod in eiusmodi loquendi genere, quale hoc loco Tullius usurpauit, praecedente *fortasse* particula plerumque solum *certe* nulla alia addita particula aduersatiua a Latinis poni solet. Cfr. Cic. IV. de Fin. 3. *res fortasse uerae, certe graues;* idem IV. ad Diu. 7. *uicti sumus, aut, si uinci dignitas non potest, fracti certe et abiecti.* Hos aliosque locos iam Tursellin. de Particul. Latt. p. 175. adtulit. Plane geminum exemplum haec nostra etiam oratio C. VIII. §. 20. praebet. Qui locus quo magis huc pertinet, eo aptius hic tractabitur, cum ipse similluma glossa uitiatus sit. Extat ille in codice Bauarico sic scriptus:

At in quemcumque Arpinatem incideris, etiamsi nolis erit tamen tibi fortasse etiam de nobis aliquid, aliquid s e t certe de C. Mario audiendum.

Erfurtensis solum eo a Bauarico discedit, quod semel tantum *aliquid* habet. Familiae tertiae codices omnes *set* particulam omittunt et, duobus exceptis Ox. ψ et χ 1, pro *certe* uitiose *et* scribunt; nonnulli etiam *aliquid* semel tantum positum habent. Graeuius sic scripsit, quemadmodum in B scriptum hunc locum extare dixi. Ei adsensus est Garatonius, monens: „*Etiam* et *set* hic sibi apte respondent, ut in Bruto 90.: *idque faciebam multum etiam Latine, set Graece saepius.* Cur eas particulas repudiauit Ernestus? an quod praecedit *etiamsi?* leuest. Codicem optumum uir summus nimium contemnebat.“ Contra Garatonium uere monuit Orellius: „Non iam despicientiae codicis Erf. tribuo, quod Ernestius illas particulas repudiauit; set intolerandum, ut opinor, ei uidebatur, postponi in prosae orationis

scriptore *set* particulam. Huiusce uero usus, si poterat, Garatonius exempla proferre debebat; aput poetas quidem tralaticius est, ueluti praeter locos a Ruddimanno I. p. 324. adlatos obseruaui ap. Propert. I, 4, 11. Tibull. I, 7, 46. cet.. Hoc loco sane ex glossemate male conlocato in codices uenit. *Etiam* recepi, etsi haut plane necessarium." Aliam denuo huius loci emendandi uiam iniit Bakius, haec scribens: „Orellius non postponi *set* particulam nisi a poetis ostendit; recte. Uerum castigandus locus est altero *aliquid* sublato: quare? quia huiusmodi uocabulis tum utitur Cicero, ubi suas ipse laudes modeste memorare uolt, in Mario nullus hic locus est. Excitabo tria exempla ex hac ipsa oratione deprompta, e quibus intellegitur talia cum moderatione et modestia dici: Cap. 10. *aliquid adtulimus etiam nos.* Cap. 13. *asperius locutus est aliquid aliquando.* Cap. 14. *ego quia dico aliquid aliquando.* Tum reuocandum *set,* sollemne in ista oppositione; cfr. cap. 11. fin. cap. 12. init.." Neque caussa huius emendationis, neque emendatio ipsa probari potest. Modeste enim hoc loco de se loqui Ciceronem, uel uerborum conlocatio satis superque ostendit. Deinde uero cum in eiusmodi locis, qualis hic est, non quid scribi ab auctore potuerit, set quid scriptum fuisse codices arguant, cum maxume considerandum sit, facile apparebit, eos nullam magis confirmare scripturam, quam quae ab Orellio probatast et recepta. Nam primum duplex *aliquid* et in B est et in fam. tertiae codicibus nonnullis; nemo autem non uidet, multo inprobabilius esse, id in eis codicibus, qui habent, ab interpretibus bis positum esse, quam in iis, qui non habent, errore semel omissum esse. Deinde *set* particulam soli B et E habent, quos codices et uidimus iam interpolationibus saepe solos auctos esse, et magis etiam infra uidebimus. Denique, si Baki correctionem probamus, prorsus obscurum manet, unde omnium codicum familiae tertiae scriptura, *et* pro *certe* scribentium, orta sit. Neque enim Oxonn. illos duos numero, in quibus si est *certe*, id quod uix credibile, ex felici librariorum correctione pro *et* restitutum esse non dubito. Contra optume illius corruptelae origo perspicitur, si cum Orellio *aliquid, aliquid certe* etc. a Tullio scriptum putamus ideoque *set* particulam ab interprete super *certe* in codice principe fuisse positam statuimus. Ea denuo a neglegentiore illo librario, leni errore in *et* mutata, pro genuina uoce receptast, cum alter librarius isque diligentior et glossam et uocem, quae explicata erat, more suo Tullianae orationi intulisset. *Set* autem particulam saepe cum *et* confusam esse, nemo nescit.

Uerum quamquam certissumumst, in plerisque saltem eorum locorum, quos adhuc tractaui, nullum ex B et E recipi uerbum posse, ut non aliut, quod in omnibus libris scriptum extet, delendum sit: tamen ingenue fatendum, reperiri etiam locos non paucos, in quibus quae familiae tertiae codices omnes omittunt uerba ex B et E auctoritate necessario recipi debeant ita, ut ullum in uicinia positum uocabulum loci sententia expelli uetet. Eiusmodi loci hi sunt:

C. V. §. 12. *semper se dicet rogari uoluisse, semper s i b i supplicari.* Fam. tertiae codices *sibi* omittunt.

C. V. §. 13. *Aediles quicumque erunt, idem mihi s u n t i u d i c e s p a r a t i; t r i b u n i p l e b i s p e r m a g n i i n t e r e s t q u i s i n t. Q u a r e a u t r e d d e m i h i, quod ostenderas.* Idem uerba *sunt iudices — redde mihi* omittunt.

C. XIV. §. 33. *an quod r e i e c t a e auctiones essent? immo uero, inquit, quod legationes.* Idem *reiectae* omittunt.

C. XVI. §. 39. *Dubitatis, quin eas tribus, in quibus magnas necessitudines habet Plancius, cum ille non ediderit, iudicarit officiis ab hoc obseruatas, non largitione c o r r u p t a s?* Idem *corruptas* omittunt.

C. XXV. §. 60. *Quis nostrum se dicit, M.' Curio, quis C. Fabricio, quis P. Duilio parem? quis Atilio Calatino, quis Cn. et P. Scipionibus, quis Africano, Marcello, Maxumo? t a m e n eosdem sumus honorum gradus, quos illi, adsecuti.* Idem *tamen* omittunt.

C. XXVIII. §. 69. *Et ego ipse numquam illos aspicio, quin, c u m per hunc me his conseruatum esse meminerim, huius meritum in me recorder.* Idem *cum,* fortasse *quom* in codice principe scriptum, omittunt.

C. XXXII. §. 77. *set me, cum tantum iam Plancio deberem, Racili beneficiis fuisse contentum.* Idem *tantum* omittunt.

C. XXXII. §. 78. *Atqui haec cum uides, quo me tandem in te animo putas esse, Laterensis?* Idem *haec* omittunt.

C. XXXIV. §. 83. *Nonne uobis uidetur cum aliquo declamatore, non cum laboris et fori discipulo disputare?* Idem *discipulo* omittunt.

C. XLI. §. 97. *Huius ego et parentis eius, prudentissumi atque optumi senis, et fratris, et utriusque filiorum manibus* etc.. Idem *et fratris* omittunt.

In nullo horum locorum opus est, ut uerbo doceam, ea quae familiae tertiae codices omittant spuria iudicari non posse, cum ad orationis integritatem necessario requiri perspicuum sit. Atque in tribus eorum, C. XIV. §. 33., C. XXXII. §. 77., C. XXXIV. §. 84., cum B et E Ambrosianus etiam consentit, quem animaduerti nolo numquam cum familiae tertiae codicibus facere, aliquid omittentibus, quod in B et E est. Recole quae Lib. I. C. III. §. 1. monuimus.

Attamen non minus certumst, extare etiam in B et E solis interpretum additamenta, quibus familiae tertiae codices uacui sunt. Eorum nunc duo tantum commemorabo, quae cum recipi non possint quin sententia loci prorsus corrumpatur, id euincunt, quod uolo, non esse codicum Bauarici et Erfurtensis auctoritatem eam, ut quaecumque soli uerba addant, ea Tulli esse credere debeamus. Ac de uno quidem additamento iam supra exposuimus. Uidimus ibi, C. XXVII. §. 67. Ciceronem non *petiuit; ea est usus ratione, qua* etc., quae uolgata scripturast, set *petiuit ea usus ratione, qua* etc. scripsisse. Unde continuo sequitur, id quod supra iam monitumst, nomen *uitae*, quod B et E soli post *ratione* addunt, alienissumum interpretis additamentum esse. Hoc autem quemadmodum ab eo adiectum patet, qui ueram loci sententiam non intellexerat, uerbum *petiuit* ad antecedentia pertinere arbitratus, ita simillumo modo C. XXXII. §. 78., ubi recte ab editoribus omnibus scriptumst: *An uero putas, iudices idcirco minus mea caussa facturos, quod me esse gratum crimineris?* ab interprete, qui sensum uerborum non perspexisset, post *minus* adiectum *lubenter* est, quod in solis B et E scriptum extat. Nam euerti hoc addito loci sententiam, satis in commentario demonstraui.

Iam cum haec duo extra omnem controuersiam posita sint, B et E et integriores quam familiae tertiae codices esse, quod nonnullis in locis soli genuina Tulli uerba seruarint, et interpolationibus auctiores, quod aliis in locis soli interpretum additamentis deprauati sint, quibus familiae tertiae codices uidemus inmunis esse: omnes concedant necessest, perquam difficile et lubricum de illis locis iudicium esse, in quibus quae soli B et E uerba habent, et omitti salua sententia et addi uideantur posse. Errat autem uehementer, qui ea tantum ab interprete profecta uerba sibi persuadet, quibus adiectis sensus loci pessumdatur. Nam talia profecto addere ne ipsis quidem interpretibus in mentem poterat uenire. Illi cum id agerent, ut planiorem redderent orationem, et, sicubi breuius Cicero locutus erat, eiusmodi plerumque uerba adicerent, quae aliis in locis ab ipso Cicerone, ut plenior esset oratio, addita meminerant: fieri saepe non potuit, quin id ipsum adderent, quod Cicero etiam, si lubuisset, adicere potuit. Raro tantum accidit, ut cum locos, quos inlustrandos putabant, non recte intellexissent, eiusmodi uerba adiecerint, quae uerae locorum sententiae penitus aduersentur. Eius generis illa exempli caussa additamenta sunt, de quibus modo expositumst. Nihilominus non dubito, quin quam in constituendis locis illis ambiguis iniui rationem, intellegentiores iudices non inprobaturi sint. Etenim ea uerba, quae quamquam abesse aliquo modo possunt, tamen neque ad explicationem uerborum aliquid conferunt et facili errore omitti potuerunt, sine dubitatione Tullianae orationi intuli; contra quae neque necessaria ad sententiae locutionisue integritatem sunt et explicandi caussa facile adici ab interprete potuerunt, praesertim si cur omissa ab amanuense sint, non liquet, recipiunda non putaui.

Itaque genuina per solos B et E seruata uerba puto in his locis:

I. C. IV. §. 9. *Uide tandem, Laterensis, quantum ego a te dissentiam.* Familiae tertiae codices *ego* omittunt.

II. C. IV. §. 9. *Denique etiam si iudicat, non delectu aliquo aut sapientia ducitur ad iudicandum, set inpetu nonnumquam* etc.. Idem *etiam* omittunt.

III. C. VII. §. 17. *Possumne eripere orationi tuae contentionem uostrum, quae tractari sine contumelia non potest, et te ad caussam aliquando crimenque deducere?* Idem *aliquando* omittunt.

IV. C. XIV. §. 35. *Ego quia dico aliquid aliquando non studio adductus, set aut contentione dicendi aut lacessitus.* Idem *aut* post *set* omittunt.

V. C. XV. §. 37. *Quid? huiusce rei tandem obscura caussast, an et agitata tum, cum ista in senatu res agebatur, et disputata hesterno die copiosissume a Q. Hortensio?* Idem *ce* post *huius*, *tandem*, et *tum* omittunt.

VI. Ibidem. *Hoc igitur sensimus: cuiuscumque tribus largitor esset, et per hanc consensionem, quae magis honeste quam uere sodalitas nominaretur, quam quisque tribum turpi largitione corrumperet.* Idem *hanc* omittunt.

VII. C. XX. §. 50. *Numquam enim fere nobilitas, integra praesertim atque innocens, a populo Romano supplex repudiata fuit.* Idem *fere* omittunt.

VIII. C. XXXVI. §. 87. *Nam profecto praesertim tam bona in caussa numquam, quo ceteri saepe abundarunt, id mihi ipsi auxilium defuisset.* Idem *saepe* omittunt.

IX. C. XXXIX. §. 94. *Quod et ego facio, Laterensis, et semper faciam, libertatemque, quam tu in me requiris, quam ego neque dimisi umquam neque dimittam, non in pertinacia, set in quadam moderatione positam putabo.* Idem *tu* omittunt.

X. C. XL. §. 95. *Siciliam petiui animo, quae et ipsa erat mihi, sicut domus una, coniuncta, et obtinebatur a C. Uergilio, quocum me uno uel maxume cum uetustas, tum amicitia, cum mei fratris conlegia, tum rei publicae caussa sociarat.* Idem *caussa* omittunt et *res publica* scribunt.

XI. C. IV. §. 10. *Ut fueris dignior, quam Plancius: de quo ipso tecum ita contendam paulo post, ut conseruem dignitatem tuam.* Idem *ipso* omittunt.

XII. C. X. §. 25. *Neque enim ego sic rogabam, ut petere uiderer, quia familiaris esset meus, quia uicinus, quia huius parente semper plurumum essem usus, set ut quasi parenti et custodi salutis meae.* Idem *salutis* omittunt et *meo* pro *meae* scribunt.

XIII. C. XVII. §. 42. *Et illut acerbum iudicium si, quemadmodum senatus censuit populusque iussit, ita fecisses, ut huic et suam et ab hoc obseruatas tribus ederes, non modo non quererer, set hunc iis iudicibus editis, qui testes idem esse possent, absolutum putarem.* Idem *tribus* et *iis* omittunt.

XIV. C. XVII. §. 43. *Et si quaesitor huic edendus fuisset, quem tandem potius, quam hunc C. Alfium, grauissumum hominem iustissumumque, edidisset?* Idem *huic* omittunt.

XV. C. XXVI. §. 64. *Quamuis enim illa floruerit, tamen eum me postea fuisse in maxumis inperiis arbitror, ut non ita mihi multum gloriae sit ex quaesturae laude repetendum.* Idem *gloriae* omittunt.

XVI. C. XV. §. 36. *Quod genus iudiciorum si est aecum ulla in re, nisi in hac tribuaria, non intellego* etc.. Idem *in* omittunt.

XVII. C. XVII. §. 43. *Quid diceret aput Uoltinienses, aut aput tribulis suos iudices?* Idem *aput* omittunt.

XVIII. C. XXVI. §. 64. *Excogitati quidam erant a Siculis honores in me inauditi.* Idem *in me* omittunt.

XIX. C. XXXII. §. 78. *Set quia saepe concurrant aliquorum bene de me meritorum inter ipsos contentiones.* Idem *bene* omittunt.

XX. C. XLI. §. 100. *Qui, cum ad me L. Tubero, meus necessarius, qui fratri meo legatus fuisset, decedens ex Asia uenisset, easque insidias, quas mihi paratas ab exulibus coniuratis audierat, ad me animo amicissumo detulisset: in Asiam* etc.. Idem *ad me* post *audierat* omittunt.

Iam quae in nouem prioribus locis a familiae tertiae codicibus omissa uerba uidemus, ea omnia genuina esse, hoc solo euinci argumento credo, quod cum ad explanandum uerborum sensum nihil

prorsus conferant, ab interprete adiecta esse, ab omni probabilitatis specie abhorret. Et quarto quidem in loco monendumst, Ambrosianum etiam cum B et E *aut* addere; quo minus quin genuinum sit dubitari potest. Uide quae L. I. C. III. §. 1. diximus. In tertio loco quamquam non minus certumst, *aliquando* particulam interpretis esse non posse, tamen in eam quis incidat opinionem, idem hic, quod in locis illis, de quibus in initio huius sectionis exposuimus, factum esse. Satis enim erat dixisse: *et te ad caussam aliquando deducere* omissis uerbis *crimenque*. Patet hoc uel ex C. XV. §. 36., ubi orator de eadem re loquens simpliciter dicit: *Set aliquando ueniamus ad caussam, in qua tu* etc.. Et cum saepenumero ab interpretibus adiecta ea sint, quae alibi ab ipso Tullio, ubi plenius locutus erat, addita meminerant, facile quis memor eorum, quae in oratione Milon. C. IX. §. 23. scripta leguntur, *Quamobrem, iudices, ut aliquando ad caussam crimenque ueniamus,* super *aliquando* hanc glossam, ad nomen *caussae* pertinentem, *crimenque* superscribere potuit. Quo facto qui duplex codicum scriptura oriri debuerit, satis ex iis, quae supra exposuimus, elucet. Set utcumque de hac coniectura mea, quam certe non inprobabilem puto, statuatur, illut profecto, quod hic agitur, certumst, *aliquando* particulam ab ipso Tullio scriptam esse. Fortasse etiam C. IV. §. 9., quem locum primum posui, *uide tandem, Laterensis, quantum ego a te dissentiam,* pro *ego* pronomine, quod ex B et E recipiundum duxi, cum ab interprete additum esse perquam sit inprobabile, uerba *a te* expellenda sunt, ita ut super *ego* posita in codice principe fuisse statuamus.

Quae in reliquis locis soli B et E addunt, licet primo aspectu cuipiam salua sententia abesse posse uideantur, tamen re accuratius considerata partim Tullianam loquendi consuetudinem, partim membrorum aequalitatem addi postulare apparet. Idque ad singulos locos in commentario a me conprobatum puto. In quibusdam, ueluti in X. XI. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX., facillumo etiam describentis errore quae familiae tertiae codices omittunt excidere potuisse patet.

Contra interpretum puto additamenta esse, quae B et E soli in his locis uerba addunt:

C. VI. §. 16. *Cur tu id in iudicio ut fiat exprimis, quod non fit in campo?* Familiae tertiae codices *ut fiat* omittunt.

C. XVI. §. 40. *Tu me ignaro, nec opinante, inscio notes et tuos et tuorum amicorum necessarios, uel iniquos uel meos uel etiam defensorum meorum.* Idem *amicorum* omittunt.

C. XXV. §. 62. *Omnes enim eiusmodi artes in iis reprehenduntur, qui cum professi sunt satisfacere non possunt; non in iis, qui se afuisse ab istis studiis confitentur.* Idem *se* omittunt.

In primo horum locorum cur *ut fiat* et in tertio cur *se* spuria putem, expositum in commentariost. In secundo quiuis sponte intellegit, nomen *amicorum* a Cicerone ibi non potuisse addi. Qui restant sex loci, in iis quae soli B et E uerba habent eiusmodi mihi uidentur, ut utrum a Tullio an ab interprete profecta sint, certo dici nequeat. Ego tamen eo minus illa quoque recipere dubitaui, quo grauior B et E codicum auctoritas est, a qua ibi tantum defeci, ubi grauissumis argumentis reliquorum codicum scripturam praeferendam esse conprobari potuit. Loci autem, quos dico, hi sunt:

C. XII. §. 29. *Ut uiuat cum suis, primum cum parente (nam meo iudicio pietas fundamentumst omnium uirtutum) quem ueretur ut deum (neque enim multo secus est parens liberis) amat uero* etc.. Familiae tertiae codices *est* omittunt.

C. XXIV. §. 59. *Quae scripsit grauis et ingeniosus poeta, non ut illos regios pueros, qui iam nusquam erant, set ut nos et nostros liberos ad laborem et ad laudem excitaret.* Idem *ad* ante *laudem* omittunt.

C. XXV. §. 60. *Etenim in uirtute multi sunt ascensus, ut is gloria maxume excellat* etc.. Idem *sunt* omittunt.

C. XXIX. §. 71. *Nisi forte existumas, eos idcirco uitae meae pepercisse* etc.. Idem *forte* omittunt.

C. XXX. §. 72. *Non quo turpe sit, protectum in acie ex hostium manibus eripi.* Idem *ex* omittunt.

C. XXXIII. §. 82. *Neque enim illut ad neglegendam meam gratiam debet ualere, quod dixit idem, uos nec nocentis nec litigiosos esse.* Idem *illut* omittunt.

§. 9.

His locis continuo duos illos addo, in quibus post ea, quae §. 8. disputauimus, nemo dubitabit, quin B et E solas glossas receperint, pro quibus genuina uerba in familiae tertiae codicibus seruata sint. Locos hos dico:

C. VI. §. 15. *Sin hoc persaepe accidit, ut et factos aliquos et non factos esse miremur; si campus atque illae undae comitiorum, ut mare profundum et inmensum, sic ecferuescunt quodam quasi aestu, ut ad alios accedant ab aliis autem recedant: tanto nos inpetu studiorum et motu temeritatis modum aliquem et consilium et rationem requiremus?*

C. XXXVI. §. 88. *Aut, si minus fortes, attamen tam iusti, quam P. Mucius, qui arma, quae priuatus P. Scipio sumpserat, ea Tib. Graccho interempto iure optumo sumpta esse defendit?*

In priore loco pro *tanto* B et E *tamen* habent; quae particula etsi ad explicandum nomen *tanto* non facit, tamen cur ab interprete ei nomini superinposita fuerit, in promptust uidere. Neque uero opus illa particulast, codicumque auctoritatem nimis neglexerunt, qui et *tamen* et *tanto* recipiunda censuerunt. — Altero in loco non posse *ceperat*, quod B et E pro *sumpserat* habent, a Tullio scriptum iudicari, in commentario demonstraui.

Plane contrarium in tribus aliis locis factum, ubi familiae tertiae codices omnes pro genuinis uerbis, quae in B et E sunt, glossas receperunt.

C. IX. §. 22. *Tractus ille celeberrumus Uenafranus, Allifanus, tota denique nostra illa aspera et montuosa et fidelis et simplex et fautrix suorum regio se huius honore ornari, se augeri dignitate arbitrabatur.*

Ibid. §. 23. *Quibus e municipiis uix iam, qui carnem latinis petant, reperiuntur.*

C. XIII. §. 32. *Set cum sit Cn. Plancius is eques Romanus, ea primum uetustate equestris nominis, ut pater, ut auos, ut maiores eius omnes equites Romani fuerint.*

In primo horum locorum omnes, qui diligenter consulti sunt, codices familiae tertiae pro *tractus* scribunt *totus*. Hinc iam Petrus Uictorius, qui non aliam quam fam. tertiae codicum scripturam nosset, scribendum *totus ille tractus* coniecit. Atque ita editores recentioris aeui omnes scripserunt, codicum adeo hanc scripturam esse arbitrati. Atqui nullus dum repertus codex est, qui eam confirmarit. Contra qui adhuc conlati sunt codices, omnes eam, quam posui, scripturam ueram esse arguunt. Ipsam eam habent B et E; ex qua re sola satis efficitur, in codice principe non posse *totus ille tractus* scriptum extitisse, cum prorsus incredibile sit, hoc a librario, qui codicem scripsit, unde B et E sunt orti, in *totus ille* potuisse deprauari. Idem ualet de reliquorum codicum scriptura, *totus ille*, quam eandem non potuisse ex uerbis *totus ille tractus* oriri, in apertost. Cum maiore quadam probabilitatis specie coniciat quis, *totus tractus ille* antiquitus fuisse scriptum. Ita certe scripturae diuersitas, quae in codicibus est, quodammodo explicaretur. Set quid opus est coniectura, ubi quam praestantissumi codices scripturam praebent, sensui optume conuenit, et ea, quae in reliquis libris est, unde orta sit, manifestumst? Super *tractus* enim adiectiuom *totus* ab interprete scriptum genuinam uocem expulit. Est autem adiectiuom illut saepe in similibus locis ab interpretibus additum. Cfr. Beierus ad M. Tulli Laelium C. II. §. 6. p. 11. ed. mai.. Sic in Rullum II, 17, 45. *per orbem terrarum* ipse Erf. male *totum* addit.

In secundo loco, in quo pro *reperiuntur* familiae tertiae codices *inueniuntur* scribunt, eo certius est, genuinam eam scripturam esse, quam posui, cum non solum B et E, uerum ipse etiam Ambrosianus tueatur. Cfr. quae supra L. I. C. III. §. 1. dixi.

In tertio denique loco ante Garatonium ex familiae tertiae codicum auctoritate pro *nominis* scribebatur *ordinis*. Itaque ille ad eum locum haec adnotauit: „Ban. *nominis*. Optume. Nunc demum comparatione intellegitur, minus recte dici *ordinis* et glossema esse certissumum, quod antea suspicatus est nemo.“ Erfurtensis neque *ordinis* neque *nominis* habet. Set uerumst quod B habet, *nominis*.

§. 10.

Ex iis, quae de cognatione codicum exposuimus, illut quoque certo confici puto, si B et E aliam atque familiae tertiae codices scripturam habeant, ita ut neutra aut corruptela aut explicatio alterius dici possit, tum neutram in codice principe fuisse scriptam, set utramque ab interprete debere profectam existumari. Eiusmodi locus est, qui C. VIII. §. 19. legitur *) et in codice Erfurtense sic scriptus extat:

Alteros (credo, quia refertumst municipium consularibus: nam maleuolos non esse certo scio) numquam intellexi uehementius suorum municipum honore laetari.

Cum Erfurtense consentit Bauaricus, nisi quod leni errore *municipium* pro *municipum* scribit et *honore* omittit. Familiae tertiae codices ad unum omnes non tantum pro *municipum* scribunt *hospitum* (quidam leni errore *hospitium*), set etiam alio ordine uerba ponunt, scribentes, *hospitum suorum.* Fuluius Ursinus cum ueterem librum habere *hominum suorum honore* dicit, dubitari non potest quin uiri docti coniecturam, margini editionis cuiuspiam adscriptam, pro uariante codicis lectione habuerit. Uide quae supra de lectionibus, quas Ursinus memorauit, Lib. I. C. I. §. 3. monuimus. Nihilominus uerum puto Garatonium uidisse, qui fam. tertiae codicum scripturam *hospitum* ex nomine *hominum*, quod uir ille doctus, cuius coniecturam Ursinus pro codicis scriptura habuit, iam eruit, deprauatam esse censuit. Nam adeo imperitus nemo profecto interpres potuit esse, ut *hospitum* nomen hic subintellegendum putaret. Uerum in codice principe non posse *hominum suorum*, ut Ernestius scripsit, scriptum extitisse, ex B et E codicum scriptura manifesto apparet, quam ex illa non potuisse oriri omnes intellegunt. Immo nihil certius est, quam in antiquo isto exemplari scriptum fuisse: *uehementius suorum honore laetari.* In qua scriptura recte solum *suus* pronomen usurpatum esse, uel uerba, quae antecedunt, probant, *primum utrum magis fauere putas Atinates, an Tusculanos suis?* Contra *hominum* nomen neque additum in hoc loquendi genere umquam uidi, neque apte posse addi puto. Ceterum nomen *municipum* quamquam per se iam satis suspectum, magis tamen suspectum reddit Bauarici scriptura, *honore* omittentis. Quod uerbum nemo profecto dubitabit quin hanc solam ob caussam omissum sit, quod glossa *municipum* superscripta fuerit. Ita uides idem hic librarium codicis Bauarici fecisse, quod saepius ab eo, qui codicem scripsit, ex quo familiae tertiae libri originem duxerunt, factum supra §. 8. uidimus. Simul illut apparet, in codice principe nullam hic ad explicandum *suorum* pronomen superscriptam glossam fuisse. Hoc enim si factum fuisset, non intellegeretur, quomodo uox *honore* in Erfurtense, qui ex eodem cum Bauarico fonte manauit, seruari potuisset. Immo profecta glossa *municipum* ab eo librario, qui codicem scripsit, ex quo B et E sunt orti. Certe in eo libro primum super *honore* positam fuisse statuendumst. Eum librum cum supra docuerimus eum ipsum, qui auctor codicis Bauarici extitit, descripsisse, optume iam intellegitur, qui factum sit, ut *honore* ab librario codicis Ba-

---

*) Ut quid uiri docti ante me de hoc loco iudicassent, intellegi posset, editorum ad h. locum adnotationes repetere hic uisumst. „Ex Erfurtense codice multa uolnera harum orationum sunt sanata. Cur non et hic recipimus lectionem eius, cum uolgata *hospitum* ferri non possit? Non enim hospites harum ciuitatium erant, qui Romae magistratus creabantur, set ciues, siue municipes." *GRAEUIUS.* „Cum ferri non possit *hospitum*, quod seruauit tamen Oliuetus, id facile ortum dixeris ex *hominum*, quod ex unico Ursini codice recepit Ernestus, at ne per glossam quidem ex *municipum*, quod ex unico item illo Erf. adoptarunt etiam Uerb. et Lallem.; contra *municipum* adscribi potuit ad uocem *hominum:* ac sane obseruasse mihi uideor, codicem optumum Erf. aliquando emendationes aut interpretationes habere, neque ineptas illas, ut fere ceteri, set ab homine perito doctoque profectas. Ita fiet, ut codex Ursini, qualiscumque fuerit, possit hoc loco praestantissumum uiucere." *GARATONIUS* I. „Bau. *suorum municipium laetari.* Uoluit sane cum Erf. *municipum*, nec repugno. Set cum omittit *honore*, suspicionem interpolationis inicit. Ex antecedente *municipium* siue marginalis notatio, siue *hominum*, quod Ernestus praetulit, proficisci potuit interpretatio. Oxonienses omnes corrupti, quorum sex *hospitum*, tres habent *hospitium*; set certe ex *hominum*, non ex *municipum.*" *GARATONIUS* II.

narici omitteretur. Itaque hic locus simul ea confirmat, quae supra de B et E origine et cognatione exposuimus. Denique quod B *honore* omittit, inpedimento etiam patet esse, quominus, id quod suspicati quidam sunt, nomen *municipum* pro interpretatione nocis *hominum* habeatur. Nam si in codice principe *hominum suorum* scriptum et super *hominum* positum *municipum* fuisset, non potuit recepto nomine *municipum* et *hominum* et *honore* excidere. Postremo ad sententiam meam conprobandam hoc quoque facit, quod nomen *hospitum* in familiae tertiae codicibus alium locum atque *municipum* in B et E occupat.

Alter locus, in quo diuersitas scripturae, quae in codicibus est, eiusdem fere generis est atque in eo, quem modo tractaui, legitur C. XXVII. §. 66., et ante Orellium in omnibus editionibus sic scriptus extabat:

Nam posteaquam sensi, populum Romanum aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere: destiti, quid de me audituri essent homines, cogitare.

Atque est haec sane omnium fere codicum familiae tertiae scriptura, nisi quod quattuor, Ma, Lc, D, et H, uerba *atque acutos* omittunt. Neque quisquam mutandam illam uolgatam scripturam, in qua nihil profecto offensionis est, putaret, nisi uehementer praestantissumi libri, B et E, ab ea dissentirent. Ii enim pro uerbis *oculos acres atque acutos habere* scribunt *oculos autem esse acris atque acutos;* et Bauaricus quidem pro *populum Romanum* habet *populo Romano*, Erfurtensis conpendio *p. R.* utitur. Orellius auctore Garatonio, cuius ad hunc locum adnotationem in imum marginem reieci *), sine dubitatione locum hunc ita conformauit, quemadmodum in B et E scriptus legitur. Atque ipse, si alterutra scriptura admitti debuisset, eam continuo recipiundam duxissem, quae in B et E est, quorum multo maiorem quam reliquorum codicum auctoritatem constet esse. Uerum cum uix intellegi possit, qui factum sit, ut, si in codice principe scriptura, quam B et E praebent, extitisset, ea in eum modum, quo familiae tertiae codices scribunt, mutaretur, nisi quis dicat, uerborum *autem esse* litteras tum temporis, quo codex princeps a neglegentiore illo librario descriptus sit, iam euanidas fuisse, ideoque ab eo integrandae orationis caussa *habere* esse additum: facile quis in eam opinionem incidat, ut neutram scripturam genuinam putet, et in codice principe ita locum hunc scriptum fuisse coniciat: *Nam posteaquam sensi populi Romani auris hebetiores, oculos acris atque acutos.* Quam scripturam errabit certe qui propterea inprobandam dicat, quod *sentire auris alicuius hebetiores* locutio sit Latinis non consueta. Simillume locutus est Tullius in his locis: Philipp. II, 4, 9. *posteaquam uos ad libertatem sensit erectos, praesidia uestrae libertati parauit.* Ibid. XIII, 11, 24. *puerum appellat, quem non modo uirum, set etiam fortissumum uirum sensit et sentiet.* Ibid. 15, 31. *in eumque locum deduxeris, ex quo ipsi iam sentiunt se numquam exituros.* in Pis. XXXVI, 87. *tantum locum aliquem cum mihi notum senseris.* Horat. Epist. II, 2, 162. *uilicus — te dominum sentit.* Nec absimile Sallust. Cat. LI, 17. *eos mores, eam modestiam uiri cognoui.* Itaque uerbum *esse* recte certe omitti a Cicerone potuit, neque necessaria *autem* particulast, quam saepe in similibus loquendi generibus non addi constat, ab interpretibus autem plerumque infersam scimus.

§. 11.

Porro quae uerba alium in B quam in E, aliumque rursus in familiae tertiae codicibus locum occupant, ea interpolationis nomine maxume debere suspecta esse, ex iis, quae de codicum origine disputauimus, necessario sequitur. Iam cum in omnibus locis, ubi ita inter se codices discrepant, uerba illa,

*) „Graeuius ex Erfurtense adiecit *autem*, quod deerat in aliis omnibus; testatus est simul, in eodem *autem esse* conscribi. Ego totam optumi libri lectionem facile intellexi; tamen cur ille contempserit, ignorans subdubitaui, admittendamque non censui. Confirmat nunc me Bauaricus, in quo ita plane legitur, ut ego conieceram, atque ut tandem restituere tuto possumus. *Nam posteaquam sensi, populo Romano auris hebetiores, oculos autem esse acris atque acutos, destiti* etc.. Scriptio ipsast accurata, *auris* et *acris*, ex genitiuis *aurium* et *acrium*, set *hebetiores* ex *hebetiorum*, ut Grammatici praecipiunt. Notarum *P. R.* explicatio uarietatem hanc peperit. Aeque recta uolgatast, set optumorum codicum aput me uincit auctoritas.“ *GARATONIUS* II.

quorum in aliis codicibus alia sedes est, prorsus inutilia etiam sint, mea sententia dubitari nequit, quin ab interprete profecta existumanda sint. Loci hi sunt:

C. VIII. §. 19. *Tu es ex municipio antiquissumo Tusculano, ex quo plurumae familiae* ***sunt*** *consulares, in quibus est etiam Iuuentia.*

Sic omnes fam. tertiae codices; contra B *sunt* ante *plurumae* habet, E ante *familiae.* Itaque non dubitaui id uerbum omittere, quod uaria, quam habet, sede uehementer suspectum neque ad sententiae integritatem necessariumst et ab interpretibus saepissume additum constat esse.

C. XXIV. §. 59. *Ego uero quamquam illi omnia malo quam mihi, tamen* ***illi*** *honorum aditus numquam faciliores optaui, quam mihi fuerunt.*

Sic omnes fam. tertiae codices; a quibus dissentit E, *illi* pronomen post *numquam* ponens, et B hoc ordine uerba conlocans: *tamen numquam illi faciliores honorum aditus* etc.. Et prorsus quidem uitiosa *illi* pronominis conlocatio east, quam in fam. tertiae codicibus dixi esse. Nam cum in altero membro *tamen — fuerunt* praecipuam uim non pronomen illut, set uerba *honorum aditus* habeant, non *illi* pronomen set necessario uerba *honorum aditus* continuo post *tamen* sequi debent. Omnino autem non inutilis tantum, uerum molesta etiam pronominis illius iteratiost, quemcumque ei locum tribueris. Accedit, quod, a Tullio si fuisset additum, non intellegitur, qui factum sit, ut tam uariam in codicibus sedem occuparet. Itaque sine dubitatione eiciundum putaui.

C. X. §. 26. *Quod eum linquentem terram eam, quam seruarat,* ***uotis omnibusque lacrumis*** *prosecuti sunt.*

Sic Bauaricus scribit; Erfurtensis *uotis omnibus lacrimisque;* familiae tertiae codices fere omnes *lacrimis uotisque omnibus.* Nam tres tantum Parisini eo dissentiunt a reliquis familiae tertiae codicibus, quod *ominibus* pro *omnibus* scribunt. Lallemandus autem, cuius ad hunc locum adnotationem pariter atque reliquorum editorum repetere hic uisumst et in imum marginem reicere *), cum unum de suis codicibus eandem praebere scripturam dicit, quam falso Graeuius in Erf. reperiri dixerat, *uotis, ominibus, lacrimisque*, minume existumandus est hoc dicere uoluisse, eundem uerborum ordinem in uno de suis offendi, qui in Erf. sit, set scripturam *ominibus* unius de suis codicibus auctoritate conpro-

---

*) *Lacrimis, uotis, ominibusque prosecuti sunt*] Sic legendum, non *uotisque omnibus.* Horat. od. 5. lib. 4.: *Uotis, ominibusque, et precibus uocat.* Quodsi quis malit ita legi, *uotis, bonisque ominibus*, non repugnabo; set longius discesserit ab antiqua scriptura. *LAMBINUS.* Erfurtensis *uotis*, *ominibus*, *lacrimisque* [non ita scribit], quem sequor. *GRAEUIUS.* Graeuius bene e cod. Erf. *uotis*, *ominibus*, *lacrimis.* Sollemne librariis *uotis omnibus* scribere pro *uotis*, *ominibus. ERNESTIUS. Uotis*, *ominibus*, *lacrimisque*] Ita Graeuii cod. Erf. et unus e nostris, idque praestat uolgato, *lacrimis*, *uotisque omnibus. LALLEMANDUS.* Certe absurda non erat uolgata; set haec tamen melior, Bentleio quoque iudice, quem omnino consule ad Horat. IV. Carm. 5, 13.. Facilluma permutatio fuit, de qua Dukerus ad Liu. XXIX, 10.. *GARATONIUS* I. Duae sunt in codicibus lectiones: altera, quae merito repudiatur, *lacrimis, uotisque omnibus*, altera, quae probatur, *uotis*, *ominibus*, *lacrimisque*, ab Erfurtense et Lallemandi altero accepta. Cum in hac facile adquieuerim, conmouet me nunc optumi codicis Bauarici deprauatio, *uotis omnibusque lacrimis.* Uide etenim in talibus librorum erroribus contineri aliquando ueriora. Quid ergo, si uox *lacrimis,* quae sedem habet incertam, delenda sit? Tum optuma, et a melioribus libris conprobata lectio restaret, *quod eum linquentem terram eam, quam seruauerat*, *uotis ominibusque prosecuti sunt.* Lambinus iam intellexerat pro *uotisque omnibus* legendum esse *uotis ominibusque.* Set cum *lacrimarum* uideam opportunam esse mentionem, nihil muto. Tantum suspicor, in Bauarico uocem *lacrimis* alieno loco fuisse repositam, cum antea superiore deciderit, deinde marginem occuparit, periteque id emendatum in Erfurtense fuisse. Ita Lambiniana ipsa lectio conficeretur; quae denique non differt nisi ordine a Graeuiana. *GARATONIUS* II. Optumus sane ordost Lambinianus: *lacrimis*, *uotis ominibusque*, quem recepimus. *Lacrimas* primum mouebat dolor ob Mari fugam; has uero statim, desiderio ac spe reditus, uota ominaque excipiebant, quae nescio quomodo lacrimis postea obortis fuissent funestata. *Que* cum ab omnibus codicibus seruetur, non erat cur ab Ernestio et Schutzio induceretur. Graeuius enim habet *lacrimisque;* et recte iam in nostra lectione duo tantum membra sibi opponuntur, alterum *lacrimae*, alterum *uota ominaque. ORELLIUS.*

bari. Nam quouis pignore contendere ausim, nullum in Colbertina bibliotheca codicem extare, in quo uerba illa, de quibus agitur, eo conlocata ordine reperiantur, quo sunt in Erfurtense perscripta. Omnino autem neglegentissumum Lallemandum in referendis uariis codicum lectionibus fuisse, multis, si opus esset, exemplis conprobari posset. Itaque codices dupliciter potissumum a se dissentiunt, in nominis *lacrumae* et *que* copulae conlocatione. Nam quod tres uel quattuor Parisini *ominibus* pro *omnibus* scribunt, uix dici dissensus potest, cum utriusque nominis permutatio et facilluma sit et frequentissuma. Alienum autem prorsus *omnibus* esse, nemo negabit, qui nec dictum alibi aut *uotis omnibus* (Senecae enim exemplo nemo ad hunc locum abutetur) aut *omnibus lacrumis* esse, et, si dictum esset, multo certe grauius esse reputauerit, quam quod huic loco accommodatum sit. Nihilominus statuendum necessariost, id quod in emendando hoc loco nonnullius est momenti, in codice principe, ex quo familiae secundae et tertiae codices orti sunt, non *ominibus* set *omnibus* scriptum extitisse, scripturamque *ominibus* in quattuor illos Parisinos sine felici errore librari, sine coniectura interpretis inlatam esse. Cfr. quae supra Lib. I. C. III. §. 8. diximus. Scribunt igitur optumi libri, B et E, ut omittamus paulisper *que* copulam, *uotis omnibus lacrimis*, deteriores, id est familiae tertiae codices, *lacrimis uotis omnibus.* Si haec sola esset uarietas, nihil hunc locum uiti contraxisse dicerem nisi nomen *lacrimis* errore librari loco suo motum esse, eumque uerborum ordinem, qui in B et E est, necessario restituendum contenderem. Cfr. quae Lib. I. C. III. §. 9. dicta sunt. Uerum mouet uehementer suspicionem corruptelae *que* copula in aliis codicibus aliter posita, hocque magis, quod in eius conlocatione non tantum fam. tertiae codices a B et E dissentiunt, uerum ipsi etiam optumi libri, B et E, a se inuicem dissident. Nam B uidimus scribere *uotis omnibusque lacrimis*, Erfurtensem *uotis omnibus lacrimisque*, reliquos *lacrimis uotisque omnibus.* Neque uero eorum probari sententia potest, qui *que* copulam abiciundam ut spuriam putarunt. Nam sic tria illa uerba tria integra membra, ut ita dicam, efficerent. Atqui ubique *uota* et *omina* sic solent ab antiquis scriptoribus coniungi, ut in unam fere notionem coalescere uelle intellegantur. Itaque sollemnis dictiost *uota ominaque.* Cfr. Bentleius ad Hor. IV. Od. 5, 13.. Iam cum optumus codex Bauaricus id ipsum, quod usu receptumst, habeat scribatque *uotis omnibusque*, hoc quidem certissumum puto, Tullianam hanc scripturam esse *uotis ominibusque.* Minume uero faciundum propterea cum Garatonio et Orellio, qui Lambino praeeunte *lacrimis* ante *uotis* conlocarunt. Primum enim haec, quam receperunt, scriptura *lacrimis*, *uotis ominibusque* nullius omnino codicis auctoritate nititur, cum codices, qui *lacrimis* ante *uotis* habent, inepte *uotisque omnibus* scribant; deinde eorum codicum, qui *lacrimis* initio ponunt, nullo pacto hac in re maior quam B et E auctoritas potest esse; denique ne apta quidem ista uerborum conlocatiost, quia, si *uotis ominibusque*, ut ipse Orellius recte monuit, in unam coalescunt notionem, inter *lacrimis* et *uotis* copula *et* requiritur, dicendumque erat *lacrimis et uotis ominibusque*, ut dictum paulo ante, *his et senatui populoque Romano.* Nam etsi me non fugit, duo etiam uerba nonnumquam sine copula conponi, tamen istorum locorum aliam esse quam huius rationem uideo. Cum igitur *lacrumis* initio poni non debere certum sit, duplex tantum huius emendandi loci ratio relinquitur. Altera haec est, ut presse codicis Bauarici secuti auctoritatem tantummodo *et* copulam ante *lacrumis* addamus, scribamusque: *uotis ominibusque et lacrumis.* Recte hoc dictum esse, uel unus ille Liui locus, a Bentleio l. l. adlatus, probat, *Cum bonis potius ominibus uotisque et precationibus.* Atque sic Maduigius Obss. I. p. 40., uir eruditissumus, scripsisse Ciceronem putauit. At reprobatur prorsus haec coniectura codicum scripturis, quarum diuersitas unde orta sit, minume explicari potest, si isto modo Ciceronem censemus scripsisse. Altera ratio haec est, ut eiecto nomine *lacrumis* codicis optumi scripturam recipiamus. Quam sententiam qui primus tulit Garatonius, nollem denuo retractasset. Hac enim una ratione, unde tam discrepans codicum scriptura sit orta, planissume doceri potest. Ac primum quidem, cur diuersum in codicibus locum uerbum *lacrumis* occuparit, quiuis iam intellegit, qui glossas superscriptas saepissume ab aliis librariis alios in locos esse receptas meminerit. Deinde non minus in promptust uidere, cur *que* copula loco suo mota sit. Nam cum esset *lacrumis* super *uotis omnibusque* positum, unus eorum, qui exemplar, in quo glossa erat superscripta, descripserunt, glossam post *omnibusque* intulit, unde facta codicis Bauarici

scriptura, *uotis omnibusque lacrimis*, alter, cum glossa super *omnibus* esset posita, scripsit, id quod procliue erat, *omnibus lacrimisque*, unde formata Erfurtensis libri lectio, *uotis omnibus lacrimisque*; contra qui glossam ante *uotis* conlocauerat, is necessario, cum uerba *lacrimis uotis omnibusque* sensu carere animaduerteret, *que* copulam mouere loco suo debebat, et scribere *lacrimis uotisque omnibus*, quae consentiens familiae tertiae codicum scripturast. At obiciat quis, non uerosimile esse, ut interpres uocem illam superscripserit, qua nullum eorum, quae a Tullio posita uerba sint, explanetur. Et ipse iudicium meum temerarium dicerem, si in codice, in quo primum posita fuisse glossa illa censendast, uera scriptura *uotis ominibusque* extitisset. Uerum cum in antiquo illo exemplari *uotis omnibusque* scriptum fuisse certissumum sit, nemo non uidet, interpreti mancam debuisse orationem uideri, ideoque aliquod uerbum, quod ad *omnibusque* pertineret, addendum esse uisum. Quid autem magis poterat in mentem uenire, quam id, quod Tullium in hac ipsa oratione §. 73. usurpasse uiderat, dicentem: *cum me — non lacrumis solum tuis, set — prosecutus esses?* Itaque genuinam ego hanc scripturam credo esse: *quod eum linq entem terram eam, quam seruarat, uotis ominibusque prosecuti sunt.*

Hic eum etiam tractare locum placet, quem uno uitio iam supra Lib. I. C. III. §. 8. liberauimus. Scribitur uolgo C. XVIII. §. 44.:

Neque ego nunc consilium reprehendo tuum, quod non eas tribus, quibus hic maxume notus erat, edideris.

Uidimus supra, postulante sententia et adsentientibus codicibus scribendum esse: *quod eas tribus — non edideris.* Nunc aliut etiam hic emendandum uitiumst, quo sanato magis etiam apparebit, qui factum sit, ut *non* particula ante *edideris* omitteretur. Delendum enim uerbum *erat*, quod B ante *hic* ponit, fam. tertiae codices, qui uolgatam scripturam tuentur, uno La excepto post *notus* ponunt, Erfurtensis autem omittit. Iam uides, cum scriptum esset *not' nō* id est *notus non*, facillume particulam negatiuam excidere potuisse. Est autem uerbum *erat* non propterea solum pro insititio habendum, quod in E non extat, set quod in B et fam. tertiae codicibus non eundem locum occupat. Ceterum non *erat* ibi supplendum, ut uisum interpreti, set *est*.

§. 12.

Non minus spuria mea sententia iudicanda ea uerba sunt, quae in B et E quidem eandem sedem, uerum aliam eamque uagam in familiae tertiae codicibus habent. Pertinent huc tres loci, in quorum duobus non dubitari posse puto, quin ab interprete profecta uerba sint, quae uarie in codicibus conlocata reperiuntur. Eorum alter C. XXXVII. §. 91. extat et uolgo sic scribitur:

Nam quod te in re publica liberum esse gloriatus es, id ego et fateor et laetor et tibi etiam in hoc gratulor.

Est haec autem paucissumorum fam. tertiae codicum scriptura, in qua etsi nihil est uiti, tamen admodum aspere ad auris uerba *liberum esse gloriatus es* cadunt. Uerum multo magis propterea haec scriptura inprobanda, quod optumi plurumique codices, quorum longe maior auctoritas est, aliter Tullium scripsisse testantur. Ac primum quidem *es* non post, set ante *gloriatus* a Tullio positum fuisse ut credamus, non solum Bauarici et Erfurtensis auctoritate, quae sola sufficeret, uerum etiam Lb, Pb, Pc testimonio, cum optumis illis *es gloriatus* scribentium, uel inuiti inpellimur. Continuo patet, *esse* non posse post *liberum* locum habere. Probaturque haec quoque sententia plurumorum eorumque optumorum codicum auctoritate. Nam B et E uerbum *esse* post *te* ponunt, contra Mc, La, Lb, Pa, Pb, Pc, C, T, ς, et χ 1 ante *te* habent, ita tamen ut T, ς, et χ 1 etiam post *liberum* denuo ponant. Miror autem Garatonium illorum probare scripturam codicum potuisse, in quibus hic est uerborum ordo: *nam quod esse te in re p. liberum* etc.. Non potest enim uerbum *esse* in initio membri cuiuspiam poni, nisi si cum ui quadam pronuntiandumst. Qua ui cum hic careat, certe post *te*, ubi in B et E conlocatum reperitur, poni debebat. Atqui cum tam uaga eius sedes in codicibus sit, interpretesque nihil saepius adiecisse quam uerbum illut constet, persuasissumum mihi habeo, genuinam Tulli manum hanc fuisse:

Nam quod te in re publica liberum es gloriatus. Minume antem uerbum *esse* ad locutionis integritatem requiri, ex eiusmodi locis patet, qualis XIII. Philipp. XIX, 40. est: *qui usque eo felix est, ut isdem ornamentis deceperit uos, quibus deceptum Caesarem gloriatus est.*

Alter locus, in quo non minus uaga uerborum sedes interpolationis suspicionem mouet, legitur C. XXV. §. 62. et in B et E sic scriptus extat:

Quodsi praeterea nemo e s t *h o n o r e dignus, quidnam tot optumis et ornatissumis ciuibus est futurum?*

Sic igitur B et E; familiae tertiae codices ita inter se dissentiunt, ut pro uerbis *nemo est honore dignus* Mc, La, et ψ *honore dignus nemo est*, Lb *honore nemo dignus est*, Pb, Pc, D, C, ς, χ 1, et 3 *honore dignus*, reliqui *honore dignus nemo* scribant. Iam quis sibi persuadeat, miram hanc lectionum diuersitatem, si ulla harum, quas conmemoraui, in codice principe extitisset, oriri potuisse? Neque uero solum uerbum *est* ab interprete adiectum puto, quo uno superscripto non poterant tantae excitari turbae, set, ut statim dicam quod sentio, nomen etiam *honore* interpretis additamentum credo. Quod si statuimus, id quod ego reuera factum puto esse, super *nemo* ab interprete, uerbum *dignus* explicaturo, positum fuisse in codice principe, omnis lectionum diuersitas unde orta sit, patet. Nam is librarius, qui codicem scripsit, ex quo B et E sunt orti, id quod ubique fecit, hic quoque et genuinam uocem et glossam recepit, contra ille, a quo scriptus codex est, qui fam. tertiae librorum fons extitit, glossam tantum *honore* Tulli uerbis intulit, genuinam uocem *nemo* omittens. Hinc orta scripturast, quam in aliquot fam. tertiae codicibus uidemus esse *honore dignus*, hinc patet, qui factum sit, ut in reliquis etiam codicibus uocis *nemo* sedes uaga sit; hinc denique intellegitur, cur uno eodemque ordine in omnibus codicibus uerba *honore dignus* se excipiant, licet in quibusdam interposito alio uerbo a se seiuncta sint. Neque enim dubiumst, quin uox genuina *nemo* in eos fam. tertiae codices, qui habent, non translata ex codice principe, set addita ab interprete sit, qui, quod nemo non debebat animaduertere, ad sensum eam necessariam esse uidit. Nam si ab eo librario, qui librum scripsit, ex quo fam. tertiae codices originem duxerunt, adsumpta ex codice principe esset, prorsus obscurum esset, qui in non paucis fam. tertiae codicibus omitti potuisset. Pari modo *est* copula minume per illum librarium ex codice principe in quosdam fam. tertiae codices transisse putandast. Quod quominus statuamus, non solum hoc inpedimentost, quod paucissumi familiae illius codices copulam adgnoscunt, uerum illut etiam, quod ii ipsi uarie conlocant. Quid, quod Mc, qui cum La et ψ *honore dignus nemo est* scribit, proxumum nomen *quidnam* omittit? Unde quid certius conligi potest, quam super *quidnam* cum esset in aliquo fam. tertiae codice posita, quem Mc descripsit, factum esse, ut, id quod sexcenties factum, pro genuina uoce glossa reciperetur? Itaque ego non dubitaui, uerba *est honore* eicere. Neque uero uerendumst, ut cuiquam *dignus* nullo addito ablatiuo non recte dictum uideatur. Praecedunt enim proxume haec uerba: *sic populus Romanus deligit magistratus, quasi rei publicae uilicos, in quibus si quae praetereast ars, facile patitur, sin minus, uirtute eorum et innocentia contentus est: quotus enim quisque disertus, quotus quisque iuris peritus est, ut eos numeres, qui uolunt esse?* Quae cum praecedant, apertumst, recte solum nomen *dignus* esse positum, ita ut supplendum sit, *qui a populo R. magistratus deligatur.* Cfr. etiam Sallust. B. Cat. C. LI. *Set ubi inperium ad ignaros ciuis, aut minus bonos peruenit, nouom illut exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et minus idoneos transfertur.*

Ambiguum autem, quae Tulli manus fuerit, mea sententia et est et erit C. XXIII. §. 56., ubi uolgo sic scribitur:

Quibuscum me, iudices, pugnantem m e o m o r e p r i s t i n o *non uidebitis.*

Nititur haec scriptura plurumorum fam. tertiae codicum auctoritate; nam duo tantum eiusdem familiae, Ma et Lc, pro *meo more pristino* scribunt *meo pristino more;* contra B et E habent *more meo pristino*, quem ordinem ego admisi, optumorum librorum auctoritatem sequendam arbitratus. Uerum quaeri potest, num *meo* pronomen a Tullio sit profectum, quod et abesse salua sententia possit et uagam in codicibus sedem habeat.

§. 13.

Maxuma uero interpolationis suspicio oriatur necessest, sicubi uerba aliter in B quam in E, et rursus aliter in fam. tertiae codicibus conlocata reperiuntur ita, ut hi ipsi inter se dissentiant. Factum hoc est uno in loco, qui C. XXXIII. §. 81. extat et in Erfurtense sic scriptus reperitur:

Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ipse ille mutus, ubi alitus aut doctus est, cum grata recordatione in mente uersetur?

Sic igitur Erf., a quo Bau. dissentit, uerba *ille mutus* hoc ordine, *mutus ille* ponens. Magis familiae tertiae codices dissentiunt, ex quibus Ma, Mb, Lc, Pa, et D *locus ille mutus ipse, ubi*, Lb *locus ille mutus ipse, uir*, La *ille locus mutus, ubi ipse*, reliqui cum Eybio *locus ille mutus, ubi ipse* scribunt. Editorum ad hunc locum adnotationes, ex quibus maxume Graeuius a uero aberrauit, in imum marginem reieci *). Is enim, quod ne semel quidem a Tullio scriptum esse apparebit, pronomen *ipse* bis posuit, scripsitque: *cui non locus ipse ille mutus, ubi ipse* etc.. Ac primum quidem non esse *ipse* pronomen post *ubi* a Cicerone positum, non solum optumi libri, B et E, quibuscum aliquot eosque non malos fam. tertiae codices consentire uidimus, uerum etiam Priscianus p. 857. ed. Putsch. testatur, qui hunc locum adferens *ubi altus est* scribit. Accedit ipsa loci sententia, cui aduersatur *ipse* pronomen post *ubi* positum. Neque uero codicis Bauarici probanda scriptura, quam nollem Orellius recepisset. Uidimus enim supra, sicubi aut B aut E cum omnibus fam. tertiae codicibus conspiret, fere semper non eam, quam solus B aut E praebeat, scripturam debere genuinam putari, set quam alteruter cum reliquis libris tueatur. Iam uero E cum omnibus familiae tertiae codicibus in eo consentit, quod *ille* pronomen ante *mutus* ponit. Itaque hoc minume debet cum B, quem etiam alibi male transposuisse uerba quaedam scimus, contra reliquorum omnium codd. auctoritatem post *mutus* conlocari. Contra hoc mirumst neminemdum uidisse, *ipse* pronomen, id quod uaga eius sedes extra controuersiam ponit, ab interprete super *ille* esse positum et ab librariis receptum.

§. 14.

Non debent autem, nisi aliae quaedam suspicionis caussae accedant, ii loci pro interpolatis haberi, in quibus solus aut B aut E a uolgari ordine in conlocandis uerbis recedit. Ita non puto C. XXIV. §. 58. *neque fuisse, qui id nobis narraret* expungendum *id* esse, quod B ante *fuisse* ponit. Nam uim quandam repetitum *id* ibi habet, et est cum irrisione dictum. Ceterum male B quoque nonnumquam uerba transposuisse, patet ex C. XXXI. §. 75., ubi uolgarem uerborum ordinem, a quo solus B recedit *datus est ille tibi* scribens, genuinum esse Ambrosianus consensu suo confirmat. Non maior esse Erfurtensis libri auctoritas potest, C. XXXI. §. 75. *obsoletae iam sunt preces tuae* pro *iam sunt* scribentis *sunt iam*. Neque delendum ibi *sunt* neque transponendum, quod tum tantum fieri posset, si *obsoletae* participium esset. Nunc cum adiectiui uicem gerat, aptius *sunt* ab eo particula *iam* seiunctumst. Ceterum Erfurtensis etiam temere nonnumquam solus uerba transposuit. Ita, ut uno exemplo defungar, C. XXXI.

---

*) *Cui non locus ipse ille mutus, ubi ipse*] Adieci *ipse* ex Erfurtense. *GRAEUIUS*. *Cui non locus ille mutus ipse, ubi*] Sic correxi ex edd. R. Br.. *Ipse* erat alieno loco, ubi stare in hac forma orationis non poterat. *ERNESTIUS*. Mihi non probatur repetitio illa [quam Graeuius admisit] tam proxuma uocis *ipse*, quam suspicor ex uaria eius uocis conlocatione ortam fuisse. Tum etiam quod Naug. ceterique ad Grut. usque dederunt, *altus*, id firmatur auctoritate Prisciani p. 857. ed. Putsch., ex hac oratione citantis, *ubi altus est*. Hic itaque suspicionem ita confirmauit meam, ut locum ratione auctoribusque optumis perpurgari sic debere intellegerem: *cui non locus ipse ille mutus, ubi altus aut doctus est*. Ernestum uideo fere mecum facere. *GARATONIUS* I. Bauar. *cui non locus ipse mutus ille, ubi*. Delendum secundo loco *ipse*, ut olim diximus, tum quia ex priore illuc male translatum fuit, tum quia non extat eo loco in Erf. et Bauar., a quibus in superiorem, unde deiectus fuerat, restituitur. Alii etiam ueteres libri, *locus ille mutus ipse, ubi;* cum aliis Eybius et Aldus *locus ille mutus, ubi ipse*. Hoc igitur firmum est. *GARATONIUS* II.

§. 76. *lacrimulam tuam* scribit, cum Ambrosianus, cum reliquis libris consentiens, Tullium *tuam lacrumulam* scripsisse doceat.

Contra aliquid momenti uidetur Erf. scriptura C. XXXVI. §. 88. habere, ubi uerbum *esse*, uolgo post *ultores* positum, ante id uerbum conlocat. Nam reuera ibi *esse* interpreti deberi, satis mihi uideor in commentario demonstrasse.

Maiorem etiam interpolationis suspicionem idem mouet C. XXXII. §. 77., ubi nunc in omnibus editionibus scriptum legitur:

Cui quidem ego, sicut Cn. Plancio, numquam dissimulaui me plurumum debere, semperque prae me feram.

Erfurtensis pro *prae me feram* scribit *praeferam* et *me* inepte ante *quidem* ponit. Dolendumst, de Bauarico hic taceri, quem si scirem cum Erfurtense facere, nihil certius putarem, quam Ciceronem *praeferam* scripsisse et *me* ab interprete, huius uerbi *praeferre* usus ignaro, superscriptum esse. Nam quo rarior hic uerbi illius usus est, eo magis patet adduci librarios debuisse, ut *me* pronomen adderent. Usurpauit autem Cicero *praeferre* sensu illo in his locis: pro Sext. Roscio Am. C. XXXI. §. 87. *auaritiam praefers, qui societatem coieris de municipis cognatique fortunis cum alienissumo.* ad Diu. X, 8, 8. *ut, cum praeferremus sensus aperte* etc.. Cfr. Matthiae ad Cic. pro Roscio l. l.. Adde Frontonis Epp. ad M. Caesarem L. IV. ep. XII. p. 108. ed. Mai.: *Tibine ita uisum, qui praefers, Faustinam id tibi esse quod lucem serenam* etc.. Atque haut scio, an eodem loquendi genere Cicero in or. pro L. Corn. Balbo C. XXIII. §. 52. usus sit, scripseritque: *Iudices cum praeferrent palamque loquerentur, quid essent lege Papia de M. Crasso, Mamertinis repetentibus, iudicaturi.* Nam pro *prae se ferrent*, quae uolgaris est illius loci scriptura, Erfurtensis *se prae ferrent* scribit. Nihilominus retinendam in loco illo orationis Plancianae scripturam uolgatam putaui, unius libri Erfurtensis non eam ratus auctoritatem esse, ut consuetam loquendi rationem in insolentiorem mutarem.

§. 15.

Porro ea quoque uerba, quae in B et E aliam sedem atque in familiae tertiae codicibus occupant, si ad sensum non sunt necessaria, negari nequit interpolationis nomine suspecta posse esse. Quamquam hac in re magna adhibenda cautiost, ne genuina Ciceronis uerba pro insiticiis habeamus. Nam haut raro ibi etiam in uerborum conlocatione familiae secundae et tertiae codices a se inuicem dissentiunt, ubi pro certo adfirmari potest, omnia uerba ex ore Ciceronis uenisse. Id factum his locis:

C. IV. §. 10. *tecum ita contendam;* sic B et E; rell. *ita tecum contendam.* — C. V. §. 12. *beneficium ad eum potius;* sic B et E; rell. *beneficium potius ad eum.* — C. IX. §. 23. *huic obesse etiam;* sic B et E cum A; rell. *etiam huic obesse.* — C. XII. §. 30. *generis dico et nominis;* sic B et E; rell. *generis et nominis dico.* — C. XVII. §. 43. *propter necessitudinem ac uicinitatem;* sic B et E; rell. *propter uicinitatem ac necessitudinem.* — C. XXIII. §. 55. *set neque tu haec habes;* sic B et E; rell. *set neque tu habes haec.* — C. XXIV. §. 64. *aut clariorem aut gratiorem;* sic B et E; rell. *aut gratiorem aut clariorem.* — C. XXVI. §. 65. *in iis locis solent esse;* sic B et E; rell. paucis leuiter dissentientibus *solent esse in iis locis.* — C. XXXI. §. 76. *non significarem dolorem meum;* sic B et E; rell. *non dolorem meum significarem.* — C. XXXII. §. 78. *idcirco minus iudices;* sic B et E, post *minus* addentes *libenter;* rell. *iudices idcirco minus.* — Ibid. *quo me tandem in te animo putas esse;* rell. *quo me tandem animo in te putas esse.* — C. XXXVII. §. 90. *si umquam uitae cupiditas in me fuisset;* sic B et E; rell. *si umquam in me uitae cupiditas fuisset.* —

Tres sunt loci, in quibus etsi infitiandum non est salua sententia omitti uerba posse, quorum uaga sedes est, tamen prorsus incredibilest ab interprete addita esse, cum ad intellegentiam loci nihil omnino conferant. Loci hi sunt:

C. I. §. 3. *quamquam mihi non sumo tantum neque adrogo, iudices;* sic B et E; rell. *iudices* post *tantum* ponunt. — C. XX. §. 50. *quo quidem tempore, Laterensis, si id facere uoluisses;* sic B et E;

rell. *si id* ante *Lat.* ponunt. — C. XXXVIII. §. 91. *sin autem aliquando sine ullo rei p. detrimento respicio etiam salutem tum meam;* sic B et E; rell. *aliquando* post *etiam* conlocant.

Contra glossis utique similia neque ad sensum necessaria illa uerba sunt, quae in quattuor his locis uarium locum in codicibus occupant:

C. XI. §. 27. *Uitia mehercule Cn. Planci res eae, de quibus dixi, tegere potuerunt; ne tu in ea uita, de qua iam dicam, tot et tanta adiumenta huic honori fuisse mirere.* Sic B et E; rell. *Cn. Planci* inepte post *eae* ponunt.

C. XI. §. 28. *Huic si praesto fuerint, gratius se ciuitatibus suis facturos putant, quam si legationem suam et mandata confecerint.* Sic B et E; rell. *suam* omittunt et post *mandata* ponunt *sua.*

C. XXXVI. §. 89. *Quem, ut potes ex multis audire, qui tum adfuerunt, constat inuitissumis uiris bonis cessisse.* Sic B et E; rell. *constat* inepte ante *bonis* ponunt.

C. XLII. §. 103. *Nolite, iudices, per uos fortunas, per liberos uestros, inimicis meis — dare laetitiam.* Sic B et E; rell. *uester* pronomen post *fortunas* ponunt *uestras* scribentes.

In uno horum locorum, C. XXXVI. §. 89., iam Bakius, cuius adnotationem commentario inserui, uerbum *cônstat* ob eam ipsam caussam insiticium putauit, quod in fam. tertiae codicibus alium locum atque in B et E occupare uiderat. Neque quisquam recte a Tullio *constat* potuisse omitti negabit. Idem uero de tribus reliquis locis ualet, in quibus sine ullo sensus detrimento abesse uerba posse, quorum uaga in codicibus sedes est, nemo non primo aspectu intelleget. Nihilominus etsi ipse uix dubito, quin spuria sint, eicere tamen nolui, cum neque orationem conmaculent et, id quod maxume me retinuit, quominus exolare iuberem, saepe alibi in fam. tertiae codicibus Tulliana uerba falso locata reperiantur, ita ut ex uario illo, qui in codicibus est, uerborum ordine certum, quo uerbum aliquod spurium esse euincas, argumentum depromi nequeat.

§. 16.

Sequitur, ut de iis locis exponamus, in quibus plurumi, aut multi, aut pauci, aut unus familiae tertiae codex aliquid omittunt. Atque unius quidem fam. tertiae libri, uerbum unum uel plura omittentis, licet ad sententiae integritatem non sint necessaria, tamen ex iis, quae de origine et familiis codicum exposuimus, manifesto apparet nullam prorsus auctoritatem esse posse. Accedit quod nullus extat fam. tertiae codex, cuius librarius non saepe in eam partem peccarit, ut genuina Tulli uerba omitteret. Itaque neque codicis Dresdensis scriptura, C. VI. §. 16. *quod agitur* omittentis, ullo modo debebat a Garatonio probari, neque quicquam certius est, quam in Mc, qui C. XXIV. §. 59. *scripsit* post *poeta* non adgnoscit, aut neglegentia aut consulto, cum modo idem uerbum praecedat, ab librario omissum esse. Neque porro aut C. XX. §. 50. *grauitatis esse putasses tuae* uerbum *esse* unius χ 3 auctoritate, aut C. XXVIII. §. 69. *conseruatum esse meminerim* idem uerbum, quod in Ma deest, omittere licet.

Porro unius etiam codicis scriptura dicendast, quae in pluribus fam. tertiae codicibus reperitur, quos ad unius codicis fidem correctos, uel potius, ut uerius dicam, corruptos esse certis doceri argumentis potest. Ita ualde errabit, qui C. XXXV. §. 86. *Set sunt haec leuiora; illa uero grauia atque magna* in codice principe, ex quo fam. secundae et tertiae codices orti sunt, non extitisse *sunt* putet propterea, quod Ma, Lc, et H omittant. Nam etsi ipsi mihi uerbum *sunt* non inutile tantum set molestum etiam esse et contra Tulli consuetudinem (uid. comm.) additum uidetur, tamen eam ob caussam minume debet suspectum esse, quod in tribus illis libris abest. Etenim praeterquam quod tres illi libri nihilo plus quam unus fam. tertiae codex auctoritatis habent, id quod ex iis, quae in nota *) exposui,

* Ma, Lc, et H etsi ex uno eodemque codice descriptos esse non posse statui uidetur, propterea quod nonnumquam uehementer a se dissentiunt, tamen hoc negari nullo modo potest, ad unius fam. tertiae codicis fidem hic illic correctos, uel potius corruptos esse. Patet hoc ex miris aliquot, quas consentienter praebent, corruptelis. Ita §. 13.

efficitur, illut quoque animaduertendumst, primum uerbum *sunt* praecedente *set*, quod eodem fere conpendio atque *sunt* scribi consueuit, facillumo errore omitti potuisse, deinde, quod maioris etiam momentist, si *sunt* in codice principe non scriptum extitisset, non uerosimile esse, ut a tot librariis mirifico consensu eodem in loco additum sit.

Contra longe alia ratiost trium illorum locorum, in quibus ego non dubitaui ea eicere, quae pauci fam. tertiae codices omittunt. Eorum primus C. XX. §. 49. extat et ab Orellio recte sic scriptus est:

Aedilem tu Plancium factum miraris, in quo non exigua pars populi, set uniuersus populus uoluntatem suam declararit?

Addunt *esse* post *factum* B, E, Mb, La, Lb, Pa, D, Br., ς, χ 1, 3, et ψ; idem uerbum extat etiam in Lc et Ma, set in Lc ante *factum* et in Ma ante *miraris* uerbo *factum* post *miraris* posito. Hic si in codice principe *esse* scriptum fuisset, prorsus intellegi nequit, qui factum sit, ut a tot librariis omitteretur. Contra addi a multis simul potuit, nec conlocari alio in loco, quam in quo a plerisque librariis conlocatum reperitur.

Secundus locus legitur C. XXVII. §. 67., et a me sic est constitutus:

Petiuit ea usus ratione, qua minuma inuidia noui homines plurumi eosdem honores consecuti.

De priore huius loci membro supra iam expositum; in posteriore uerbum *sunt*, quod B et E ante *eosdem*, plerique autem fam. tertiae codices post *consecuti*, Ma ante id uerbum addit, auctoribus Lb, Pa, Pb, Pc, et C omittendum putaui.

Tertius locus C. XXXII. §. 79. legitur et in editionibus sic scribitur:

Set ego hoc meis ponderibus examinabo, non solum quid cuique debeam, set etiam quid cuiusque intersit et quid a me cuiusque tempus poscat.

Recte uero a me *hoc* pronomen eiectum puto. Nam non solum id in Lb, ψ, et aliquot Lambb. omittitur, set in reliquis libris uarie etiam et scribitur et conlocatur. B et E enim *haec* scribunt, et E ante *ego* ponit. Porro non neglegendumst, quod Lc et H etsi *hoc* adgnoscunt, tamen *ego* omittunt, ita ut, id quod saepissume factum uidimus, in his duobus libris genuina uox interpretis additamento cessisse uideatur. Ceterum hoc quidem additamentum uix dubito quin iam in codice principe super *ego* scriptum extiterit ex eoque tum in B et E tum in illos fam. tertiae codices, qui habent, propagatum sit. Est enim profecto eiusmodi, quod singulis illis librariis, in quorum codicibus extat, addere in mentem uenire non potuerit. Neque uero statuendum, ab eo librario, qui id ex codice principe

---

ostenderas, aut si pro *aut* habent *at*; §. 29. *facilis est illa occursatio* pro *occursatio* habent *concursatio*; §. 30. *uetere quodam in scaenicos iure* pro *quodam* habent *quondam*; §. 35. *aut lacessitus* pro *lacessitus* habent *lacessendi*; §. 48. *etiam atque etiam insto atque urgeo* pro *urgeo* habent *rogo*; §. 49. *tum omnibus in rebus summa auctoritate* pro *auctoritate* habent *constantia*; §. 84. *labore hoc leuare* pro *hoc* habent *isto*; nonnumquam corruptelae illae in alios etiam propagatae codices sunt; sic §. 34. *ille sensus in aliis* pro *in aliis* cum ς et F 1 *malus*; §. 38. *nam Maeciam* pro *Maeciam* cum Mb et Urs. *tres etiam*; §. 46. *noli mirari* pro *mirari* cum ς et χ 1 *me*; §. 71. *toto illo anno* pro *illo* cum ψ *fere*; §. 74. *egissem gratias* pro *egissem* cum ψ *egissemus*; ibid. *mandata sunt litteris* pro *mandata* cum D *dicta* scribunt. Praeterea animaduerti uolo, plerasque has, quae adlatae sunt, corruptelas in La pro uariis lectionibus super genuinas uoces superscriptas esse. Cfr. etiam, quae supra Lib. I. C. I. §. 3. de H codice monui. Porro idem tres libri nunc soli nunc cum paucis aliis haec uerba falso omittunt: §. 10. *enucleata esse suffragia* soli *esse*; §. 18. *set tamen haec tibi* soli *tamen*; ibid. *ad caput et ad fontem* soli *ad* ante *fontem*; §. 26. *quod tecto receperunt* cum Mb, S, ς, et χ 1; §. 40. *aput eosque me; ne quinque quidem reiectis* cum D *me*; §. 48. *sic ego hoc contendo* soli *hoc*; §. 66. *oculos acris atque acutos* cum D *atque acutos*; ibid. *originum suarum* soli *suarum*; §. 71. *de isto paulo post plura dicam* cum D *plura*; §. 78. *unus enim fuit* soli *fuit*; §. 84. *Rhodi enim, inquit, non fui* cum Mb, S, ς, et χ 1 *inquit*; §. 85. *in petitionem tuam* soli *tuam*; §. 87. *auxilium meum* soli *meum*; §. 101. *nihil tibi ego tum* cum D *tibi* omittunt. Semel etiam inepte aliquid addiderunt, §. 87. post *memoriam* particulam *iam* adicientes.

exemplar descripsit, ex quo fam. tertiae codices orti sunt, additamentum illut textui inlatum esse: quod si factum esset, in omnibus profecto fam. illius codicibus deberet extare; aut, si non extaret, neglegentia omissum esse censendum esset: set, id quod non raro accidit, una cum eo uerbo, super quod scriptum erat, siue pro uaria lectione siue pro glossa in suum, quem scripserat, codicem translatum esse. Ita uides facillume fieri potuisse, ut in alios fam. tertiae codices transiret, in aliis omitteretur, in alios denique pro uoce genuina reciperetur. Fecisse id librarium illum nonnumquam, quamquam plerumque solas glossas interlinearis, quae in cod. principe extabant, pro genuinis uerbis recepisse supra uidimus, non solum ex hoc loco, uerum ex aliis etiam concludo, ubi diuersae, quae in codicibus sunt, scripturae unde ortae sint, alio modo prorsus explicari nequit. Eiusmodi locus, ut unum nunc adferam, is mihi uidetur, qui C. XXX. §. 73. extat et in plerisque editionibus ita scribitur:

Qui — sic mecum semper egisti, te mihi remittere atque concedere, ut omne studium meum in Cn. Planci honore consumerem, quod eius in me meritum tibi e t i a m gratum esse dicebas.

Primus Graeuius, quem secutus Orellius est, post *etiam* addidit *ipsi*, quod pronomen non B et E solum, set etiam Pa, C, H, S, T, et ψ habent. Iam quaeso, qui factum sit, ut in reliquis fam. tertiae codicibus omitteretur! Neque enim eius ullo modo sententia probari potest, qui ab iis, a quibus codices sunt exarati, in quibus legitur, profectum dicat. Neque omnino glossae similest. Itaque equidem nullum hic relinqui dubitandi locum arbitror, quin in codice principe *tibi ipsi gratum* scriptum et super *ipsi* explicandi caussa *etiam* particula posita fuerit, utrumque autem nomen ab ambobus librariis, qui codicem principem descripserunt, retentum fuerit, ita tamen, ut is, qui librum scripsit, ex quo fam. tertiae codices originem duxerunt, alterum pro uaria lectione super alterum poneret uel margini adscriberet. Ceterum non opus est, ut uerbo doceam, optume solum *ipsi* omissa *etiam* particula se habere. Nihilominus, ne nimium coniecturis meis tribuere uiderer, eam recipiundam scripturam putaui, quam optumi libri tuerentur.

Longe etiam mea sententia a uero aberrauit Orellius, qui C. XXXV. §. 86. cum Garatonio, cuius adnotationem in imum marginem reieci *), trium fam. tertiae codicum auctoritate *me* pronomen expellendum putauit. Legitur locus ille, quem dico, in plerisque editionibus sic scriptus:

Ego uero fateor m e h e r c u l e, quod uiderim mihi auxilium non deesse, idcirco m e illi auxilio pepercisse.

Contra in optumis ac plurumis codicibus non *mehercule* scribitur, set *me;* scribunt ita B, E, Ma, Mb, Lc, Pb, Pc, D, G, Br., H, S, T, ς, et χ3. Idem uero libri, exceptis Br., T, et χ3, omnes retinent *me* pronomen post *idcirco*, quod patet a Cicerone non potuisse addi, si paulo ante non *mehercule* set *me* scripsit. Itaque Orellius, qui pro *mehercule* pronomen *me* recepit, ex Br., T, et χ3 auctoritate *me* post *idcirco* deleuit. Etsi Ciceronem scribere sic potuisse nemo negabit, tamen ita non scripsisse, codicum scripturae extra controuersiam ponunt. Nam ut nihil nunc id urgeam, quod iure urgeri potest, trium illorum codicum scripturam nullo pacto reliquorum librorum lectioni praeferri posse, cuinam tandem interpreti aut librario in mentem poterat uenire, post *idcirco* addere *me*, si ipsum istut pronomen modo post *fateor* positum uiderat? Atqui additum in omnibus libris exceptis tribus illis reperitur. Hoc igitur ut ab omni probabilitate abhorret, ita illut contra facillumum dictust et explicatu, qui factum

*) *Fateor mehercule*] Uide an rectius absit *mehercule*, ut Lambino haut sine caussa uisumst. Ea uox a cod. Dresd. abest tota; in meo et in Barb. ut in Rom. et utraque Uen. et in cod. C. Steph. est *fateor me, quod;* in margine Barb. et mei additur *hercule*, set adiuncta nota uocis *scilicet*, qua id esse a coniectura sciamus, eoque magis, quod Barb. ita plane habet, ut dedit Lambinus, *fateor me, quod — idcirco illi auxilio pepercisse.* Nam retinent *me illi* ceteri, quos dixi, libri; atque adeo prior Uen. *me illi auxilio me pepercisse*, ut uaria pronominis conlocatio et iterationem illius et interpolationem loci peperisse uideatur. Ducem in hac re optumum aliquem codicem habere uelim. *GARATONIUS* I. Cum Lambino legendumst *fateor me*, et repetitum *me* infra delendum, Bauar. et duobus Oxonn. suadentibus. Uel etiam toto eiecto *mehercule* alterum *me* retineamus. *GARATONIUS* II.

sit, ut in libris illis *me* pronomen omitteretur. Nam uel indoctus librarius id poterat et debebat perspicere, semel tantum *me* pronomen ponendum esse. Atque intellexisse hoc librarios quosdam, ex eo eluect, quod in Garatoni codice, qui bis *me* habet, margini adscriptumst *hercule* adiuncta nota uocis *scilicet*. Idem factum in Br.. Itaque in Mc, qui saepe non glossis solum, set etiam glossarum notis locum in uerbis Tullianis dedit, scriptum *fateor me hercule silicet* (sic) *quod* reperitur. Alii prudentiores librarii solum *hercule* receperunt, unde nata interpolata illa scriptura *mehercule*. Alii contra librarii fecerunt, quod Lambinus, Garatonius, et Orellius fecerunt, atque id, quod inutile uidebatur, prorsus expulerunt. Hoc igitur certumst ab iis factum esse, qui Br., T, et χ 3 scripserunt. Uerum non minus certum, temere id factum esse, cum statui nequeat, praegresso modo pronomine illo ullum umquam interpretem post *idcirco* fuisse *me* iterum positurum. Itaque ego in ea sum et ero sententia, ut post *fateor* non *me* aut *mehercule*, set *hercule* a Tullio scriptum, ab interprete autem *me* super *hercule* positum putem, ut *hercule* pro pleniore adfirmandi formula *mehercule* usurpatum esse admoneret. Hoc enim si statuimus, facile intellegitur, unde *me* pronomen sit ortum, cum saepissume id factum uiderimus, ut glossa pro uoce genuina reciperetur. Sic in or. Pis. XX, 46. pro *mehercle* recte Uat. *hercule*.

Ac nescio equidem, an simile peccatum ab librariis C. XXXIX. §. 93. commissum sit, ubi nunc in editionibus omnibus scriptum legitur:

Tum hercule me confitear non iudicium aliquod habuisse de rei publicae utilitate, set hominibus amicum aut inimicum fuisse.

Fortasse enim hic quoque *me* non Ciceroni, set interpreti debetur, cum Pa *mehercule* pro *hercule me*, et La et Lb *hercule confitear me* scribant. Certe *me* pronomen recte omitti hic potuisse, nemo non uidet. Cfr., quae in Comm. C. XXV. §. 62. ad uerba *afuisse ab istis studiis confitentur* adnotaui. Neque tamen uolgatam huius loci scripturam inmutare sum ausus.

Uerum uehementer cauendum, ne propterea, quod in quibusdam locis paucorum fam. tertiae codicum auctoritate uerba eiecimus, quae in reliquis libris omnibus scripta extant, in eam delabamur sententiam, ut, quae uerba in omnibus fere fam. tertiae codicibus omissa uideamus, sine dubitatione expellenda censeamus. Nam cum illut supra planum sit factum, non pauca, quae ex ipsius Tulli ore uenisse uerba certumst, in solis codicibus Bau. et Erf. seruata esse: num recte et ordine aget, qui, quae uerba cum B et E unus uel plures fam. tertiae codices addunt, eam solam ob caussam, quod ad sententiae integritatem non prorsus sint necessaria, pro insiticiis habebit? Immo equidem non uereor, ne in hominum doctorum reprehensionem incurram, qui, quae uerba unus aut plures fam. tertiae codd. cum B et E adgnoscant, nisi grauis accedat interpolationis suspicio, a Tullio scripta esse contendam. Itaque non dubitabunt mea sententia futuri editores, quin quae Laurentianus tertius (Lc) in tribus his locis cum B et E uerba addit, orationi Tullianae cum Orellio inferant:

C. VI. §. 15. *cedat consulari generi praetorium, nec contendat cum praetorio nomine equeśter locus.* Sic B, E, et Lc; reliqui *nomine* omittunt.

C. VI. §. 16. *cur tu id in iudicio exprimis, quod non fit in campo?* Sic B, E, et Lc; reliqui *id* omittunt.

C. XXVIII. §. 69. *quaeris a me, Cassi, quid pro fratre meo — amplius, quam quod pro Plancio facio, facere possim.* Sic B, E, et Lc; reliqui *quod* omittunt.

Atque in secundo et tertio horum locorum nemo non intellegit, quam facili errore *id* ante *in* et *quod* post *quam* potuerint excidere. In primo loco etsi Ernestius *nomine* glossatoris putauit esse, tamen ego uix salua sententia omitti posse arbitror. Nam illut primum apertumst probari nullo pacto posse, quod Ernestius posuit, adnotans: „Erf. post *praetorio* addit *nomine*, non bene; ut antea *genus* est commune utrique, sic hic *locus*. Est glossatoris.“ Immo si non addidisset Cicero *nomine*, ad adiectiuom *praetorio* non posset aliut nomen quam *generis* suppleri. Accedit quod *locus praetorius* inaudita locutiost, quam nego umquam a Romanis usurpatam esse. Recte dicitur *locus equester*, set non dicitur *locus consularis* eo sensu, quo *locus equester* dicitur: nam quod dicitur *loco consulari sententiam dicere* (Cic. Phil. 1, 6,

15.), longe alius generis est: eandem ob caussam non potuit dici *locus praetorius*. Item non memini *genus* dictum *praetorium* esse; set id ut recte dicatur, tamen meo iudicio multo aptius locutus Tullius est, si tris illos gradus distinguens, singulis adiectiuis ipsius distinctionis caussa suum addidit nomen, quam si consularibus et praetoriis unum idemque nomen adtribuit. Certe tam egregie addito uerbo illo oratio procedit, ut id ab alius quam Tulli manu profectum esse mihi numquam persuadere possim. Accedit denique, quod solum Lc, qui in locis, de quibus agitur, cum B et E facit, etiam alibi cum B et E uerba uidemus seruasse, quae nemo umquam pro Tullianis habere dubitauit. Dico C. XIII. §. 31. *qui si esset turpissumus, si sordidissumus,* ubi B, E, et Lc soli *si* ante *sord.* habent, et C. XXVI. §. 64. *tamen eum me postea fuisse in maxumis imperiis arbitror*, quo loco idem illi tres libri soli *imperiis* seruarunt.

Facillumo etiam errore C. IV. §. 11. *Est enim haec condicio liberorum populorum* pronomen *haec* praecedente *enim* particula omitti potuit. Quo minus dubitaui id ex B, E, La, χ 1, et 3 recipere, praesertim cum, id quod omnes intellexerunt editores, ad sensum paene necessarium sit.

Unus tantum locus est, in quo non sum ausus recipere, quod B et E cum uno fam. tertiae codice addunt. Is extat C. XXXII. §. 78. et uolgo sic scriptus legitur: *non quia multis debeo: leue enim onus benefici gratia: set quia saepe concurrunt* etc.. Hic codex Garatoni cum B et E post *enim* uerbum *est* addit, quod cum multis simul librariis addendum posset uideri, Cicero autem adicere eiusmodi membro orationis, quale hoc est, non soleat, a me in textum receptum non est.

CAP. II.

DE INTERPOLATIONIBUS, QUIBUS OMNES CODICES DEPRAUATI SUNT.

Quemadmodum in antecedentibus omnis orationis Plancianae locos tractauimus, quos codicum auctoritate liberandos interpretum additamentis putamus, ita consentaneum fuisse uidebitur, ut similiter nunc de iis locis exponeremus, quos propter solam sententiam, quam praebent, nullis nixi externis argumentis pro insiticiis haberemus. Fecissem hoc, nisi critica illa plurumorum locorum tractatio arctissume cum interpretatione exegetica, cui commentarius destinatus erat, coniuncta fuisset. Itaque satius duxi, in ipso commentario suis locis ea proferre argumenta, quibus ductus essem, ut uerba quaedam, quae in omnibus codicibus leguntur scripta, non putarem a M. Tullio profecta esse. Nihilominus non inutile uisumst, locos illos omnis lectorum oculis hic subicere, ut uno obtutu conspicerentur, et cuius generis essent, quae anticus interpres mihi uisus esset addenda censuisse, facilius cognosci posset. De duobus tantum locis, qui longiorem requirebant disquisitionem, quam quae apte commentario insereretur, hic exponere decreui. De iis dicam, ubi recensuero illos locos, de quibus in commentario monitum. Sunt autem hi:

C. VI. §. 14. *nihil iam est, quod populo supplicetur; nihil quod diribitio, nihil quod [supplicatio magistratuum] renuntiatio suffragiorum expectetur.*

C. XII. §. 29. *Atqui haec sunt [indicia] solida, iudices, et expressa [haec] signa probitatis, non fucata forensi specie, set domesticis inusta notis ueritatis. Facilis est illa occursatio et blanditia popularis; aspicitur, non adtrectatur; procul apparet, non excutitur [non in manus sumitur].*

C. XVIII. §. 44. *Etenim quis te tum audiret illorum? aut quid diceres? sequestremne Plancium? respuerent aures, nemo adgnosceret [repudiarent]; an gratiosum? illi lubenter audirent, nos non timide confiteremur.*

C. XVIII. §. 45. *Isto in genere et fuimus ipsi, cum ambitionis nostrae tempora postulabant, et clarissumos uiros esse uidimus et hodie esse uidemus quam plurumos [gratiosos].*

C. XX. §. 49. *Uocatae tribus; latum suffragium; diribitae tabellae [renuntiatae]: longe plurumum ualuit Plancius.*

C. XXV. §. 61. *quasi uero isti, quos conmemoras, propterea magistratus ceperint, quod triumpharant, et non, quia conmissi sunt iis magistratus, [in quibus] re bene gesta triumpharint.*

Ibidem. *qui et miles in Creta hoc imperatore et tribunus in Macedonia [militum] fuerit.*

C. XXVI. §. 63. *Iubes Plancium de uitiis Laterensis dicere; nihil potest, nisi eum nimis in se iracundum [putabis] fuisse.*

C. XXXII. §. 78. *unus enim fuit de magistratibus [aut promagistratibus] defensor salutis meae, cui senatus pro me gratias agendas putauit.*

Ibidem. *non quia multis debeo: leue enim onus benefici gratia: set quia saepe concurrunt [propter] aliquorum bene de me meritorum inter ipsos contentiones.*

C. XXXIII. §. 79. *Agitur studium tuum, uel etiam, si uis, existumatio, laus [aedilitatis]; at Cn. Planci salus, patria, fortunae.*

C. XXXVII. §. 90. *quod peremptum esset mea morte id exemplum, qualis futurus in me [retinendo] fuisset senatus populusque Romanus.*

C. XXXIX. §. 94. *haec de sapientissumis et clarissumis uiris et in hac re p. et in aliis ciuitatibus monumenta nobis [litterae] prodiderunt.*

C. XLII. §. 103. *Nolite, iudices, per uos [per] fortunas, per liberos uestros inimicis meis — dare laetitiam, gloriantibus.*

De his locis cum satis sit in commentario expositum, progredior ad duos illos tractandos, de quibus aptior hic mihi uidebatur locus disputandi esse. Eorum alter C. XXIV. §. 59. extat et in editionibus Graeui et Ernesti sic scriptus legitur:

Quin etiam, ne forte ille sibi me potius peperisse iam honores, quam iter demonstrasse adipiscendorum putet, haec illi soleo praecipere, (quamquam ad praecepta aetas non est grauis) quae ille a Ioue ortus suis praecipit filiis:

Uigilandum est semper; multae insidiae sunt bonis.

Nostis cetera:

Non te id quod multi inuideant,

quae scripsit grauis ille et ingeniosus poeta; scripsit, non ut illos regios pueros, qui iam nusquam erant, sed ut nos et nostros liberos ad laborem et laudem excitaret.

Nolo nunc de singulis huius loci uerbis, in quibus scribendis codices a se dissentiunt, disputare, quaeque Tulli manus mihi uideatur fuisse, exponere, id quod partim iam supra factumst, set illut solum nunc agitur, ut de uerbis *Nostis cetera: Non te id quod multi inuideant* et de repetito uerbo *scripsit* quid statuendum uideatur, expromamus. Ac ne nostra interrumperetur disputatio, Garatoni et Orelli ad hunc locum adnotationes in imum marginem reiciendas putauimus *). Nihilominus ingenue profiteor,

---

*) *Non te id quod multi inuideant*] *Non ne* habebant omnes editi ante Lambinum; neque aliter libri Graeui in U. L., cod. Barb. et meus. In Sextiana c. 48. legitur, *Set te*, quod Man. uerum putabat. Uide ibi totam poetae sententiam. Temere Lamb. omnia illa, quae in adnot. adtulit [quae in or. Sest. leguntur], ex Attio recepit. Set non male deleuit *ille* post *grauis*, quod pronomen omittunt Msi C. Steph., Franc. pr., Barb., et meus, et prior Uen.. Optume uero alterum *scripsit* eiecit, ut Man. quoque noluit, et Atti hemistichia continuauit (tria uidentur, ut ad l. c. pro Sext. exponam) mediis sublatis *nostis cetera* et post *inuideant* conlocatis. Quid enim quo nunc leguntur loco illa faciunt? Traiectionis indicium est in Barb., in meo, in edd. uett., in ipsis Man. et C. Steph., *que* aut *quae* tam post *cetera* quam post *inuideant* habentibus. Quod etiam fortasse fecit, ut *scripsit* duplicaretur: quamquam rem hanc prodit interrogatio in libris plerisque addita post *poeta*, quae iterationem uerbi potuit extorquere; aut id potius, quod est in isdem, *bonis nostris, ceteraque.* Potuit enim emendator hoc uelle: *Ceteraque. Nonne* etc. *quae scripsit* etc. *scripsit* etc.. Gryph. ut haec expediret, locum ita peruertit: *Nostis cetera. Nonne iis, quibus multi inuideant, quue scripsit grauis*

optume mihi in emendando hoc loco Orellium uideri uersatum esse, qui si eis argumentis, quibus et poterat et debebat, tum priorum editorum sententias refutasset, tum suam ipsius, quam proposuit, huius loci corrigendi rationem confirmasset, nihil equidem haberem, quod adderem. Uerum id cum non sit factum, ideoque alii, qui postmodo de hoc loco egerunt, ei adsensum suum denegarint, meum putaui, ea in medium proferre, quibus quam uere Orellius corruptelas huius loci sustulisset, intellegeretur.

Ac primum quidem recte omnes editores, qui aliquid ad h. locum adnotarunt, uerba *nostis cetera* inter ea, quae antecedunt, *uigilandum — bonis*, et quae secuntur, *nonne — inuideant*, locum posse habere negarunt. Primum enim semper Romani uerbis *nosti cetera* uel similibus, id quod res ipsa fert, tum utuntur, cum aut uerba alius amplius referre aut omnino de re quapiam plura uerba

---

ille etc. *scripsit*, *non ut* etc. *sed ut* etc. *excitaret?* Ego uero ita scribendum suspicor: *Uigilandum est semper — Multae insidiae sunt bonis. Sed te* (aut *Nonne*) *id quod multi inuideant — nostis cetera. Quae scripsit grauis et ingeniosus poeta*, *non ut* etc.. *GARATONIUS.*

„Nostri loci constituendi duplex adhuc potissumum inualuit ratio: altera Graeuiana [de qua monitum a me supra]; altera Lambini, Garatoni, Weiski, Schutzi, qui ipsi quoque leuiter dissident in quibusdam, set in eo conspirant, quod *nostis cetera* transponunt. Optume quidem inter hos uersatus est Garatonius. Weiskius e Sextiana profecisse sibi uisus edidit: *Uigilandum — bonis. Nostis cetera. Sed te id quod multi inuideant.* Cetera cum Graeuio, haec praeterea adnotans: *Nostis cetera rectius in fine ponatur post inuideant. Posterius scripsit est*, *opinor*, *inducendum.* Schutzius uero: *Uig. — bonis. Non te — inuideant. — — Nostis cetera; quae grauis ille et ing. poeta scripsit*, *non ut* etc., male prius illut *scripsit* delens. Manutius inter utrumuis induceudum fluctuabat. Uerum Weiski *Sed te* arbitrarium, ac sensu cassum est *Non te* Schutzi, insuper refutatum loco Sextianae; transpositio autem his omnibus probata inuitis fit codicibus. In Graeuiana uero lectione maxume offendit illut *Nostis cetera*, aliis tamen poetae uerbis statim subiectis, cum in locis similibus post talia, ut consentaneum est, reticentia utantur tum ipse Cicero de Legg. II, 23. *rogum ascia*, *ne polito. Nostis quae secuntur. Discebamus enim pueri XII.* (Cfr. aliquatenus etiam pro Rab. Post. c. 10. *moreretur*, *inquies: nam id sequitur*); tum Plinius Epist. III, 9. *qui — militem iussit caudam equi — reliqua nosti;* ubi Schaeferus rursus laudat Ciceronem ad Diu. VII, 28. *ubi nec Pelopidarum — nosti cetera.* His igitur perpensis ita primum persanari arbitrabar locum sane difficillumum, si legeretur: *Uigilandum — bonis. Nostis cetera. Nonne: „id quod multi inuideant" —? quae scripsit — ingeniosus poeta, non ut* etc.. *Nonne?* scilicet *illa nostis*, *id quod multi inuideant*, ubi inuidiose reticeret sequentia: *multique expetant*, *inscitia est te postulare*, qualis profecto uestra fuit, Laterensis et Cassi, qui mihi meam soletis inuidere dignitatem. Etenim solet et alibi dimidiatos uersus ita laudare, ut inuidiam faciat aduersario, ueluti in ipsa Sextiana aliquoties c. 55. 56.. Seruabatur ita loco, ubi codd. id exhibent, *nostis cetera*, seruabatur eorundem *nonne;* illo uno mea lectio premebatur incommodo, quod post illut *Nostis cetera* denuo Atti inferebantur uersus. Uerumtamen consulta Angeli editione Iuntina incidi necopinato in lectionem hanc nemini adhuc memoratam: *Uigilandum — bonis. Nosti cetera, quae scripsit grauis ille et ingeniosus poeta*, *scripsit*, *non ut* etc.. Haec uero non minus ex Msis ducta esse, quam sequens *praestaret* eiusdem editionis, quis inficiabitur? Locum igitur uexatissumum cum in ea non tam truncatum quam magis concinnum exhiberi perspexissem, eo facile adductus sum, ut censeam, Attiana ista post *nosti cetera* antiquitus iam, ante codices nostros, inserta fuisse ex ipsa Sextiana a Grammatico nimis diligente. Egregium uero ipsum illut *nosti* pro *nostis* ad unum Cassium, inparem Ciceronis inuidum refertur, quocum solo nunc altercatur orator. Attamen aegerrume caremus illo *nonne*, in reliquis omnibus obuio, etsi in multis corrupto; id autem uel casu, uel quod parum intellectum esset, ab Angelio praetermissum, non modo seusu iam ante indicato optume seruari potest, set etiam, ut tota clausula Cicerone uere digna euadat, debet retineri. Ita ergo uerba deinceps erunt constituenda: *quae ille — suis praecipit filiis:*

Uigilandum est semper; multae insidiae sunt bonis.

Nosti cetera. Nonne? quae scripsit grauis ille et ingeniosus poeta, *non ut* etc.. *Nonne*, scil. *nosti?* Immo optume tu nosti, Cassi, homo nimirum erudite, et qui Atti fabulas probe calles, inuidiam etiam illam et inscitiam, quarum in sequentibus poeta meminit. *Nonne* autem ita plane positum extat pro Caec. c. 13.: *Uerum ita est*, *uti dicis. Te deiectum debeo intellegere, etiamsi tactus non fueris. Nonne? Age nunc* etc.. Posterius denique *scripsit*, etsi ab Angelio confirmatum, originem debet caussis a Garatonio adlatis, neque posthac erit retinendum, cum oratoriam uim nullam hic habeat iteratio uerbi non ornantis neque rem extollentis, set necessarii." *ORELLIUS.*

facere nolunt. Itaque uel hanc ob caussam uerba illa non poterant inter medios Atti uersus interponi. Deinde uero interiectio uerborum illorum eo plus hic habet offensionis, cum, quae praecedunt uerba, integram contineant sententiam, ideoque post ea minume opus fuerit, ut *nostis cetera* adderentur, contra quae secuntur, *nonne — inuideant*, pars tantummodo membri sint, a qua non additis uerbis *nostis cetera* uix apte ad sequentia, *quae scripsit* etc. orator transire potuit. Itaque si ita, uti in codd. hic locus scriptus extat, Tullius scripsisset, reprehendendus certe esset, quod ibi, ubi quiuis desiderabat uerba *nostis cetera*, non posuisset, eo autem in loco, ubi nemo expectabat, conlocasset. Nihilominus uehementer errarunt, qui uerba *nonne — inuideant* ante *nostis cetera* ponenda censuerunt. Nam primum uerborum transpositio, quae contra omnium codicum auctoritatem fit, ibi tantum probari potest, ubi, quid librarios induxerit, ut male uerba transponerent, intellegi potest. Atqui tantum abest, ut id hoc loco intellegi possit, ut ex corruptela quadam, qua omnes fere codices deprauati sunt, paene certo queat doceri, in antiquissumis iam codicibus post *bonis* continuo uerba *nostis cetera* secuta esse. Nam omnes fere, qui diligenter consulti sunt, codices, non *bonis. Nostis cetera*, set *bonis nostris. Cet.* scribunt aliaue menda habent, quae ex hac ipsa corruptela denuo orta sunt. Eadem corruptela fecit etiam, ut pronomini *cetera* a librariis male sedulis *que* copula adderetur, quae scriptura in plerisque familiae tertiae codicibus extat. Falso enim Garatonius scripturam illam *Ceteraque* indicio putauit esse, in antiquo codice uerba *nostis cetera* ante *quae scripsit* conlocata fuisse. Nam copula illa si ex pronomine relatiuo orta esset, quae est Garatoni sententia, deberet in aliquot certe codicibus pronomen relatiuom *quae* abesse, quod in nullo codice omissum.

Accedit altera eaque grauissuma caussa, ob quam uerba *nonne — inuideant* ante *nostis cetera* nullo pacto poni possint, quod, quae Atti putantur uerba, *nonne id quod multi inuideant*, et existumari necessario debent, si ante *nostis* transponuntur, reuera non esse omnia ab Attio scripta certo adfirmari potest. Id quo minus quisquam ante me aut opinatus est aut monuit, eo magis necessest, ut quae Atti uerba fuerint, ante omnia doceam. Quod etsi uix fieri posse uidebitur, cum nemo praeter Ciceronem pro Sestio C. XLVIII. §. 102. adtulerit, atque in eo ipso loco uarie in codicibus scripta extent, tamen re diligenter considerata hoc certe intellegetur, Attium *nonne id quod multi inuideant* scribere non potuisse. Adpono igitur Ciceronis uerba, in oratione Sestiana scripta, et ita quidem, quemadmodum in edit. Orell. leguntur scripta:

Haec ampla sunt, haec diuina, haec inmortalia; haec fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, posteritati propagantur. Est labor: non nego; pericula magna: fateor;

Multae insidiae sunt bonis:

uerissime dictum est.

Sed id, quod multi inuideant multique expetant, inscitia est, inquit
Te postulare, si laborem summa cum cura efferas
Nullum.

Paenitet autem nunc Orellium, quod Bothium, communem illum antiquorum scriptorum corruptorem, secutus *te* pronomen sine ulla codicum auctoritate ante *postulare* posuit. Praeterea nunc se facere ait cum Nobbio, qui *Set* particulam non ab Attio scriptam, uerum a Tullio additam ratus ante *id* pronomen *te*, quod in multis legitur codicibus, recepit Attique uersus hos fuisse existumauit:

Te id, quod multi inuideant multique expetant, inscitiast
Postulare, si laborem summa cum cura efferas
Nullum.

Et rectissume puto Nobbium intellexisse, esse hos tetrametros trochaicos catalecticos; certissumum enim eius rei indicium praebent uerba *postulare — ecferas*, quae alium in numerum nisi temerariis admissis mutationibus cogi nullo modo possint. Accedit, quod et saepissume hoc uersuum genus ab Attio usurpatumst, et sententiarum grauitati, quas uerba continent, accommodatissumum. Uerum in ea re manifesto Nobbius errauit, quod *te* pronomen ante *id* positum ab Attio profectum censuit. Nam cum pronomina illa, ubi enclitica sint, inter omnes constet neque initio uersus poni, neque, id quod multo

minus ferendum, nouam sententiam inchoare posse, sic tantum patet hic *te* ferri posse, si ὀρθοτονούμενον sit. Atqui istiusmodi pronomen a sententia huius loci alienissumum, in quo cum pater filiis suis praecepta det eosque ad laborem et ad laudem excitet, neque ad unum potissumum orationem potest conuertere, neque, quod maxumumst, unum illum sic conpellare, ac si id ipsum faciat, quod non esse faciundum in uniuersum tantum moneri poterat. Huc accedit, quod *te* pronomen in Sestianae orationis loco editio Heruagiana, quam ex egregio codice ortam scimus, qui saepe reliquos omnis praestantia lectionum superat, omittit, in hoc autem Plancianae loco nemo eorum codicum adgnoscit, qui diligenter consulti sunt et ad emendandam Tulli manum aliquid momenti habent. Itaque nullum relictum dubitandi locum arbitror, quin haec fuerit Atti scriptura, quam et uerborum sententia et codicum auctoritas tuetur:

Íd, quod multi inuídeant multique éxpetant, inscitiast
Póstulare, sí laborem súmma cum cura écferas
Núllum.

Continuo illut patet uere a Nobbio monitum esse, *set* particulam, in oratione Sestiana ante *id* positam, Tullium, non Attium adiecisse. Neque uero id ex eo solum intellegitur, quod metrum ea addita pessumdatur, set etiam inde, quod in oratione Planciana, ubi nulla erat caussa, cur Atti uerba mutarentur, non *set* ante *id* posita extat. Itaque certo certius est, eodem modo, quo in oratione Sestiana *set* particulam Atti uerbis Tullius praefixerit, in oratione Planciana *nonne* praepositum esse. Addo, etiamsi metro adiectio *nonne* particulae non aduersaretur, tamen a sensu uerborum Atti eam abhorrere, cum ineptum sit, patrem, qui filiis praecepta det, istiusmodi sententiam, qualis est quae uerbis *id — nullum* continetur, interrogantem eloqui. Quae cum ita sint, et uerissume Orellium coniecisse *Nonne? id quod* etc. neque uerborum transpositionem, quam faciundam uiri docti putarunt, admitti ullo pacto posse, luce meridiana clarius est. Nam neque *Nonne?* post *bonis* interici a Tullio potuit, neque ex codicum scriptura, *nonne id quod* etc. alia ulla facilior probabiliorue emendatio erui potest. Aptissumum etiam sensum praebere correctionem illam, in commentario demonstratum. Tam ineptum autem neminem fore puto, qui *nonne?* ab interprete adiectum dicat. Ex qua re illut simul efficitur, magnopere errare Orellium, qui lectionem, quam praebet Angeli editio Iuntina, in qua uerba *nonne — inuideant* omissa sunt, ex antiquo codice haustam esse opinatur. Omnino enim certum, Angelium non aliis nisi familiae tertiae codicibus usum esse, non raro autem ex hominum doctorum coniecturis Ciceronis uerba correxisse. Id hic quoque factum esse, uel ex eo patet, quod uerba, quae manifesto Ciceronis sunt, *nonne?* eiecit. Itaque editionis illius ne ea quidem auctoritas est, quae unius ex fam. tertiae codicibus libri est, quam nullam esse supra extra omnem controuersiam posuimus. Nihilominus propter eas, quas paulo ante exposui, caussas Orellio adsentior, uerba *id quod multi inuideant* ab interprete adiecta statuenti. Probo etiam unice, quod *nosti cetera* scripsit, quamquam denuo fallitur, quod Angelium eam scripturam ex codice quodam deprompsisse putat. Est ea uiri docti coniectura, a Petro Uictorio etiam margini editionis Aldinae adscripta, quam tamen uerissumam iudico, cum Ciceronem cum solo Cassio hic conloqui apertum sit. Denique idem cum aliis multis recte uidit, non potuisse a Tullio bis uerbum *scripsit* poni, id quod magis etiam in oculos incurrit, ubi *quae* in *et haec*, qui sensus est pronominis relatiui, solueris. Ceterum non est dubium, quin, quae res plurium, quae in hanc ipsam orationem a librariis omnibus receptae sunt, glossarum fons extitit, falsa interpunctio fecerit, ut alterum *scripsit* ab interprete adderetur. Coniunctis enim arte uerbis *quae scripsit — poeta* cum antecedentibus, et maiore interductu post nomen *poetae* posito, sequentia *non ut illos* etc. necessario interpreti manca debebant uideri.

Progredior ad alterum locum, quem etsi difficilest conprobare ab interprete profectum esse, tamen ego iniuriam Tullio facere contendo, qui eum ex tanti oratoris ore uenisse dicat. Quo magis miror, neminem editorum ante me eo loco offensum esse. Scriptum igitur legitur C. XVI. §. 40.:

Tu deligas ex omni populo aut amicos tuos, aut inimicos meos, aut denique eos, quos inexorabilis, quos inhumanos, quos crudelis existumes? Tu me ignaro, necopinante, inscio notes et tuos, et tuorum necessarios, uel iniquos uel meos, uel etiam defensorum meorum; eodemque adiungas, quos natura putes asperos atque omnibus iniquos? deinde effundas repente, ut ante consessum meorum iudicum uideam, quam potuerim, qui essent futuri, suspicari; aput eosque me — cogas caussam de fortunis omnibus dicere?

Atque ita hic locus in omnibus codicibus scriptus extat; nam etsi in quorundam uerborum scriptura aliquot codices a se discrepant, tamen non tanti ea discrepantiast, ut ad id, de quo agitur, quicquam momenti habeat.

Puto autem uerba *Tu me ignaro — omnibus iniquos* ab aliena manu addita esse. Cuius sententiae meae prima haec est caussa, quod uerba illa plane eandem continent sententiam, quae uerbis *Tu deligas — existumes* et *deinde effundas — suspicari* subest; altera, quod istius sententiae repetitio ab huius loci ratione alienissumast; tertia denique quod repetita ista sententia eo modo eisque uerbis enuntiata, ut multa insint, quae a Tulli ingenio eiusque loquendi genere abhorreant.

Nihil aliut uerbis *Tu me ignaro — omnibus iniquos* dici, quam quod antecedentibus ac sequentibus contineatur, facile intellectu; uerbum enim *notes*, etsi aliam proprie quam *deligendi* uerbum significationem habet, tamen idem nunc significare debere atque, quod praecessit, *deligas*, infra uidebimus; neque uerba *me ignaro, necopinante, inscio* aliquam sententiam continent, quae omisso membro, quod spurium iudico, non sit a Tullio indicata; idem enim sequentibus *deinde effundas — suspicari* significari patet. Reliqua uerba idem prorsus sonant et significant atque ea, quae proxume praecedunt.

Minume uero uerba illa, si nullam aliam haberent offensionem, solum propterea pro insiticiis haberem, quod eandem cum sequentibus et antecedentibus sententiam continent. Multa enim saepenumero cum ab omnibus scriptoribus tum maxume a Cicerone uerba cumulantur, quae unam et eandem uim in sese habent. Conplura istiusmodi exempla ex orationibus eius maxumeque ex Pisoniana et Catilinariis adferri, si opus esset, possent. Set est omnium locorum illorum longe alia quam huius loci ratio. Cadit enim in illos, quod ab A. Gellio N. A. XIII, 24. siue potius a Fauorino recte monitumst. Hic nihil aliut apparet Ciceronem agere, quam ut ostendat, summam habere acerbitatem eam iudicum editionem, quam Laterensis fecerit. Id cum exemplo §. 40. planum facere instituit, nemo non ridiculum esse concedat necessest, si in exponendo eo, ubi breuitas dicendi omnium maxume requiritur et ad persuadendum accommodatissumast, uerba inutiliter cumulet eandemque sententiam bis dicat.

Denique in ipso illo membro inesse contendo, quae a Tulli ingenio eiusque loquendi genere abhorreant. Ac primum quidem magnast offensio in uerbis *me ignaro, necopinante, inscio*, quam senserunt iam nonnulli editorum, ex quibus Garatonius haec ad hunc locum monuit:

„Non dubito, quin ex probis codicibus Naugerius dederit *inscio*, quod in aliis etiam est illius aetatis, egoque adeo repperi in priore Ueneta et in cod. Barberino, set in hoc a manu secunda, et erasum forte fuit illut *in sicco*, quod cum tot libris pro *inscio* exhibet editio MCDLXXXIII., Rom. princeps, et codex meus; quodque adeo Sabellicus (Tom. I. Fac. Crit. Grut. p. 186.) mendosum esse intellexerat, emendans, ut editur, *inscio*.“ Idem in Cur. Secundis scripsit: „Thomas Wopkensius ad Tacit. III. Annal. 4. in Actis Traiect. T. II. pro *inscio* scribendum censet *inuito*, locumque indicat pro Sulla 19.: *necopinante Fausto, cum ille neque sciret neque uellet, familia conparatast.* Idem in mentem uenit Ernesto. Recte: nam *inscius* ab ignaro non differt. Menda tamen codicum omnia pro *inscio* faciunt, quod diserte in Bauarico extat.“

Pantagathus pro *inscio* coniecit *in secreto*, Schutzius probante Orellio *in sinu*. Quam Schutzi coniecturam recte Bakius reiecit, monens: „Hoc postremum (*in sinu*) mirifice placet Orellio, mihi conmendari nullo modo uidetur loco, quem adtulit, Uerr. I, 10. (neque, quem proferre potuerat, Cluent. 66. §. 186.) ubi *e sinu suo* est ex intumis suis, estque cum sceleris suspicione coniuncta locutio: nam ita h. l. bis idem diceretur, sq. *et tuos et tuorum necessarios;* multoque minus loco ad Quint. fr. II, 13. init., ubi *in sinu est* i. q. carissumus est. Fortasse uerum est *iudicio notes*, i. e. prouti tu indicaueris.“

Ucrissume Garatonius omnium codicum menda pro *inscio*, quod in optumo Bauarico aliisque libris est, unice facere dicit; uide apparatum criticum. Neque ulla coniecturarum, quae prolatae sunt, tolerabilis est, id quod pluribus docere inutilest. Uerum ipsum illut *inscio* longe ineptissumum, et quidem duabus de caussis. Primum etsi aliqua ratione *ignarus* et *inscius* differunt, quemadmodum uerborum *nouisse* uel *peritum esse* et *scire* quaedam differentiast, tamen sponte patet, istiusmodi discrimine non potuisse hoc loco nomina illa usurpari, in quo id unum uolt Cicero acerbissumum esse docere, si *repentini* iudices iique iniqui reo ab accusatore constituantur. Deinde uero etiamsi *ignaro* et *inscio*, ut a se diuersa, coniungi hic potuissent, tamen hoc fieri nullo pacto potuit, ut interposito uerbo *necopinante* a se diiungerentur. Nam quis homo eruditus, ubi dixerit se non nouisse aliquid, adeoque ne suspicari quidem, postmodum addet se non scire? Itaque hoc manifestumst, a Tullio non esse *inscio* scriptum. Neque uero glossam licet existumare, quae super *ignaro* posita et alieno loco inlata sit: nam cum adiectiuom *ignarus* multo frequentius quam *inscius* usurpatum sit, non potest is fidem aput homines doctos inuenire, qui uocabulum usitatissumum uocabulo eiusmodi, quod rarius usurpatumst, ab interprete explanatum dicat esse. Postremo mendum librariorum esse incredibilest, cum nihil, quod accommodatum huic loco sit, elici posse uideatur. Contra minume alienum ab interpretis eius, quem totum hoc membrum addidisse suspicor, ingeniost, quippe quem alia etiam scripsisse uidebimus, quae a Tulliano dicendi genere aliquantum recedant. Is enim, qui est mos magistrorum, rei explicandae caussa plura sine discrimine cumulasse uerba iure statui potest. Accedit, quod, nisi egregie fallor, huius ipsius potissumum, quae uerbis *me ignaro — inscio* subest, addendae sententiae caussa totum istut membrum a grammatico adiectumst. Qui cum scriptum repperisset:

Tu deligas ex omni populo aut amicos tuos, aut inimicos meos, aut denique eos, quos inexorabilis, quos inhumanos, quos crudelis existumes; deinde ecfundas repente, ut ante consessum meorum iudicum uideam, quam potuerim, qui essent futuri, suspicari; aput etc..

non poterat non intellegere, cum a Tullio iudicum delectum significari, qui *insciente reo* fiat. Id ut ipse explicaret discipulis suis, in qua re magis debebat elaborare, quam ut delectum illum talem debere intellegi, qui insciente reo fieret, adnotaret? Simul quod Tullius duobus dixerat membris, *Tu deligas — existumes* et *deinde ecfundas — suspicari* uno conprehendit hoc, *Tu me ignaro — iniquos*. Atqui si Cicero uerba ista *me ignaro — inscio*, siue potius uerba istiusmodi sententiae ante *deligas* posuisset, quis est quin uideat, prorsus inutilem ne dicam ineptam adiectionem uerborum, *deinde ecfundas repente, ut ante consessum meorum iudicum uideam, quam potuerim, qui essent futuri, suspicari*, futuram fuisse? Quo magis nunc molesta uerba *Tu me ignaro — omnibus iniquos* sunt, quae non solum faciant, ut sequentia inutilia sint nullamque orationi uim addant, uerum etiam eandem set eam inepte enuntiatam sententiam contineant, quae apte antecedentibus indicatast.

Uenio nunc ad uerbum *notes*, de quo solus Manutius monuit, qui *deligas* explicat, praeterea nihil ad h. locum adnotans. Eodem fere modo *notationem* in Cic. Philipp. V, 5, 13. explicauit. Loquitur ibi Cicero de lege iudiciaria, quam tulerit Antonius, scribitque:

At ille legit aleatores, legit exules, legit Graecos: o consessum iudicum praeclarum, o dignitatem consili admirandam! auet animus aput consilium illut pro reo dicere: Cydam Cretensem, portentum insulae, hominem audacissumum et perditissumum. Set fac ita non esse, num latine scit? num est ex iudicum genere et forma? num leges nostras moresue nouit? num denique homines? est enim Creta uobis notior, quam Roma Cydae. Delectus autem et notatio iudicum etiam in nostris ciuibus haberi solet.

Ad uerba extrema monuit Manutius: „tantum abest, ut Graeci iudices legantur, ut ex nostris ciuibus delectus habeatur, et notentur, id est seligantur, qui praecipue ad iudicandi munus apti uideantur esse.“ Praeter Manutium solus Graeuius haec adnotauit: „Quid sit *notatio*, docet auctor ad Herenn. IV, 50, 63.: *notatio est, cum alicuius natura certis describitur signis, quae sicuti notae quaedam naturae sunt adtributa; ut si uelis non diuitem, set ostentatorem pecuniae describere.* Inde facile quoque conligi potest, quid sit in praecedentibus *iudicum forma*.“ Quid sit *iudicum forma* satis ex his Ci-

ceronis uerbis de Orat. III, 29, 115. apparebit: *Definitionis autem sunt disceptationes, aut — aut cum, quae forma et quasi naturalis nota cuiusque sit, describitur, ut si quaeratur auari species, seditiosi, gloriosi.* Atque formae illius descriptionem uolgo dictam *notationem* esse, ex Rhetoricis ad Herennium intellegitur. Uerum longe aliena a sensu loci, de quo agitur, illa *notationis* significatio. Neque enim iudices ab eo, qui legebat, umquam sic descripti sunt, ut quae forma eorum et quasi naturalis nota esset, diceretur, neque si factum esset, Cicero hoc loco ad morem istum respexisse potest existumari, in quo manifestumst recteque monitum a Manutio id unum cum significare posse, ex ipsis ciuibus Romanis non quemlibet sine discrimine iudicem legi, set diligentem in iis delectum solere haberi. Quo id noluit nullo modo posse fieri ostendere, ut ex hominibus Graecis iudices legerentur. Neque tamen Manutius, etsi sensum loci, ut solet, recte perspexit, aut discrimen, quod inter uerba *delectus* et *notationis* intercedit, aut uim posterioris uerbi penitus adsecutus est. Nam uerbo *notandi* non posse simplicem *seligendi* notionem subiectam esse, tum ex usu uerbi illius tum inde potest intellegi, quod, si ita esset, inutiliter ac moleste uerba *del.* et *not.* coniuncta essent. Mea sententia eodem fere sensu hic a Cicerone iudices dicuntur soliti esse *notari*, quo homines a Censore dicebantur notari. Quod quemadmodum ita fiebat, ut nomini eius, qui aliqua ignominia insignis erat, nota adscriberetur, ita iudicum etiam, qui quotannis in album legundi erant, nominibus, antequam ea ad aerarium deferebantur, notas fuisse adpositas puto. Quod quamquam a nullo ueterum scriptorum diserte traditur fieri consueuisse, tamen quin factum sit non posse dubitari arbitror, cum iudicum nomina, qui quotannis ad iudicandum legebantur, proposita publice fuisse constet, antequam in tabulis publicis scripta ad aerarium deferrentur.

Istam autem propositionem non alio patet consilio posse factam esse, quam ut, si qui erant in iis, qui indigni iudicandi munere essent, notarentur ab iisque secluderentur, quorum nomina in album annuum referrentur. Adpono uerba legis Seruiliae repetundarum, ex quibus quae fuerit iudicum quotannis legundorum ratio, perspicue potest intellegi. Neque enim, licet lex illa eo tempore, quo hanc or. Phil. Cicero scripsit, non omnino ualuerit, dubitari potest, quin iudicum legundorum ratio, quae sola huc pertinet, non fuerit mutata. In ista igitur lege p. 24 sqq. ed. Klenz. haec leguntur scripta: *Qui a Praetore, qui inter peregrinos ius dicet, uti scriptum est, ex hac lege CDL uiri in eum annum lecti erunt, ea nomina omnia in tabula, in albo, atramento scriptos, patrem, tribum, cognomenque, tributimque descriptos habeto, eosque propositos suo in albo seruato. Si nihil ex his obstat quominus in CDL uiros legatur, Praetor ius potestatemque, quoi uolet, facito. Praetor, qui ex hac lege CDL uiros legerit, facito recitentur in contione, iuratoque sese eos ex hac lege legisse, de quibus sibi consuluerit, ita ut iudicaturos ex animi sententia eos iudices existumauerit esse, eosque CDL uiros, quos ex hac lege legerit, is Praetor omnis in tabulis publicis scriptos in perpetuo habeto.* Isto uero, quem indicaui, sensu si nomen *notationis* dictum arbitramur, neque significationem ei nouam adfingimus, neque non recte sententia loci se habet. Nunc enim optume Cicero significat, non tantum Graecos legi iudices non debere, set etiam ex ciuibus Romanis eligi solere, qui iudicandi munus suscipiant, ex iisque, qui sint lecti, si qui eorum iudicandi munere indigni uideantur, rursus reici solere. Quo quid aliut ostendit, quam id, quod paulo ante monui, etiam ex ciuibus Romanis maxuma cum diligentia iudices legi?

At in oratione Planciana, ad quam reuertor, nemo non sponte intellegit, *notes* isto, qui sollemnis est uerbi *notandi*, significatu non posse dictum statui. Neque uis uerbi admittit, ut cum Manutio notionem *deligendi* habere existumetur. Itaque nihil relicum uideo, nisi ut *notare homines* hic simili sensu, quo *diem notare* Cicero ad Att. VII, 8. dixit, usurpatum esse significareque *aufzeichnen*, *aufmerken*, *tabulae inscribere* putem. Quo minus autem hoc significatu umquam a Tullio usurpatum uerbum illut est, eo magis etiam propter hunc huius uerbi usum, qui serioribus demum temporibus inualuit, totum hunc locum a Grammatico adiectum puto. Omnino quocumque significatu, qui aptus sententiae loci sit, dictum *notes* putabis, eius usus exemplum aliut ex Ciceronis scriptis adferri non poterit.

Postremo minume offensione carent uerba: *et tuos et tuorum necessarios, uel iniquos uel meos, uel etiam defensorum meorum, eodemque adiungas, quos natura putes asperos atque omnibus iniquos;* id

quod cuiuis liquebit, qui uel obiter cum iis, quae modo praecesseruut, ad quorum similitudinem sunt effecta, conparauerit: *aut amicos tuos, aut inimicos meos, aut denique eos, quos inexorabilis, quos inhumanos, quos crudelis existumes.*

Offensio autem, qua premi haec uerba dico, in eo positast quod, cum secundum membrum *iniquos — meorum* per *uel* particulam primo esset adnexum, tertium per copulam *que* secundo adicitur. Atqui isdem particulis profecto haec tria membra a se inuicem diiungi debebant, quemadmodum in antecedentibus recte membra illa idem sonantia *aut* particula a se seiuncta sunt. Atque *uel* particula ante *iniquos* posita eo plus habet offensionis, cum statim sequatur eadem particula post *iniquos* posita. Quam asperitatem orationis numquam mihi persuadebo Ciceronem sibi, nulla cogente necessitate, permissurum fuisse. Ac senserunt eam iam Garatonius et Orellius, uerum quas tollendae eius rationes inierunt, eas probari non posse, in commentario a me demonstratumst. Itaque quae uerba non inutilia solum, set molesta etiam et horride dicta uidimus, ea non dubito quin interpretis additamentum iudicanda sint.

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

DE TEMPORE, QUO HABITA SIT ORATIO PRO CN. PLANCIO.

§. 1.

Uirorum doctorum sententiae de anno, quo habita sit oratio Planciana.

Non una fuit hominum doctorum de tempore, quo habita a M. Tullio oratio Planciana esset, sententia. Quorum etsi nonnulli uerum iam uiderunt, minime tamen iis ad firmandam sententiam suam usi sunt argumentis, ut aliorum possent adprobationem consequi. Ne ipse quidem Garatonius, quamquam uerum annum huic orationi adsignauit multaque egregie monuit, totam hanc rem ita mihi uidetur tractasse, ut et perspicua omnino disputatio eius esset neque quicquam falsi contineret. Unde factum est, ut quidam, qui post Garatonium hanc orationem ediderunt, falsam mallent Schutzi opinionem repetere, quam ex Garatoni dissertatione uera eruere peruolgatumque errorem corrigere. Itaque rem de integro explicandam decreui. Quod quo breuius dilucidiusque fieret, praemittendas hominum doctorum sententias putaui, ne conmemorandis eis ac refutandis disputatio nostra interpellaretur. Ita qui legere eas recusabit, statim ad ea, quae §. 2. exposuimus, progrediatur. Omittere autem prorsus pro editionis nostrae consilio non licuit.

Ac primum quidem Manutius in arg. huius or. monuit:

„Hanc orationem et eam pro Scauro habuit eodem anno, id est L. Domitio, Ap. Claudio coss.; nam Ep. ad Q. fr. III, 1. ita scribit: *orationes pro Scauro et pro Plancio efflagitatas absolui.* Defensum autem Scaurum esse illis consulibus, diserte narrat Asconius; ut illut omittam, quod ex Ep. ad Q. fr. II, 1. intellegitur, tribunum pl. Plancium fuisse Marcellino et Philippo coss.; quo uerisimile fit, biennio post, id est L. Domitio, Ap. Claudio coss. aedilitatem petisse."

Haec Manutius, contra quem Ferratius Epp. L. V. ep. 12. p. 365 sq.:

„Errant Manutius, Conradus, Latomus, et Frigius, qui Ciceronem Ap. Claudio et L. Domitio coss. pro Plancio dixisse arbitrantur. Atque omnia, quae adtulerunt argumenta, ut per se inania ac nullius esse ponderis appareat, notandum primum est, Ciceronem non statim, ac dixerat pro aliquo reo, orationem edere ac dare suis discipulis exscribendam solitum fuisse; set aliquanto post et aliquot elapsis mensibus, ubi dabatur otium, eam domi absoluebat uolgabatque in gratiam studiosae iuuentutis. Quapropter, ut mox ostendam, Plancium defenderat Pompeio et Crasso coss.; Scaurum autem IV. Non. Septembris anni sequentis, Asconio teste; et post unum aut alterum mensem scribit Quinto fratri, orationes pro utroque habitas tum demum a se absolutas fuisse. Deinde in ea epistola III, 1. haec leguntur §. 5.: *Adhuc erat ualde incertum, et quando comitia et qui consules futuri essent;* in ea uero, quae sequitur: *res uidetur spectare ad interregnum; consules comitia habere cupiunt, rei nolunt.* Quodsi

Appius et Domitius, quibus coss. ita scripsit Cicero, nulla adhuc habuerant magistratuum comitia, quomodo eodem anno designari Plancius aedilis potuit ac de ambitu caussam dicere? Set obicitur, biennium inter tribunatum et aedilitatem intercedere debuisse. Atqui ad patricios magistratus, non ad plebeios lex bienni pertinuit. Clodius quidem et Milo anno statim post tribunatum pl. creati sunt, ille aedilis, hic praetor; Uatinius cum eodem interuallo aedilitatem peteret, repulsam tulit; ut omittam C. Cosconium, Q. Metellum Nepotem, aliosque sexcentos. Postremo Frigius, quod Laterensis, conpetitor Planci, praetor fuerit Marcello et Sulpicio coss., ut sane constare fateor ex Epp. ad Diu. VIII, 7., hunc annum ait Appio et Domitio coss. ei legitumum ad petendam aedilitatem fuisse, ac proinde etiam Plancio. Ualeret hoc, si Laterensis designatus fuisset aedilis cum Plancio; at post repulsam quid erat inpedimento, quin statim praeturam peteret? Petiit ergo aedilitatem cum Plancio Pompeio iterum et Crasso coss., gesturus anno sequente Appio et Domitio coss., nisi repulsam tulisset. Hoc aperte nos docet haec ipsa oratio, quae ostendit Plancium lege Licinia postulatum fuisse, a M. Crasso iterum consule lata de sodaliciis: *Nomine legis Liciniae, quae est de sodaliciis, omnis ambitus leges conplexus est: neque enim aliut quicquam in hac lege nisi editicios iudices secutus es.* Ita c. 15. et infra c. 20. de comitiis, quibus Plancius designatus fuit: *quae comitia*, inquit, *primum habere coepit consul, cum omnibus in rebus summa auctoritate, tum harum ipsarum legum ambitus auctor.* Idem scilicet M. Licinius Crassus consul iterum cum Pompeio et legem Liciniam tulit de sodaliciis et Plancium creauit aedilem; quem eodem anno, ut mos erat, priusquam magistratum iniret, Laterensis conpetitor de ambitu accussauit, Cicero defendit, et ut absolueretur obtinuit."

Idem Ferratius L. III. ep. 5. p. 167 sq.:

„Set ut annum a Manutio defensum penitus excludam, illo ipso interregnum fuisse docebo. Cum res ad interregnum rediret, si nullus esset in re p. patricius magistratus, nulli erant procul dubio Kal. Ianuariis aediles designati. Anno U. C. 701. consules Cn. Domitium et M. Messallam ac reliquos omnis patricios magistratus creatos fuisse ab interrege, non modo habetur ex citatis Epp. ad Q. fratrem, uerum etiam diserte aput Plutarch. in Pomp. c. 54., eodemque hic conspirat celeber Milonianae locus c. 9.: *P. Clodius cum statuisset omni scelere in praetura uexare rem p., uideretque ita tracta esse comitia anno superiore, ut non multos mensis praeturam gerere posset, qui non honoris gradum spectaret, ut ceteri, set et L. Paullum collegam effugere uellet et annum integrum ad dilacerandam rem p. quaereret, subito reliquit annum suum, seque in annum proxumum transtulit, non religione aliqua, set ut haberet, quod ipse dicebat, ad praeturam gerendam, hoc est ad euertendam rem p. plenum annum atque integrum.* Annus ille superior est 701., quo Clodius praeturam gerere poterat, biennio interiecto post aedilitatem, quo relicto anno suo Clodius praeturam petiit in sequentem, cum T. Annius Milo consularis esset candidatus. Quare Clodius praetor esse noluit anno suo Domitio et Messalla consulibus? quia illius anni non multi menses supererant, cum prolata fuissent comitia; quia ad praeturam gerendam plenum annum atque integrum quaerebat. Iam nemo non uidet, Kalendis Ianuar. eiusdem anni 701. nullos in re p. magistratus fuisse, proinde ne aedilis quidem; omniumque comitia ab interrege habita, non a L. Domitio consule superioris anni 700., cum tamen aedilicia Planci comitia sine controuersia consul habuerit."

Haec Ferratius, cuius sententiae Garatonius in nota ad or. Planc. c. 17. ed. Neapol. p. 401. subscripsit, haec monens:

„Uideo etiam omnis in anno caussae huic adsignando falli praeter Pighium et Ferratium. Nam Pighius eam uere in secundo Pompei et Crassi consulatu conlocat, nullam tamen rationem adfert, set eas uidisse arbitror, quas postea Ferratius exposuit. Non modo enim Tullius de lege Licinia, tamquam recenti, loquitur, set etiam Dion Lib. XXXIX. p. 119. aperte tradit, latam illam fuisse anno 699. Crasso iterum consule, ut c. 20. non alium possis, quam illum annum et consulem intellegere."

Set recte in Curis Secundis p. 127 — 131. ab hac sententia discessit, ad uerba Scholiastae Ambrosiani, quibus Tulli uerba c. 16. *quod in proxumo reo de consili sententia constitutumst* explicantur: *Iam de sodaliciis caussam dixerat P. Uatinius, eodem defendente M. Cicerone* etc. haec adnotans:

„Maius recte adnotat, Ciceronem pro Uatinio dixisse L. Domitio et Appio Claudio coss. anno 700., quo proinde Plancium quoque defenderit; sic enim ex Asconio conpertum fieri, ut Manutius existumauit. In fragmentorum editione Graeuiana locus Asconi est p. 1002.. Patricius uero ibi p. 1001. ex D. Hieronymi apologia in Rufinum haec adfert: *lege pro Uatinio* (Ciceronis) *oratiunculam, et alias, ubi sodaliciorum mentio fit.* Ergo et annus et crimen utriusque accussationis idem fuit. Tamen contra Manutium copiose disputauit Ferratius, uir Romanarum rerum peritissumus, III. Epist. 5. p. 167 — 171. et V, 12. p. 365., ut Plancianam superiore anno Pompeio et Crasso iterum coss. habitam demonstraret. Silui et Pighi eadem sententia fuerat; in eandem nos iuimus ad cap. 17. actione caussae cum Ferratio retracta. Quod nunc Scholiasta prolato non licet facere, caussamque fatendumst anno 700. actam fuisse, quo praetor C. Alfius fuit, eumque, eum maiestatis quaestioni sorte praeesset, Planciani tamen iudici a Laterense editum quaesitorem. Iam uero quoniam non tum ratio nos fugit, set nunc factast argumentandi conuersio, alia ingrediundumst uia, et ille inprimis explicandus est locus cap. 20., qui nos in eam mentem adduxit: *Set cur ego sic ago? quasi non comitiis iam superioribus sit Plancius designatus aedilis; quae comitia primum habere coepit consul cum omnibus in rebus summa auctoritate, tum harum ipsarum legum ambitus auctor; deinde habere coepit subito, praeter opinionem omnium, ut ne si cogitasset quidem quispiam largiri, daretur spatium conparandi.* Manet omnino, quod olim statuimus, hisce uerbis M. Licinium Crassum, consulem cum Cn. Pompeio iterum, significari. Siluio id adfirmanti negauit iniuste in sua Ciceronis historia Fabricius. Plancium itaque illis coss. aedilitatem petisse, certo scimus. Set illut quoque tenendumst, perturbatis illis rei p. temporibus postulari non posse, ut recte atque ordine res agerentur more maiorum. Ambitus gliscebat cum maxume; comitia in annum proxumum reiciebantur; consules ex interregno fiebant; reliqui magistratus ipso, quo inibant, anno a nouis consulibus renuntiabantur; triceps rem p. tenebat dominatio, cuius ad nutum paucis repugnantibus omnia gererentur. Itaque initio anni 699. Pompeius et Crassus per uim consulatum arripuerunt; statimque SCo illo inpudenter extorto, de quo Plutarchus in Cat. min. c. 42. et Cicero II. ad Q. fratrem 9., ut praetores sine ulla mora contra leges magistratum inirent, P. Uatinium largitione crearunt, et Cato, quod indignissumum fuit, maxuma eorum infamia repulsam tulit. Notum est illut Calui accussatoris Uatiniani dictum aput Quinctil. IX, 2. p. 774. *perfrica frontem, et dic te digniorem, qui praetor fieres, quam Catonem.* Nam *factum,* inquit idem in eundem VI. Inst. Quinctil. 1. p. 503., *ambitum scitis omnes, et hoc uos scire omnes sciunt.* Quamobrem Uatinius, qui designatus accussari non potuit, anno sequente, praetura iam gesta, est accussatus. Idem ut in Plancio fieret, eandem ineundi condicionem in aedilis translatam oportuit. Id autem non est uerisimile; neque Crassus, set Pompeius comitiis aedilium praefuit, quibus patrata caedes et sanguine ipse respersus, ut ex Dione XXXIX, 32. et Plutarcho in Pomp. c. 53. cognoscimus. Hoc igitur excluso tempore, Plancium postero anno aedilem creatum statuere necessest, quo uno et caussam dixerit et magistratum gesserit. Quoniam etenim initium a Crasso sumendumst, res ita se habuit. Consul ille comitia creandis aedilibus *primum habere coepit,* ut more ac legibus in annum sequentem designaret, in quem legitume Plancius aedilitatem priuatus, cum tribunus pl. superiore fuisset, petere instituit; set *coepit* tantummodo, perficere ob eas caussas non potuit, quibus tum comitia omnia disturbari consueuerant; *primum,* inquit, is consul, qui ambitum suis legibus insectatus, ne fieret maxume laborabat, quas quidem post priora sui consulatus comitia, quae memorauimus, certe pertulerat: *deinde habere coepit subito praeter opinionem omnium,* quod in consulatus initium non cadit, quo habenda necessario esse comitia constabat, spatiumque anno superiore ad informandas petitiones haut exiguum iam intercesserat. Cicero ad fratrem II, 2. XIV. Kal. Februarias Philippo et Marcellino coss. de comitiis, quibus P. Clodius aedilitatem petebat, *comitia sine mora,* inquit, *futura uidentur; edicta sunt ante diem XI. Kalendas Februarias.* Set illa iamdiu expectata, qualia Plancio sequentia Domiti aut Appi fuerunt; haec uero Crassiana non multo ante, ut mos fuerat, edicta, set paucos intra dies conuocata. Protracta igitur comitia sunt, quemadmodum anno superiore, quemadmodum etiam sequente contigit; atque ita isdem consulibus Cn. Plancius aedilitatem obtinuit, iudicium pertulit, magistratum iniuit. Spatium enim accussandi datum oportuit; quod aequom esse

omnes intellegunt, statutum et usitatum ex Tullio quoque ipso ad Q. II. ep. 9. cognoscitur, ubi legituma Senatorum postulatio refertur, *praetores ita crearentur, ut dies LX. priuati essent.* Plancio eadem interualla fuerunt, quae tum aliis tum P. Clodio. Nam hic tribunus pl. fuit anno 696., aedilitatem sequente petiuit 697., obtinuit 698. Plancius tribunatum gessit anno 698., deinde 699. candidatus aedilicius fuit, aedilis denique factus 700.; de ambitu post Uatinium eadem lege Licinia caussam dixit ante, quam eum magistratum iniret."

§. 2.

Omnes sciunt, Cn. Plancium anno U. C. 698. Cn. Cornelio Lentulo Marcellino et L. Marcio Philippo coss. tribunatum plebis gessisse.

Diserte id Cicero memoriae tradidit, qui ad Quintum fratrem Lib. II. ep. 1. (Ep. XC. Tom. II. p. 28. ed. Schutz. mai..), quae epistola mense Decembri an. 697. P. Cornelio Lentulo et Q. Caecilio Metello Nepote coss. exaratast, de tribunis in annum 698. creatis haec scribit:

Reliqua, ut arbitror, in mensem Ianuarium reicientur. De tribunis plebi longe optumum Racilium habemus. Uidetur etiam Antistius amicus nobis fore. Nam Plancius totus noster est. Fac, si me amas, ut considerate diligenterque nauiges de mense Decembri.

De eodem L. Racilio, tribuno pl., ad eundem Lib. II. ep. 6. (Ep. CIV. Tom. II. p. 72. ed. Schutz. mai..), quae epistola mense Aprili ann. 698. Cn. Cornelio Lentulo Marcellino et L. Marcio Philippo coss. exarata, haec scribit:

Quae simulatque abductast, Racilius, qui unus est hoc tempore tribunus pl., rem patefecit.

L. Racili autem Cn. Plancium in tribunatu pl. collegam fuisse, cum aliunde constat, tum ex ipsa oratione Planciana intellegitur. Cfr. C. XI. §. 28 extr., quaeque nos ad eum locum in commentario monuimus, et C. XXXII. §. 77..

Itaque iam ex hac re apparet, non potuisse Plancium prius quam anno 699. Cn. Pompeio et M. Licinio Crasso iterum consulibus aedilitatem petere, ita ut in annum sequentem 700. gereret. Atque id fecisse Plancium, etsi, ut deinde uidebimus, anno demum 700. propter comitiorum dilationem factus aedilis est, certissumis iam docebimus argumentis.

Scribit M. Cicero in orat. Planc. C. XVI. §. 40.:

Aput eosque (iudices) *me, ne quinque quidem reiectis, quod in proxumo reo de consili sententia constitutumst, cogas caussam de fortunis omnibus dicere.*

Ad eum locum Scholiastes Ambrosianus haec protulit:

Iam de sodaliciis caussam dixerat P. Uatinius eodem defendente M. Cicerone.

Pro Uatinio autem, sodaliciorum reo, quo anno dixerit M. Cicero, Asconius nobis tradidit, in argumento ad M. Tulli orationem Scaurianam p. 121. ed. Beieri haec scribens:

Hanc quoque orationem eisdem consulibus dixit, quibus pro Uatinio, L. Domitio Ahenobarbo et Appio Claudio Pulchro coss.. Summus iudici dies fuit a. d. IV. Nonas Septembris.

Patricius etiam in ed. Graeu. orr. Tullian. Tom. III. P. II. p. 1001. ex D. Hieronymi apologia in Rufinum haec, quae iam supra Garatonius memorauit, adfert: *lege pro Uatinio oratiunculam et alias, ubi sodaliciorum mentio fit.*

Cum igitur Plancium post Uatinium defensum esse certum sit, Uatinius autem L. Domitio et Appio Claudio coss. an. 700. caussam de sodaliciis dixerit, efficitur manifesto, Plancium non potuisse Crasso et Pompeio coss. an. 699. defensum esse, set aut L. Domitio et Appio Claudio coss. an. 700., aut anno sequente.

Iam uero ex M. Tulli Epist. ad Q. fratrem III, 1., in qua §. 4. scribit: *orationes pro Scauro et pro Plancio efflagitatas absolui,* necessario consequitur, ipso illo anno, quo Uatinius et Scaurus defensi sint, etiam Planci caussam debere a M. Tullio susceptam esse. Nam epistolam illam (Ep. CXLVI. T. II. p. 210 sqq. ed. Schutz. mai..) scriptam scimus an. 700. L. Domitio et Appio Claudio coss. mense Septembri.

Itaque duo iam sunt certissuma; primum, Plancium anno 700. L. Domitio et Appio Claudio coss. esse defensum, alterum, non esse defensum post mensem Septembrem, set aut ipso illo mense, aut ante mensem illum.

Porro Uatinium scimus mense Sextili defensum a M. Tullio esse; scribit enim M. Tullius ad Q. fratrem Lib. II. ep. 16. (Ep. CXLIV. T. II. p. 205. ed. Schutz. mai..), quae epistola mense Sextili an. 700. scriptast, haec:

Quo die haec scripsi, Drusus erat de praeuaricatione a tribunis aerariis absolutus, in summa quattuor sententiis, cum senatores et equites damnassent. Ego eodem die post meridiem Uatinium eram defensurus. Ea res facilis est. Comitia in mensem Sept. reiecta sunt. Scauri iudicium statim exercebitur; cui nos non deerimus.

Itaque cum Plancium paulo ante uiderimus non posse esse post mensem Septembrem accussatum, Uatinius autem, quem ante Plancium a Cicerone defensum esse conpertum habemus, mense Sextili caussam de sodaliciis dixerit, extra omnem controuersiam ponitur, M. Ciceronem pro Cn. Plancio aut exeunte mense Sextili aut ineunte mense Sept. an. 700. dixisse.

Hic autem de Schutzi opinione conmemorandum, quem iam in commentario ad C. XXXIV. §. 83. monuimus ex uerbis: *Set hoc nescio quomodo frequenter in me congessisti, saneque in eo creber fuisti, te ideirco in ludos caussam conicere noluisse, ne ego mea consuetudine aliquid de thensis misericordiae caussa dicerem, quod in aliis aedilibus ante fecissem:* conlegisse, ante ludos Romanos Plancium de ambitu accussatum esse. Scribit enim in Summario p. 351.: „Praeteritus igitur Laterensis statim post secunda illa comitia Plancium aedilem designatum ex lege Licinia de sodaliciis accussauit, et quidem ante ludos Romanos eodem fere anni tempore, quo an. 690. Murena consul designatus de ambitu fuerat accussatus. Hoc enim e c. 34. efficitur, ubi Cicero dicit Laterensem dixisse, se nolle in ludos hanc caussam conicere, ne Cicero posset aliquid de thensis misericordiae caussa dicere.“

Uerum etsi ex iis, quae modo exposuimus, satis apparet, fieri omnino potuisse, ut Plancius ineunte mense Septembri ideoque ante ludos Romanos caussam diceret, tamen ex uerbis illis Ciceronis non uidetur id recte posse concludi. Uide quae in comm. ad locum illum adnotata sunt.

Restat, ut de Tulli uerbis, quae C. XX. §. 49. scripta sunt, dicamus, cum ea nonnullis uisa sint facere contra eos, qui L. Domitio et Appio Claudio coss. an. 700. defensum Plancium statuant. Scripta ibi haec sunt:

Set cur ego sic ago? quasi non comitiis iam superioribus sit Plancius designatus aedilis; quae comitia primum habere coepit consul cum omnibus in rebus summa auctoritate, tum harum ipsarum legum ambitus auctor; deinde habere coepit subito praeter opinionem omnium, ut ne si cogitasset quidem quispiam largiri, daretur spatium conparandi.

Dissentiunt hic inter se editores, qui fuerit consul ille, quem subito creandis aedilibus comitia coepisse habere Cicero dicit. Alii Domitium, alii Pompeium, alii M. Licinium Crassum intellegendum putant. Recte autem Ferratius p. 169. et Garatonius non posse alium quam M. Licinium Crassum significatum esse uiderunt. Nam cum Cicero consulem, qui habuerit comitia illa, *harum ipsarum legum ambitus auctorem* appellet, luce clarius est, eum intellegi consulem debere, qui auctor fuerit legum uel legis, de qua ibi Cicero loquatur. Loquitur autem (cfr. C. XV. §. 36.) de lege Licinia, quae erat de sodaliciis, qua Laterensis Plancium postulauerat. Liciniam autem patet eam solum potuisse dici, quae auctore M. Licinio Crasso erat perlata. Itaque certum, priora comitia illa, quibus Cn. Plancius aedilis designatus est, M. Licinium Crassum habuisse. Quae si rata fuissent, sine dubio Plancius iam Cn. Pompeio et M. Licinio Crasso iterum consulibus an. 699. a Laterense accussatus esset. Atqui non fuisse rata, diserte Cicero dicit §. 50. 53. 54., ostenditque eo, quod M. Licinium non habuisse comitia illa, set habere tantum coepisse ait. Itaque uix opus est, ut doceam, alia illa fuisse comitia, quae creandis aedilibus curulibus an. 699. a Pompeio habita esse ac ualde turbulenta fuisse Plutarchus in Pompeio c. 53. p. 817. ed. Reisk. et Dio Cassius Lib. XXXIX. c. 32. p. 517. ed. Sturz. tradunt. Nam illis comitiis creati sunt aediles, qui eodem anno 699. aedilitatem gererent, cum anno superiore 698. comitia nulla essent

habita, et Pompeius Crassusque ex interregno consulatum iniuissent. Illis enim comitiis nullo modo Plancius potuit creari, qui debuisset, si esset tum creatus, iam anno 698. candidatus esse aedilitatis, quod fieri propterea non potuit, quod illo anno tribunatum pl. gerebat. Accedit, quod illa comitia a Pompeio, qui cum haberet adeo sanguine respersus traditur, haec autem, quibus primum Plancius aedilis est designatus, a M. Licinio Crasso habita constat.

Dirempta igitur sunt comitia illa, quae M. Licinius Crassus an. 699. habuit, ut aedilis in annum sequentem crearet. Neque uero quando et a quo habita sint ea, quibus facti sunt, qui an. 700. aedilitatem gererent, Cn. Plancius et A. Plotius, quisquam ueterum scriptorum diserte tradidit. Uerum cum orationem Plancianam paulo ante certissumis argumentis probarimus L. Domitio et Appio Claudio coss. an. 700. aut exeunte mense Sextili aut ineunte mense Septembri habitam esse: necessario conficitur, debere comitia illa aedilicia, quibus creandi erant, qui an. 700. aedilitatem gererent, non solum a Domitio uel Appio habita, uerum etiam usque in mensem Sextilem an. 700. reiecta esse. Etenim tum per se manifestumst, tum ex plurumis huius orationis locis intellegitur, Cn. Plancium non cum gessisset aedilitatem, set antequam iniret, aedilem designatum de sodaliciis caussam dixisse. Iam ut sumamus, quod summumst, LX dies eum priuatum fuisse (cfr. Cic. ad Q. fratrem II, 9.), non possunt comitia illa ante mensem Sextilem habita esse, siquidem Laterensem uerosimilest statim, postquam factus esset Plancius, de sodaliciis eum postulasse. Itaque Plancius omninoque, qui illius anni aediles curules erant, per tris tantum mensis, Octobrem, Nouembrem, et Decembrem, aedilitatem gessisse censendi sunt. Neque factum id esse mirabitur, qui turbulentissuma tempora illa fuisse meminerit. Ita anno 701. P. Clodium petitionem praeturae reliquisse scimus, cum ita tracta comitia uideret, ut non multos mensis praeturam gerere posset. Cfr. Cic. pro Mil. C. IX. §. 24..

Confirmatur denique sententia nostra eo, quod C. Alfius, qui iudicium Planci exercuit, an. 700. praetor fuit. De eo uide, quae C. II. iam exponentur.

CAP. II.

DE QUAESITORE, QUI IUDICIUM PLANCI EXERCUERIT.

Non mirumst, uiros doctos inter se dissensisse, qui iudici Planciani quaesitor fuisset. Cicero enim ipse bis in oratione Planciana quaesitoris mentionem faciens, C. XVII. §. 43. *C. Alfium* et C. XLII. §. 104. *C. Flauium,* quemadmodum quidem codices scribunt, eum appellat. Ea res uehementer exercuit interpretes, quorum alii aliter difficultatem expedire sunt conati. Solus autem Garatonius, quae fuit uiri illius sagacitas, difficultatem illam sustulit, §. 104. pro *Teque, C. Flaui* scribendum *Teque, C. Flaue* ostendens, quaesitorisque nomen *C. Flauum Alfium* fuisse docens. Itaque hoc unum mihi faciundum, ut Garatoni uerba huc adponam, quibus intellegatur, uere ab eo *C. Flauum Alfium* iudici illius quaesitorem esse habitum. Quoniam autem Garatonius in nota, quam ad c. 17. scripsit, ad priorum editorum adnotationes respexit, eas quoque repetendas putauimus. Adnotata igitur ad c. 17.: *quam hunc C. Alfium* etc. a prioribus editoribus haec sunt:

C. Alfium] Uictorius *C. Alphium;* Ant. Augustinus ex loco inferiore c. 42. *C. Flauium;* set cur illum locum non corrigit ex hoc, si habet auctoritatem, quae confirmet? *F. URSINUS. C. Flauium*] Ita quaesitor hic a Laterense editus uocatur infra c. 42., nec uerisimilest, *C. Alphium,* ut habent uolgati, qui hoc anno praetor fuit, editum quaesitorem fuisse. *LALLEMANDUS.*

Ad ea Garatonius p. 401 sq. ed. Neap. haec adiecit:

„Haec sumpsit uir doctus [Lallemandus] a Manutio ad c. 42.*). Cum his et Ant. Augustino *C. Flauium* hic legit etiam Pighius ad annum DCXCVIII., eumque non praetorem modo facit, uerum etiam quaestionem ambitus exercentem. Ernestus in Ind. Hist. quamquam nihil decernit, est suspicatus, C. Flauium hic illum intellegi, qui Attici et Bruti familiaris fuit. Contra Corradus in Quaest. p. 263. ed. Lips. ita de Alfio non dubitat, ut hanc orationem anno DCXCIX. (700.) habitam ex eo demonstrari certissume arbitretur, quod C. Alfius fuerit illo anno *quaesitor*. Ego uero primum haec obseruanda duco: Laterensem edere quem uellet potuisse, tum priuatum, tum non modo praeturam, set alium quoque magistratum gerentem, ut nihil sit infirmius, quam illa Pighiana praetura, et ambitus sorte data quaestio C. Flauio ex hoc Planciano iudicio tributa. Set tamen in his quaesitoribus extraordinariis dignitatis rationem fuisse habitam, nemo infitiari debet. Qui enim iudicio ut praeesset, atque, ut c. 53. pro Cluent. dicitur, iudices coerceret, eligebatur, cui res plane praetoria committebatur, eum non mediocri splendore praeditum esse oportebat. Pompeius tulit, ut consularis a populo in Milonem quaesitor deligeretur; uid. Ascon. arg. pro Mil.. Censorium uirum ab accussatore delectum ostendimus ad c. 33. pro Sulla. Cn. Domitius praetor similiter ad iudicium a propria quaestione alienum exercendum uocatus fuit; uid. Ferrat. ad arg. pro Caelio. His praemissis, de Alfio uideamus. Eum hic retinent omnes libri; tantum aliqui scribunt *Alphium*, ut idem nomen in multis Horati Msis et editt. II. Epod. 67. scribebatur, ubi cod. Barb. 2591. habet *Alpheus*, ut hic prior Uen. *Alfeum;* set e melioribus libris emendatus iam inde a Torrentio fuit Horatius, et hic editur *Alfium* paene ab omnibus cum cod. meo, Barb., et plerisque. Hoc ego nomen a notiore altero *Flauium* oriri potuisse uix putem. Deinde incerta omnia de C. Flauio et obscura sunt, ut ad c. 42. uidebimus; contra summa erat in C. Alfio iis temporibus omnium consensu dignitas. Nam fere hic cum Cicero appellat *grauissumum hominem iustissumumque*, cum non modo ab ipso priuatim dicatur III. ad Q. fratrem 3. *quaesitor grauis et firmus Alfius*, uerum etiam dictum Caesaris referatur in Uatin. c. 16.: *C. Alfium praeteritum permoleste tulisse, quod in homine summam fidem probitatemque cognosset.* Cum autem in Uatinium dixerit Cicero mense Martio anni DCXCVII. (698.) Marcellino et Philippo coss., ex II. in Q. fr. 4. C. Alfium patet repulsam praeturae, de qua ibi loquitur, tulisse anno superiore. Tandem praetor fuit anno DCXCIX. (700.) Appio et Domitio coss., et maiestatis quaestionem sortitus est, ut omnes docent ex III. ad Q. fr. 1. §. 7.; unde conficitur, Alfium praetorem eodem anno designatum fuisse, quo Plancius primum aedilis est designatus. Quodsi iam anno DCXCVI. (697.), cum primum praeturam petiuit Alfius, satis erat in homine dignitatis ad iudicium publicum exercendum, non ab integritate spectata solum, set etiam ab honoribus, cum nihil amplius in annuis quaestionum iudicibus requireretur (uid. Excurs. ad Cluent. §. II. III. IV.), qualis antea ipse uidetur Alfius fuisse: quanto magis postea idem ille praetor iam factus a probo accussatore Laterense quaesitor deligi potuit?"

Porro ad c. 42. §. 104. Garatonius in ed. Neap. p. 466 sq. ad uerba *Teque, C. Flaui* haec adnotauit:

„Celeb. Burmannus ad Quinctil. I. O. IX, 3. p. 816. cum uideret, Flauium quendam in Ciceronis fragmento ibi seruato Bruti familiarem nominari, duos C. Flauios distinguebat, quorum ille esset alteruter: hunc, quem laudari a Tullio hoc loco uidebat; et alterum, quem idem commendat XIII. ad Diu. 31., equitem Romanum, familiarem suum, pernecessarium C. Pisonis, generi olim sui, et fratrem L. Flaui, ab eo, ut opinor, diuersi, qui I. ad Q. fr. 2. §. 3. *praetor designatus* dicitur, Caesare nimirum

---

*) Manutius ad c. 42. uerba *Teque*, *C. Flaui* haec adnotauit: „Aut hic *C. Alfi*, aut supra *C. Flauium* legendum uidetur: quaesitorem enim esse constat; de Flauio autem magis credo, ut sit quaesitor editus a Laterense: nam Alfium, ut opinari licet ex orat. in Uatinium, praetorem huius anni, uerisimile non uidetur a Laterense quaesitorem editum fuisse, cum praetorum sua cuiusque propria sorte data quaestio esset, unde abduci nec possent, nec in Planci caussa necesse esset, data accussatori in crimine sodalici, quos ei commodum esset, edendi uel iudices, uel quaesitorem, licet praetor non esset."

et Bibulo coss. in annum sequentem; quem etiam eundem putabat esse cum eo, de quo Brutus ad Cic. ep. VI.: *Flauius noster de controuersia, quam habet cum Dyrrhachinis haereditariam, sumpsit te iudicem* etc.. *Noli pati a necessariis tuis necessario meo iniuriam fieri.* De isto denique, non autem de C. Flauio Planci quaesitore, uir summus eum nummum intellegebat, in quo legitur *C. Flauius legatus pro praetore,* cum Brutus esset in inperio; quem nummum nos quoque ad III. in Uerr. 18. commemorauimus. At celeb. Ernestus in Ind. Hist. est suspicatus, in Plancium quaesisse C. illum Flauium, Bruti perfamiliarem, et optimatium caussae inpense fauentem, de quo Plutarchus, et Nepos in Attic. c. VII.. Ego uero nullum adhuc uideo C. Flauium, quem anno DCXCIX. (700.), quo iudicatum de Plancio fuit, eo splendore, dignitate fuisse sciamus, ut quaesitorem a Laterense editum sit uerisimile. Confer quae ad c. 17. disputauimus. Nescio, quibus de caussis Flauios illos Burmannus distinxerit. Qui XIII. ad Diu. 31. commendatur, operam sane potuit nauare Tullio consuli; set idem multo post eques tantum dicitur, hoc est, nullo populi honore usus. Quem Brutus commendat, is idem uidetur esse, de quo Plutarchus; uterque hominis praenomen omittit, ut aput Fabium Cicero; set nihil laboro, cum a Plutarcho in Bruto LI. hic homo ἔπαρχος τῶν τεχνιτῶν, *praefectus fabrum* Bruti appelletur in extremo illo et luctuoso Bruti conflictu. Quis autem credat, huius iudicio praefuisse hominem, qui tanto post tempore nihil amplius fuit, quam praefectus fabrum? Diuersus ab hoc uidetur ille, qui legatus pro praetore fuit, in quo certe maior est dignitas. Uerum aetatem huius honorumque gradus tam incognitos esse uideo, ut ei non dubitem C. Alfium praeferre, cui anno DCXC. (691.) aetas quaestoria non deerat, Cicerone cos., cum anno DCXCVI. (697.), ut ad c. 17. uidimus, praetorius fuerit candidatus; immo erat ex ratione temporis quaestor tum designatus, si anno suo magistratus ante praeturam obtinuit, fortasse tamen iam quaestorius. Neque uero necessest, ut hic quoque *C. Alfi* legamus, quod nonnullos fecisse uidimus. Satis est enim, facillima minumaque mutatione legere, *C. Flaue;* cum Alfiorum cognomen *Flauus* a Seneca Rhetore proditum sit Controu. Epit. I, 1. et III, 7., cuius aetate *Alfius* quidam *Flauus* uiuebat, qui huius quaesitoris nepos, aut etiam filius esse potuit. Eiusdem autem hominis praenomini modo nomen subici, modo cognomen, et uolgo notum puto et ipse obseruaui §. IX. Excurs. ad Cluentianam."

Denique Garatonius ad haec Tulli uerba, *Teque, C. Flaue,* in Curis Secundis p. 97. haec adnotauit: „Omnis illa de Flauiis est hic inutilis disputatio. Est enim omnino C. Alfius intellegendus, quem supra c. 17. quaesitorem huic iudicio praeesse dixerat. Alfiae gentis cognomen fuisse *Flauum,* propterea *C. Flaue* hic legendum ostendimus. Nihil mihi certius uidetur. Praetor hoc iudicium extraordinarium exercuit lege Licinia editus ab accussatore ipso quaesitor, etsi tribulis erat Planci et Ciceronis amicus. Ualuit, opinor, hominis fama et probitas summa cum dignitate coniuncta. Haec in uetere adnotatione ad c. 17. luculenter exposui. Addo nunc, aput Plinium IX. H. N. 8. *Flaui Alfii*, et libro I. in auctorum indice *Alfio Flauo* MSos et editiones ueteres scribere. Quod nescio qui perperam supposuerunt *Flauii* et *Flauio*, Harduinum adsciuisse demiror, cum locum illum Senecae Rhetoris uiderit, qui mihi primus indicium cognominis huius fecit.' *Alfius* autem nomen est Campanae nobilitatis. Constat ex Liuio XXIII, 35., ubi *Marium Alfium* Campanorum summum magistratum ducemque commemorat. Erat in ea uicinitate tribus C. Alfi Flaui Terentina."

CAP. III.

DE LEGE LICINIA, QUA CN. PLANCIUS A M. LATERENSE SODALICIORUM REUS EST FACTUS.

Quae adhuc uiri docti de lege Licinia, quae de sodaliciis fuit, scripserunt, ea et perpauca sunt, neque uera omnino, ita ut ad cognoscendam legis illius rationem minume sufficiant. Quo magis faciundum mihi putaui, ut quam possem diligentissume de ea hic exponerem, praesertim cum multi sint in

hac oratione Planciana loci, quorum sententiam, nisi cognitam eam habemus, uix perspicere recte possumus. Erat enim Cn. Plancius lege illa a M. Laterense sodaliciorum reus factus, de qua re Cicero C. XV. §. 36. monet.

Ut autem recte et ordine disputatio nostra procedat, primum docebimus, a quo et quando lata lex illa sit, deinde qua re a ceteris ambitus legibus, ad quem sodaliciorum crimen pertinebat, discreparit, ita quidem, ut primum de criminibus, quae debuerint conferri in eum, qui lege ista postularetur, deinde de forma ac genere iudici, quod in sodaliciorum reum exercitum sit, denique de poena uideamus, qua adfectus sit, qui criminis illius conuictus esset.

§. 1.

Quando et a quo lex Licinia lata sit.

Primus, quantum scio, C. Sigonius de Iudiciis Lib. II. c. 30. p. 1788. Thes. Graeu., quocum Ferratius III. Epp. 5. p. 169. et Ernestius in Ind. legum consentiunt, legem Liciniam anno 699. Cn. Pompeio et M. Licinio Crasso iterum consulibus a M. Licinio Crasso latam esse uidit. Manutius certe de legibus Rom. c. 30. haec pauca tantum de lege illa monuit: „Licinia lex, de sodaliciis lata, ad ambitum pertinuit; sanxit enim, ne quis coiret magistratus adipiscendi caussa; quod a Laterense obiectum Cn. Plancio, ostendit Cicero in oratione pro ipso.“ Miror autem, Schulzium in libro, cuius titulus est: *Von den Volksversammlungen der Römer. Gothae. 1815.*, se non intellegere dicere, qua ratione ductus Ernestius M. Licinium legis illius latorem putarit. Monet ille p. 168 sq. de ambitus legibus exponens, postquam Ciceronis ad Q. fr. II, 3. uerba: *SCtum factum est, ut sodalitates decuriatique discederent; lexque de iis ferretur, ut, qui non discessissent, ea poena, quae est de ui, tenerentur.* adtulit, haec: „Eben dahin zielte auch die Lex Licinia. Cfr. Cic. pro Planc. 15.. Aber *wenn* und *von wem* dieses Gesetz gegeben wurde, ist, wie der eigentliche *Inhalt* desselben, unbekannt. Gewöhnlich nimmt man an, es sey im Jahre 698 (699.) unter dem Consulat des Licinius Crassus und Cn. Pompeius gegeben worden (cf. Ernesti Index legum in Clau. Cic.); aber ich habe für diese Annahme bis jetzt keinen Beweis gefunden.“ Neque sane Ernestius ullam adtulit rationem, qua commotus legem illam a M. Licinio Crasso iterum consule perlatam putarit. Nihilominus uera dixisse Ernestium, paucis doceri potest. Scribit Cicero C. XX. §. 49.: *quae comitia primum habere coepit consul cum omnibus in rebus summa auctoritate tum harum ipsarum legum ambitus auctor.* Cum in antecedentibus de nulla nisi de Licinia lege loquatur, manifestumst, uerbis *harum ipsarum legum* ipsam illam legem Liciniam potissumum significari. Iam cum supra Lib. III. C. I. §. 2. euidentissumis argumentis conprobarimus, consulis nomine, qui comitia illa habere coepisse dicatur, alium nisi M. Licinium Crassum iterum consulem significatum esse non posse, nullus relinquitur dubitandi locus, quin lex Licinia, quae fuit de sodaliciis, a M. Licinio II consule an. 699. lata sit.

Ceterum ex ueteribus scriptoribus solus uidetur Dio Cassius de lata illa lege monuisse, qui Lib. XXXIX. c. 37. p. 523. ed. Sturz. de Pompeio et Crasso iterum consulibus scribit: *ταῦτά τε οὖν κυρωθῆναι ἐποίησαν, καὶ μετὰ τοῦτο πικρότερα ἐπιτίμια τοῖς δεκάζουσι τινὰς ἐπέταξαν, ὥςπερ τοι αὐτοὶ ἔλαττον, ὅτι οὐ χρήμασιν, ἀλλὰ βίᾳ τὴν ἀρχὴν εἰλήφεσαν, ἁμαρτόντες.* Neque quod ambos consules acerbiores de ambitu leges tulisse scribit, aliquid offensionis habet. Solet enim Dio fere ubique ab ambobus factum consulibus dicere, quod alterutri tantum adsignandum erat. Illut quodammodo contra nos facere uideri potest, quod Dio leges illas non tam de sodaliciis quam de ambitu latas scribit. Uerum in ea re non puto haerendum esse, praesertim cum ex Ciceronis uerbis *harum ipsarum legum ambitus auctor* M. Licinium non unam de sodaliciis legem, uerum plures ad coercendum ambitum, quos Dionem probabilest spectasse, tulisse appareat.

§. 2.

De crimine sodaliciorum.

Quamquam recte Manutius in argumento huius orationis, quemadmodum perduellio maxumum inter maiestatis crimina fuerit, ita sodalicia grauissumum ambitus crimen fuisse monuit, tamen ex eo nondum apparet, quomodo sodalicia ab ambitu discreparint. Quaedam de isto discrimine C. Sigonius de Iudiciis Lib. II. c. 30. p. 1784. Thes. Graeu. recte monuit; quae quo magis plerisque uiris doctis incognita sunt, eo minus alienum putaui hic repetere.

„Praeter profusam benignitatem adhibitast in comitiis, ultumis maxume rei p. temporibus, quasi uis quaedam, quae quia sodalibus contractis adhibebatur, proprio nomine *sodaliciorum* est appellata. Sodales autem hoc in loco erant quasi eiusdem factionis et coitionis. Si quis autem tribulis decuriasset et conscripsisset, ut corrumperet populum, quoniam multitudine cogere uidebatur, uis uidebatur; quoniam pecunia contendebat, ad ambitum pertinebat. Erant tamen sodalicia ab ambitu diuersa. Nam in sodaliciis per sodalis decuriatos et conscriptos res agebatur, in ambitu per sequestris et diuisores. Itaque scriptum est aput Asconium, Milonem eodem tempore de ambitu et de sodaliciis aput diuersos quaesitores et a diuersis accussatoribus esse postulatum. Et Mamertinus dixit ad Iuliannm inperatorem: *An uero, si centuriatis comitiis consul creatus essem, gloriosius mihi uniuersi populi suffragiis declaratus uiderer? Minume; siquidem etiam illis priscis temporibus multorum ambitu fuit campus infamis. Nota diuisorum flagitia, notae libellorum praestigiae, tum operarum ad uim et seditionem manus emptae.* Sodalitates etiam ad ambitum pertinere, ostendit Cicero pro Plancio (C. XV. §. 37.), cum dicit: *Hoc igitur sensimus: cuiuscumque tribus largitor esset, et per hanc consensionem, quae magis honeste quam uere sodalitas nominaretur, quam quisque tribum turpi largitione corrumperet, eum maxume iis hominibus, qui eius tribus essent, esse notum.* Ad uim autem spectasse, cum addit (C. XVIII. §. 45.): *Decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragia largitione deuincta seueritatem senatus, et bonorum omnium uim ac dolorem excitarunt. Haec doce —, decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse, pronuntiasse, diuisisse.* Decuriatio enim, et descriptio populi ad uim adhiberi solebat; ut pro Sestio (C. XV. §. 34.) *cum uicatim homines conscriberentur, decuriarentur, ad uim, ad manus, ad caedem, ad direptionem incitarentur.* pro domo (C. V. §. 13.): *cum, desperatis ducibus, decuriatos ac descriptos haberes exercitus perditorum.* et in II. Phil.: *cuius etiam familiares de ui condemnati sunt, quod tui nimis studiosi fuissent.* et pro Plancio (C. XIX. §. 46.): *Ego Plancium et ipsum gratiosum esse dico et habuisse in petitione multos cupidos sui gratiosos; quos tu si sodalis uocas, officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso.* et §. 47.: *Iam ut ego doceo, gratiosum in sua tribu Plancium —: sic tu doce, sequestrem fuisse, largitum esse, conscripsisse, tribulis decuriasse.*“

Haec Sigonius, quibus, quo planior res fiat, haec addenda puto. Ambitus, monente Festo, crimen adfectati honoris fuit. Itaque in ambitus crimen uocabatur, quicumque inlicito modo laborauerat, ut honos, quem petebat, sibi mandaretur.

Is modus duplex potissumum fuit: aut enim sola largitione, id est nummis aliisue muneribus, quae populo diuidebant diuidendaue curabant, suffragia eius deuinciebant, aut uim, quam ipsam sibi largitione parabant, ad consequendum, quem uolebant, honorem adhibebant.

Uis autem cernebatur in eo, quod certi quidam homines, sodales dicti, quos candidati largitione corruperant, multitudinem cogebant, ut ei, a quo erant corrupti, honorem deferret. Id quo facilius fieri posset, tribules a candidato decuriabantur populusque describebatur, ita ut unicuique sodalium certa pars tribus et populi adsignaretur, cuius ut suffragia candidatus ferret, quocumque modo efficere debebant. Uide quae in Comment. ad uerba C. XVIII. §. 45. *decuriatio tribulium, descriptio populi* adnotaui.

Itaque in istiusmodi comitiis, in quibus candidati sodalium opera ad consequendos honores utebantur, multitudo non tam acceptis nummis adduci, quam ui cogi solebat, ut candidatis, qui sodalibus utebantur, honorem, quem petebant, mandaret.

De ueritate rei, quam exposui, persuadebit sibi, qui hos orationis Plancianae locos adtente perlegerit. C. XXII. §. 54. *Nam quod questus es, pluris te testis habere de Uoltinia, quam quot in ea tribu puncta tuleris.* ad quae conferenda quae in Comm. exposui. C. XVIII. §. 45. *neque hoc liberis nostris interdicendumst, ne obseruent tribulis suos, ne diligant, ne conficere necessariis suis suam tribum possint, ne par ab iis munus in sua petitione respectent.* C. XIX. §. 46. *Ego Plancium, Laterensis, et ipsum gratiosum esse dico et habuisse in petitione multos cupidos sui gratiosos; quos tu si sodalis uocas, officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso; sin, quia gratiosi sint, accussandos putas, noli mirari, te id, quod tua dignitas postularit, repudiandis gratiosorum amicitiis non esse adsecutum. Iam ut ego doceo, gratiosum in sua tribu Plancium, quod multis benigne fecerit, pro multis spoponderit, in operas plurumos patris auctoritate et gratia miserit, quod denique omnibus officiis per se, per patrem, per maiores suos totam Atinatem praefecturam conprehenderit: sic tu doce, sequestrem fuisse, largitum esse, conscripsisse, tribulis decuriasse.* Quo in loco adtendendum ad egregiam oratoris artem, qua cupidos tantum fuisse Planci et gratiosos studet conprobare, quos non dubiumst quin recte Laterensis sodalis fuisse dixerit.

Iam utraque ambeundi ratio etsi periculosa rei publicae erat, tamen maiorem ei candidatos, qui operarum manus ad uim emebant, quam qui sola largitione populum corrumpebant, adferre perniciem, non poterat obscurum esse. Nihilominus diu in quaestionibus de ambitu nulla discriminis illius habebatur ratio, nec maius, qui largitione, quam ei, qui ui populi suffragia consecutus erat, inpendebat periculum. Tandem cum intellectum esset, quanto plus haec altera ambeundi ratio ad euertendam rem publicam conferret, exeunte saeculo septumo grauius in eos exerceri iudicium coepit, qui sodalium opera honores consecuti esse arguebantur.

Factum id est lege Licinia de sodaliciis, quae ipsa ut ferretur, senatus auctor fuit (cfr. Planc. C. XV. §. 36. 37. C. XVI. §. 39 extr. C. XVII. §. 41. C. XVIII. §. 44. 45..), qui iam anno ante, referente Cicerone ad Q. fr. II, 3, 6. (T. II. p. 59. ed. Sch. mai..), decreuerat, *ut sodalitates decuriatique discederent, lexque de iis ferretur, ut, qui non discessissent, ea poena, quae est de ui, tenerentur.*

Itaque lata hac lege, qui honorem adfectauerant, bis poterant postulari, et de ambitu et de sodaliciis. Atque factum hoc reuera nonnumquam esse, ueteres scriptores memoriae prodiderunt. Ita Asconius Pedianus in Arg. or. Mil. p. 190. ed. Lugd. et p. 205. Milonem et de ambitu et de sodaliciis et de ui accussatum scribit esse. Idem sine dubio M. Messallae accidit, qui cum reus ambitus esset factus et turpiter iudicum sententiis absolutus, postmodo lege Licinia de sodaliciis postulatus est. Nam in hunc sensum manifesto accipiunda Caeli uerba sunt, quae in epist. ad Ciceronem scripta (ad Diu. VIII, 2.) leguntur: *Quid alios putas? clamoribus scilicet maxumis iudices corripuerunt; et ostenderunt, plane esse quod ferri non posset. Itaque relictus lege Licinia maiore esse periculo uidetur.* Neque enim *relictus* hic potest esse *absolutus*, quo sensu Manutius Kortiusque acceperunt. Sensum recte perspexit Ernestius, qui pro *lege Licinia* scribendum *legi Liciniae* idque ad *relictus* referendum putauit.

Post ea, quae exposuimus, uel sponte intellegetur, non recte Manutium de Legg. Rom. c. 30. lege de sodaliciis lata sancitum esse dicere, *ne quis coiret magistratus adipiscendi caussa,* similiterque Ernestium errare, qui in Arg. or. Plancianae haec scripserit: „Qua ille ignominia conmotus Plancium ex lege Licinia *de sodaliciis,* h. e. coitionibus ad corrumpenda populi suffragia factis (nam quorum opera tribus corrumpebantur, sodales et sequestres dicebantur, uid. pro Caelio c. 7.) accussauit, quod inter ambitus crimina grauissumum est.“

Nisi forte ambo in eo tantum peccarunt, quod uerbum *coeundi* et *coitionis* falso sensu usurparunt, idemque *coitionem* quod *sodalicia* significare crediderunt. Quod mihi eo probabilius uidetur, cum Ernestius in Clau. Cic. etiam uim nominis *coitionis* non recte exposuerit. Monuit ille ibi: „Est enim *coitio*, cum homines congregantur rei malae perficiundae, ueluti tribuum corrumpendarum caussa.“

At hoc non uere dictum. Nam uerbum *coitionis* quotiens de ambitus reis usurpatur, non significat aliquam societatem candidati cum sodalibus uel operis campestribus ad corrumpenda populi suffragia initam, uerum coniunctionem candidati cum conpetitore eo consilio factam, ut reliquos conpetitores de

honore deiciant. Id ita esse, non solum ueterum scriptorum loci, in quibus uerbum illut usurpatum, uerum ipsa etiam, quae ei subest, uis propria docet. Nam *coire* qui cum aliquo dicitur, cum aliquo ad aliquid coniunctim ire, aliquid coniunctim cum eo petere intellegitur. Itaque coire candidatus cum sodalibus non potest dici, siquidem non una cum sodalibus aliquid petit, set tantum in petitione ab iis adiuuatur. Ceterum uide quae ad rationem coitionis accuratius intellegendam in Comm. ad C. XXII. §. 53. *dubitabitis, inquit, quin coitio facta sit* a me monita sunt. Loci autem, in quibus uerbum *coeundi coitionis*que eo, quo dixi, sensu usurpatum, hi sunt:

Liu. III, 35. *Deiectisque honore per coitionem duobus Quintiis — nequaquam splendore uitae pares decemuiros creat* etc.

Cic. pro Planc. C. XXII. §. 53. *dubitabitis, inquit, quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius?* quibuscum conferenda sunt, quae paulo post §. 54. Cicero dicit, uerbum *coitionis* ipse optume explicans: *quam conuenit nondum cognita populi uoluntate hos, quos iam tum coniunctos fuisse dicis, iacturam suarum tribuum, quo uos adiuuaremini, fecisse.*

Cic. ad Att. I, 17. (T. I. p. 97. ed. Sch..): *Lucceium scito consulatum habere in animo statim petere. Duo enim soli dicuntur petituri. Caesar cum eo coire per Arrium cogitat; et Bibulus cum hoc se putat per Pisonem posse coniungi.*

Cic. ad Q. fr. III, 1. (T. II. p. 222. ed. Sch..): *Quod scribis te audisse in candidatorum consularium coitione me interfuisse, id falsum est. Eiusmodi enim pactiones in ea coitione factae sunt, quas postea Memmius patefecit, ut nemo bonus interesse debuerit; et simul mihi committendum non fuit, ut iis coitionibus interessem, quibus Messalla excluderetur.*

Eadem de re Cicero etiam ad Att. IV, 18. (T. II. p. 311 sq. ed. Sch..) scripsit.

Itaque manifestumst, primum legis Liciniae, quae de sodaliciis fuit, caput non illut, ne quis coiret, uerum hoc esse debuisse, ne quis in petitione sodalitatibus ad extorquenda populi suffragia uteretur. Nihilominus non dubito, quin illut quoque in lege ista perscriptum sancitumque fuerit, ne quis coiret. Nam coitio illa ad uim pertinebat, siquidem, ut alii candidati honore deicerentur, effecit. Fuit autem lex Licinia eorum caussa lata, qui ad adipiscendum honorem uim adhibuissent. Accedit, quod coitio illa fieri uix potuit, nisi ita, ut candidati, qui coissent, sodalibus ad rem, quam uolebant, peragundam uterentur. Denique, quo sententia mea prorsus confirmatur, ex ipsa oratione Planciana discimus, Laterensem id ipsum Plancio obiecisse, quod coitionem fecisset. Uide C. XXII. §. 53..

§. 3.

De genere iudici,
Quod in sodaliciorum reos lege Licinia exercitum sit.

Quemadmodum grauius sodaliciorum quam ambitus crimen fuit, ita acerbius etiam in sodaliciorum reos, quam in eos, qui de ambitu postulati erant, iudicium constitutum erat. Neque qua in re posita fuerit huius iudici acerbitas, etsi non est ab iis, qui de lege Licinia exposuerunt, satis intellectum, coniectura tantum diuinari, uerum ex hac ipsa oratione satis superque demonstrari potest. Scribit Cicero C. XV. §. 36.:

Set aliquando ueniamus ad caussam, in qua tu nomine legis Liciniae, quaest de sodaliciis, omnis ambitus leges conplexus es. Neque enim quicquam aliut in hac lege nisi editicios iudices secutus es. Quod genus iudiciorum si est aecum ulla in re, nisi in hac tribuaria, non intellego, quamobrem senatus hoc uno in genere tribus edi uoluerit ab accussatore neque eandem editionem transtulerit in ceteras caussas, de ipso denique ambitu reiectionem fieri uoluerit iudicum alternorum, cumque nullum genus acerbitatis praetermitteret, hoc tamen unum praetereundum putarit.

et C. XVI. §. 38. haec:

Tu autem, Laterensis, quas tribus edidisti? Terentinam, credo: fuit certe id aecum et certe expectatumst et fuit dignum constantia tua. Cuius tu tribus uenditorem et corruptorem et sequestrem Plan-

cium fuisse clamitas, eam tribum profecto, seuerissumorum praesertim hominum et grauissumorum, edere debuisti. At Uoltiniam: lubet etenim tibi nescio quid etiam de illa tribu criminari; hanc igitur ipsam cur non edidisti? quid Plancio cum Lemonia, quid cum Ufentina, quid cum Crustumina? nam Macciam non quae iudicaret, set quae reiceretur, esse uoluisti.

Ex his Ciceronis uerbis primum apparet, secundum legem Liciniam in sodaliciorum iudicio iudices editicios iudicasse. Id etsi omnes uiderunt, tamen quales fuerint, qui dicti sint editicii, non est a uiris doctis recte expositum. Male Manutius ad hunc locum: *Editicii sunt, quos in hac una de sodaliciis caussa delectos ex omni populo accussator edebat reo.* Nec uere idem ad or. Muren. C. XXIII. §. 47.: *editicios iudices, ut accussator ipse ederet, quos de ambitu iudicare uellet, quod senatus repudiauit.* Eadem fere Schutzius in Ind. Lat. sub u. *editicius.* Magis etiam a uero aberrauit Adamus in Antiq. Rom. ed. a Meyer. T. I. p. 467.: *Bisweilen erlaubte das Gesetz dem Ankläger und dem Angeklagten die Richter zu wählen. In diesem Falle sagte man von ihnen: iudices edere, und die Richter wurden Editicii genannt. Cic. pro Muren. 23. Planc. 15. 17.. So durfte nach dem Servilischen Gesetz des Glaucia gegen die Gelderpressungen der Ankläger aus der ganzen Anzahl Richter hundert, und aus diesen hunderten der Angeklagte funfzig ernennen. Nach dem Licinischen Gesetz de Sodaliciis war es dem Ankläger erlaubt, die Geschwornen aus dem ganzen Volk zu ernennen. Cic. pro Planc. 17..* Melius, set tamen non ita, ut omnino satisfaciat, Seruius ad Uerg. Eclog. III, 50. *Editicius,* inquit, *iudex est, quem una pars eligit.*

Eo minus autem opus est, ut horum uirorum errores multis corrigam, quo apertius Cicero ipse in hac oratione, qui fuerint iudices editicii, demonstrat. Scribit enim C. XVII. §. 41.:

Nos neque ex delectis iudicibus, set ex omni populo, neque editos ad reiciendum, set ab accussatore constitutos iudices ita feremus, ut neminem reiciamus?

Itaque iudices editicii sunt, qui ab accussatore ita sunt constituti, ut nemo eorum reici ab reo possit; quam contra editi dicuntur, qui sunt ab accussatore delecti ita, ut reici ab reo possint *).

Porro quod secundo loco quaerendum, unde delecti fuerint iudices, qui dicti sunt editicii, ex hac ipsa oratione certo intellegitur. Errant autem, qui ex omni populo lectos dicunt idque a Cicerone §. 40. *Tu deligas ex omni populo* etc. significari putant. Nam uerba illa non sine rei exaggeratione dicta sunt. Immo, ut breuis sim, res haec fuit. Edebat accussator in sodaliciorum iudicio quattuor tribus, quarum unam reus reiciebat; ex tribus reliquis legebat accussator iudices ita, ut nemo eorum a reo reici posset. Ita Laterensis Lemoniam, Ufentinam, Crustuminam, et Macciam ediderat, quarum postremam Plancius reiecerat. Patet hoc ex uerbis C. XVI. §. 38. supra adlatis et ex adnotatione interpretis Ambrosiani, qui ad C. XV. §. 36. *Neque enim quicquam — secutus es* p. 161 sq. ed. Mai. haec scripsit:

Ad ea, quae sunt necessaria, conclusis prioribus transit, et potuisse Laterensem de ambitu accussare significat, nisi maluisset idcirco reum lege Licinia facere, ut haberet iudices editicios; de cuius forma et acerbitate iam sumus in argumento [quod periit] *praelocuti. Differentia igitur accussatoris ostenditur ideo inuadentis in legem Liciniam, quod ambitus probari non possit, de quo iudices ex reiectione haberi soleant, aequalem scilicet numerum reicientibus tam accussatore quam reo. Uerum specta licentius omnem contextum huius . . . . ut intellegas, oratorem more speciem quandam . . . . in modum praescriptiuum facta senatus consulti mentione, qui secundum legem Liciniam quattuor edi tribus ab accussatore uoluerit, ex quibus reo liceret unam repudiare, ut de tribus reliquis iudicum haberet editionem; tamen ab accussatore sic fieri uoluisse, ut eas ederet, quas corruptas a candidato criminaretur. Hic uero Laterensis noluerat ipsas edere, quibus dicebat pecuniam datam. Utique consulte, ne reo, a quo pecuniam sumpserant, fauore tacito patrocinarentur. Quasi negare itaque temptauit, accussari*

---

*) Mire errat Ferratius Epist. I, 5. p. 21. monens: „Ut enim Liciniae legis de sodaliciis acerbitatem amplificet, per quam accussator tribus edebat, ex quibus praetor iudices sortiretur in reum.“

posse lege Licinia Plancium, quando sint aliae tribus editae, nec illae potissumum, quae sumpsisse pecuniam dicerentur, et quas ideo uel maxume senatus edi uoluisset, ut et iudicarent et testimonium uel contra reum uel pro reo ex ipsa ueritate perhiberent, qui sine dubio, quid esset aput tribulis suos gestum, optume scirent.

Itaque sponte iam concidunt, quae Manutius et Garatonius, decepti uarietate scripturae, quae C. XVI. §. 38. in uerbis *nam Maeciam,* pro quibus uitiose in libris malae notae *nam tertiam* legitur, de tribus tribubus ab accussatore editis commenti sunt. Qua de caussa adnotationes eorum in imum marginem hic reicere satis putaui *).

Ceterum erunt fortasse, qui hoc praeterea scriptum in lege Licinia fuisse putent, eas tantum ab accussatore tribus debere edi, quas is a reo corruptas criminaretur, cum id frequenter Cicero Laterensi exprobret, quod, cum non ediderit quas largitione corruptas criminatus esset, contra legis sententiam fecerit. Adferent illi ad stabiliendam sententiam suam hos locos:

C. XVI. §. 39. *Dubitatis igitur, iudices, quin uos M. Laterensis suo iudicio, non ad sententiam legis, set ad suam spem aliquam de ciuitate delegerit?*

C. XVII. §. 42. *Neque ego nunc legis iniquitatem queror, set factum tuum a sententia legis doceo discrepare; et illut acerbum iudicium si, quemadmodum senatus censuit populusque*

---

*) Manutius: „indicat hic locus, ubi tris tribus accussator ederet, tertiam a reo reici potuisse." Similiter Garatonius Cur. Sec. p. 28—30. „Bau. *nam etiam* cum aliis mendose, tamen ex uera lectione *Maeciam*, quam Erf. conseruauit, cui quidem propius accedunt Oxon. quinque. Tres enim habent *Metiam,* unus *mociam* et alter *ui eciam.* Atque illut *ui* ex *M* seu *m* profluxit, ex quo alii numeralem notam III. effecerunt, quae multis fraudi fuit; inprimis ipsi Manutio, qui cum *tertiam* inuenisset, de Crustumina intellexit, quae tertio nominatur loco; Maecia quarto nunc additast. Quamquam haec cum sequentibus uidentur pugnare. Quodsi duae tantum tribus ad iudicandum erant edendae, ut suspicari licet, consulto Manutius lectionem illam suam delegerit, eaque uerior existumanda. Quid est enim, quod in duabus tantum omnis haec disputatio uersatur? hic autem locus non anceps est? permutationes non licet has in utramuis partem trahere? Mihi tamen omnia consideranti neque dubitatio penitus eripitur, neque codicis Erf. auctoritas, quam praecipuam duco, et aliorum mendis augeri probabilius puto quam minui. Neque uero, quod hic Uoltinia tantum ac Terentina profertur, necessario consequitur, duas alias tribus edi non potuisse, ut una reiecta tres denique iudicarent. Set ne alia maior et apertissuma exoriatur repugnantia, statuendum omninost, accussatorem primo tribuum, quas uellet, nomina lege Licinia edidisse, quarum reicere unam reo licuerit; ex reliquis deinde illum iudices delegisse, quorum reici nemo posset. Postquam igitur, siue Crustuminam malis siue Maeciam Plancius reiecisset, ex aliis tribubus iudices habuit repentinos. At hoc apertum est; illut obscurum, quomodo Laterensis certam tribum, quae a Plancio reiceretur, designare potuerit. Eratne ipse in ea tribu? an homines Plancio maxume inimici? Haec certe reiectio reum haut mediocriter subleuabat. Tamen non est eo contentus orator, et tribus reo deuinctas necessitudine omni flagitat, legemque ipsam Liciniam, etsi uideri non uolt, auctoritate senatus expromenda tacite reprehendit, quae ad uoluntatem summi consili perscripta non esset, accussatorem uolt senatoris in iudicio personam sumere. Set lex aequa erat; ambitum, pestem rei p. taeterrumam, tot leges coercere non poterant; honesto etiam sodaliciorum inuento nomine tegebatur; remedio erat opus ualido et salutari; neque tamen ulla fuit umquam tanta legum acerbitas, quae pestem illam extingueret. Plebs etenim largitione corrumpebatur, neque in corruptos poena erat, set in corruptores; in iis autem ordinibus, qui tum iudicabant, multi erant, qui magistratus ambitu consequi uellent. In hac denique sodaliciorum caussa cum crimen esset occultius, ad commune malum id accedebat, quod, si tribus edebantur reo coniunctae maxume, indulgentiores propter necessitudinem futuri iudices uidebantur. Lex itaque accussatorum diligentiam seueritate adiuuandam censuit; nos oratoriam illam Hortensi disputationem acutam et speciosam, set accussatori haut satis utilem existumamus; quam quidem Cicero astute in rem suam conuertit, quod accussator dabat, arripiens. Nam ille de Terentina et Uoltinia, quas non ediderat, criminabatur; suspectam scilicet earum tribuum plebem habebat, caute iudices repudiauerat. Hic auctoritatem senatus, cum legem non posset, opponit, quod eaedem Plancio totae essent deditae. Hoc est profecto ad innocentiam tuendam egregium; set crimini uindicando, quam ob rem lex erat lata, non esset. Ita summi oratoris artificium lateus eruitur, quo uiam sibi communit defensionis amplissumam."

iussit, ita fecisses, ut huic et suam et ab hoc obseruatas tribus ederes, non modo non quererer, set hunc iis iudicibus editis, qui testes idem esse possent, absolutum putarem.

Ibidem. *Cum enim has tribus edidisti, ignotis te iudicibus uti malle quam notis iudicauisti; fugisti sententiam legis.*

C. XVIII. §. 45. *tum mirabor, te iis armis uti, quae tibi lex dabat, noluisse.*

Ex his praecipue is locus, qui §. 42. extat, maxumeque uerba, *si, quemadmodum senatus censuit populusque iussit*, paene flagitare uidebuntur, ut in ipsa lege perscriptum sancitumque statuamus fuisse, ut ne aliae, quam quae a reo corruptae arguerentur, tribus ab accussatore ederentur. Nihilominus quicquam ego ea de re in lege Licinia fuisse scriptum nego, Ciceronemque uerbis, *si, quemadmodum* etc., more oratorio dictis nihil aliut quam *secundum legis sententiam* uoluisse significare arbitror. Nam non fuisse scriptum illut in lege, certo inde intellegitur, quod in reliquis locis omnibus, ubi de illa iudicum editione sermost, ita Cicero loquitur, ut Laterensem numquam auctoritatem senatus, set consilium uiolasse, neque contra legem, set tantum contra legis sententiam fecisse dicat. Pertinent huc etiam hi loci:

C. XVI. §. 39. *Quid enim potes dicere, cur ista editio non summam habeat acerbitatem remota ratione illa, quam in decernendo secuti sumus?*

C. XVIII. §. 44. *Neque ego nunc consilium reprehendo tuum, quod eas tribus, quibus hic maxume notus, non edideris, set a te doceo consilium non seruatum senatus.*

Atqui si disertis uerbis illut in lege Licinia scriptum fuisset, neque Laterensis tribus, quas edidit, edere potuisset, et Cicero, si edidisset, neglectam auctoritatem senatus ac uiolatam esse legem clamasset. Neque uero obscurumst, qua ratione Cicero Laterensem in delegendis iudicibus fugisse sententiam legis dicere potuerit. Fuisse enim hanc legis sententiam, ut eae tribus, quae corruptae a reo arguerentur, ab accussatore ederentur, inde conlegit Cicero, quod in solo sodaliciorum crimine tribuario ab accussatore edi tribus licuit. Itaque ille sic ratiocinatus est: Si in hac sola re tribuaria (cfr. §. 36.) tribus edi licet ab accussatore, non potest eius rei alia caussa esse, quam haec, quod in sodaliciorum crimine tribuario tribus optume iudicare possunt. Possunt autem propterea, quod sciunt, quid ab eo, qui accussatur, in comitiis conmissum sit. Certissuma autem in illius delicto (cfr. §. 46.) scientia eorum debet esse, qui earum ipsarum tribuum sunt, quas reus adhibita sodalium opera tulisse arguitur. Itaque hoc consilio necessest lex lata sit, ut idem testes et iudices sint (cfr. §. 37.). Nam id si non est, intellegi non potest, cur non in ceteras caussas istiusmodi iudicum editio translata sit (cfr. §. 36.).

Neque negari potest, acerbissumum hoc genus iudici futurum fuisse remota ratione illa, quam senatum in decernendo secutum Cicero scribit. Ita enim fieri potuit, ut, quos maxume reo infensos sciret, iudices accussator deligeret, ita ut uerendum esset, ne sola malignitate ducti reum condemnarent. Atque haec sane uidetur caussa fuisse, ob quam olim Ser. Sulpicio, cum iudices editicios esse uellet, repugnatumst. Scribit enim Cicero pro Mur. C. XXIII. §. 47.: *Idem editicios iudices esse uoluisti, ut odia occulta ciuium, quae tacitis nunc discordiis continentur, in fortunas optumi cuiusque erumperent.* Cum quibus conparanda sunt, quae idem in or. Planc. §. 40. questus est.

Itaque Laterensis etsi senatus consilium non seruauit, cum alias, quam quas corruptas criminabatur tribus edidit, tamen contra legis uerba fecisse non potest dici. Prudenter autem egisse eum, qui quas tribus, cum essent a Plancio largitione deuinctae, beneuolos fore iudices praeuiderat, non ediderit, neque ipsum Ciceronem fugit (§. 44.) et ab interprete Ambrosiano recte est admonitum.

§. 4.

De poena,
Quae aduersus sodalicia lege Licinia constituta fuerit.

Quae poena lege Licinia aduersus eos constituta fuerit, qui sodaliciorum damnati erant, ipsa oratio Planciana docet, in qua C. III. §. 8. scriptum: *tum enim magistratum non gerebat is, qui ceperat, si*

patres auctores non erant facti; nunc postulatur a uobis (iudicibus), *ut eius exilio, qui creatus sit, iudicium populi Romani reprehendatis.* Illut incertum, quot annorum exilium fuerit. Atque cum compertum habeamus, lege Tullia, qui ambitus damnati essent, exilio decennali multatos esse, de qua re uide quae in Comm. ad C. XXXIV. §. 83. adnotata sunt, erunt fortasse, qui atrociorem debere poenam aduersus eos, qui sodaliciorum conuicti essent, decretam esse statui. Uerum quamquam maioris facinoris reus putabatur, qui de sodaliciis quam qui de ambitu accussabatur, tamen ego non dubito, quin atrocior poena, quam profecto sodaliciorum rei merebant, in acerbiore iudicio, quod in eos exercebatur, posita fuerit. Acerbius autem hoc iudicium erat propterea, quod a iudicibus, quos solus accussator ex tribus tribubus delegerat, exercebatur, cum de ambitu reiectio fieri iudicum alternorum soleret, ideoque ambitus rei multo facilius quam qui de sodaliciis postulati erant defendi et absolui possent. Cfr. or. Planc. C. XV. §. 36. ibique interpres Ambrosianus.

CAP. IV.

DE ROMANORUM COMITIIS AEDILIUM CURULIUM.

Cum aliquot orationis Plancianae locos esse uidissem, quorum qui sensus esset, nisi quis comitiorum rationem, quae Ciceronis temporibus aedilibus curulibus creandis habita essent, perspectam haberet, uix posset intellegi; eo minus dubitaui singulari dissertatione, quam Prolegomenis insererem, totam illam rem tractare, quo magis, qui nostra aetate de illa antiquitatum Romanarum parte scripserunt, ad falsas mihi uidentur opiniones lapsi esse. Neque enim qui nouissume de Romanorum comitiis uernacula lingua exposuit, Christ. Ferd. Schulzius, neque qui anno superiore demum de Romanorum aedilibus quattuor conscripsit libros, Frid. Guilielmus Schubertus, in hac re exponenda priorum hominum doctorum errores correxerunt, set, uerum si fateri uolumus, a uera, quae a Nicolao Gruchio aliisque, qui eum secuti erant, iam monstrata erat, uia nescio quomodo uehementer aberrarunt. Neque tamen dissimulandumst, quosdam recentiorum hominum doctorum errores refutatos recte ab Orellio esse, qui singulari excursu, quem editioni suae orationis Plancianae addidit, illut probauit, quod uere iam Gruchius aliique statuerant, tributis comitiis aedilis curulis creatos esse. Uerum cum non haec solum res controuersa et plena dissensionis inter homines doctos esset, quae comitia aedilibus curulibus creandis habita essent, set illut quoque incertum, a quo magistratu, quo tempore, et quo loco essent habita, denique num isdem comitiis aediles curules et aediles plebeii creati essent, earumque rerum omnium scientia cum per se utilis tum ad intellegendam orationem Plancianam paene necessaria uideretur: de iis ita hic disceptare decreui, ut quae recte essent ab Orellio dicta, repeterem dissertationique meae insererem, quae secus, corrigere studerem iisque adderem, quae prorsus a uiro doctissumo silentio transmissa essent. Attamen ne quis omissa a me queratur, quae ad hanc, quam institui, quaestionem pertineant, monendum deuuost, id tantum mihi propositum fuisse, ut quae comitiorum, aedilibus curulibus creandis habitorum, ratio saeculo septumo post u. c. et ineunte octauo fuerit, quam possem diligentissume exponerem.

§. 1.

Quae comitia aedilibus curulibus creandis habita sint.

Quamquam nullus ueterum scriptorum, quod sciam, diserte tradidit, quibus comitiis, centuriatis an tributis, aediles curules creari sint soliti, tamen certo ex eorundem scriptis doceri potest, tributa comitia creandis aedilibus curulibus habita esse.

Ac primum quidem hoc eo mihi ueteres scriptores manifesto uidentur ostendere, quod, quotienscumque de comitiis, quibus aediles curules creati, locuntur, numquam centuriarum, set semper tribuum mentionem faciunt. Quod argumentum etsi praeuideo fore qui leue dicant propterea, quod in comitiis etiam centuriatis nonnumquam tribuum mentio fiat, ueluti a Cicerone in Rullum II, 2, 4. *Itaque me non extrema tribus suffragiorum, set primi illi uestri concursus, neque singulae uoces praeconum, set una uoce uniuersus populus R. consulem declarauit.* ad quem locum uideatur Garatonius: tamen primum tenendumst, ita numquam a tribubus factos consules praetoresue dici, quemadmodum sollemniter aediles curules facti dicantur. Deinde uero mirum profecto foret, qui factum esset, ut, si comitiis centuriatis aediles curules creati essent, omnes tamen scriptores ueteres in eis semper tributim populum tulisse suffragia significarent, cum in comitiis, quae scimus centuriata fuisse, sollemniter centuriis renuntiatos magistratus narrent. Cfr. Cicero pro Planc. C. XX. §. 49. *Uocatae tribus; latum suffragium; diribitae tabellae; longe plurumum ualuit Plancius.* Ibidem C. XXII. §. 53. *An te illa argumenta duxerunt? dubitatis, inquit, quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius? An una fieri potuerunt, si una tribus non tulissent?* Ibidem §. 54. *Et ais prioribus comitiis Aniensem a Plotio Pedio, Terentinam a Plancio tibi esse concessam; nunc ab utroque eas auolsas, ne in angustum uenirent. Quam conuenit, nondum cognita populi uoluntate hos, quos iam tum coniunctos fuisse dicis, iacturam suarum tribuum, quo uos adiuuaremini, fecisse.* Uarro de R. R. III, 17. (totum locum infra adponam.) *Interea redit ad nos Pauo, Et, si uoltis, inquit, anchoras tollere, latis tabulis sortitio fit tribuum, ac coepti sunt a praecone renuntiari, quem quaeque tribus fecerint aedilem.* Cum quo loco, ut uideas non posse hic nisi de comitiis tributis cogitari, conpara Ciceronis uerba in oratione Pompeiana C. I. §. 2. scripta: *Nam cum propter dilationem comitiorum ter praetor primus c e n t u r i i s c u n c t i s r e n u n t i a t u s s u m.* Porro uideatur Liuius XXV, 2. *Aedilis curulis fuit eo anno cum M. Cornelio Cethego P. Cornelius Scipio, cui post Africano fuit cognomen. Huic petenti aedilitatem cum obsisterent tribuni plebis, negantes rationem eius habendam esse, quod nondum ad petendum legituma aetas esset: si me, inquit, omnes Quirites aedilem facere uolunt, satis annorum habeo. Tanto inde fauore ad suffragium ferendum i n t r i b u s d i s c u r s u m e s t, ut tribuni repente incoepto destiterint.* Idem IX, 46. *Eodem anno Cn. Flauius Cn. filius scriba, patre libertino, humili fortuna ortus, ceterum callidus uir et facundus, aedilis curulis fuit. Inuenio in quibusdam annalibus, cum appareret aedilibus, fierique se p r o t r i b u aedilem uideret* etc.. — *Ceterum Flauium dixerat aedilem f o r e n s i s f a c t i o, Ap. Claudi censura uiris nacta, qui senatum primus libertinorum filiis lectis inquinauerat. Et postquam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in curia adeptus erat quas petiuerat opes urbanas: h u m i l i b u s p e r o m n i s t r i b u s d i u i s i s forum et campum corrupit* *).

„Ex quo loco, Gruchi uerba sunt de Comitiis Rom. L. II. c. 2. p. 640. Thes. Graeu., demonstrari potest, non fuisse centuriata comitia, in quibus Cn. Flauius aedilis curulis est factus. Neque enim potuit forensis factio in comitiis centuriatis praeualere, set, ut idem Liuius ait, *uis suffragiorum penes primores erat.* Ut omittam, illam diuisionem humilium per omnis tribus nihil aut perparum potuisse, nisi tributim suffragia ferret populus. Nam si humiles erant, qui censu minore erant, non poterant ad suffragium uocari humiles isti, nisi in postremis classibus: in quibus si priores consensissent, nulla uis suffragiorum esse poterat.“

Porro Ciceronis uerba, quae modo adtuli, *Uocatae tribus; latum suffragium; diribitae tabellae; longe plurumum ualuit Plancius*, non posse nisi de comitiis tributis dicta accipi, intellegat necessest, qui eundem oratorem Philipp. II, 33. consulis creationem exponentem ideoque de comitiis centuriatis loquentem ita audierit:

Ecce Dolabellae comitiorum dies; sortitio praerogatiuae: quiescit: renuntiatur: tacet: prima clas-

---

*) Eandem rem A. Gellius N. A. VI, 9. narrauit, cuius uerba infra adponemus.

sis uocatur; renuntiatur; deinde, ut adsolet, suffragia; tum secunda classis uocatur; quae omnia citius sunt facta quam dixi.

Quis igitur, qui duos illos locos conpararit, punctum temporis dubitabit, quin aliter in Planciana Cicero, si comitiis centuriatis creatum Plancium noluisset significare, loqui debuerit?

Porro in hac ipsa oratione Planciana ea dicit Cicero de comitiis aediliciis, quibus Plancius factus erat, quae nullo modo in comitia centuriata cadunt. Appellat enim *leuiora* C. III. §. 7., uolgumque in eis praeualere ostendit §. 9. dicens: *non est enim consilium in uolgo, non ratio, non discrimen, non diligentia;* et §. 10. *in quo primum illut debes putare, comitiis, praesertim aediliciis, studium esse populi, non iudicium.* Quae non potuisse de comitiis centuriatis dici, ex Cic. de Legg. III, 19. patet, ubi scriptum: *descriptus populus censu, ordinibus, aetatibus, plus adhibet ad suffragium consili, quam fuse in tribus conuocatus.*

Denique, quod maxumumst, aperte Cicero in hac oratione Planciana comitia centuriata iis opponit, in quibus Plancius factus erat, id est tributis C. XX. §. 49.:

Ain tandem? una centuria praerogatiua tantum habet auctoritatis, ut nemo umquam prior eam tulerit, quin renuntiatus sit aut iis ipsis comitiis consul aut certe in illum annum: aedilem tu Plancium factum miraris, in quo non exigua pars populi, set uniuersus populus uoluntatem suam declararit, cuius in honore non unius tribus pars, set comitia tota comitiis fuerint praerogatiua?

Cuius loci sensum in commentario enucleauimus.

Alterum argumentum depromo cum Nic. Gruchio ex Cic. ad Att. IV, 3.. „Ibi enim, Gruchi uerba sunt de Com. Rom. II, 2. p. 640., de comitiis loquens, quibus aedilis curulis fieri uoluit Clodius, dicit Q. Metellum Nepotem consulem habiturum fuisse comitia aedilium in campo Martio, nisi obnuntiatione Milonis inpeditus esset. Cui obnuntiationi ut occurreret, dixit se postero die in comitio habiturum. Unde conligo, non fuisse centuriata aedilium comitia. Nam centuriata intra pomoerium haberi non potuisse, supra ex Gellio L. XV. c. 27. docuimus. At illa aedilium comitia habiturum se in comitio dicebat Metellus, ne semper ei obnuntiaretur, priusquam in campum uenisset. Si ergo licebat Metello intra urbem comitia aedilicia habere, relinquitur, non fuisse centuriata.“

Tertium argumentum cum Orellio hoc potest adferri, quod Dionysius Hal. IX, 41. scribit: *τὰ τῶν δημάρχων καὶ ἀγορανόμων ἀρχαιρέσια μέχρι τοῦ καθ᾽ ἡμᾶς χρόνου δίχα οἰωνῶν καὶ τῆς ἄλλης ὀττείας ἁπάσης αἱ φυλετικαὶ ψηφοφοροῦσιν ἐκκλησίαι.* Qui scriptor, Orellius addit, si tempore suo aediles curules comitiis centuriatis creati fuissent, uix eius rei mentionem hoc loco praetermittere poterat.

Quartum denique argumentum hoc est, ab eodem Orellio iam adlatum, quod aediles curules secundum disertum Messallae testimonium, quod A. Gellius XIII, 15. adtulit, magistratuum maiorum, qui soli comitiis centuriatis creabantur, numero eximuntur. Scribit enim Gellius l. l.: *Censores aeque non eodem rogantur auspicio atque consules et praetores; reliquorum magistratuum minora sunt auspicia: ideo illi minores, hi maiores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus tributis comitiis magistratus, set iustius curiata datur lege; maiores centuriatis comitiis fiunt.*

His expositis eo minus opus uidetur, ea refutare, quae Schulzius in libro, quem de Comitiis Romanorum uernacula lingua scripsit, p. 317 sqq. protulit contra Nicolaum Gruchium disputans, qui l. l. p. 638 sqq. aedilis curulis comitiis tributis creatos esse iure contendit: quo magis haec cum iis pugnant, quae idem uir doctissumus p. 341 — 348. et p. 363. recte monuit. Maxume autem ex iis, quae p. 345 sq. scripta omnibusque nota sunt, apparet, nihil in eo esse offensionis, quod aedilitas curulis non secus atque quaestura, quamquam patriciis etiam mandabatur, tamen comitiis tributis deferebatur. Ceterum insignis error ille, in quem cum aliis Schubertus de Aed. Rom. p. 268. not. incidit, qui Plancium a Cicerone dici comitiis consularibus factum esse aedilem ait, inde ortus est, quod ante Garatonium C. XX. §. 49. uerba, *una centuria praerogatiua — fuerint praerogatiua* mirum quantum corrupta in editionibus omnibus scripta extabant. Ea nos nunc optumorum codicum auctoritate persanauimus.

§. 2.

Num isdem comitiis aediles curules et aediles pl. creati sint.

Eodem die aedilis curulis et aedilis plebeios factos esse, diserto Plutarchi testimonio confirmatur, qui in uita Mari c. 5. scribit: *δύο γάρ εἰσι τάξεις ἀγορανομιῶν, ἡ μὲν ἀπὸ τῶν δίφρων τῶν ἀγκυλοπόδων, ἐφ᾽ ὧν καθεζόμενοι χρηματίζουσιν, ἔχουσα τοὔνομα τῆς ἀρχῆς· τὴν δ᾽ ὑποδεεστέραν δημοτικὴν καλοῦσιν. Ὅταν δὲ τοὺς ἐντιμοτέρους ἕλωνται, περὶ τῶν ἑτέρων πάλιν τὴν ψῆφον λαμβάνουσιν. Ὡς οὖν ὁ Μάριος φανερὸς ἦν λειπόμενος ἐν ἐκείνῃ, ταχὺ μεταστὰς ᾔτει τὴν ἑτέραν. δόξας δὲ θρασὺς εἶναι καὶ αὐθάδης ἀπέτυχε· καὶ δυσὶν ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ περιπεσὼν ἀποτεύξεσιν, ὃ μηδεὶς ἔπαθεν ἄλλος, οὐδὲ μικρὸν ὑφήκατο τοῦ φρονήματος.*

Idem ex Tabula Heracleensi ed. Marezoll. p. 23. lin. 24 sqq., quem locum Orellius primus adtulit, iure conligi potest: *Aed. Cur. Aed. Pl. quei. nunc. sunt. queiquomque. post. h. l. factei. createi. erunt. eumue. mag. inierint. iei. in. diebus. V. proxumis. quibus. eo. mag. designatei. erunt. eumue. mag. inierint. inter. se. paranto. aut. sortiunto. qua. in. partei. Urbis. quisque. eorum. uias. publicas. in. Urbem. Roma. propiusue. U. R. P. (M.) reficiundas. sternendas. curet. eiusque. rei. procurationem. habiat.*

Neutro tamen loco id probari animaduertendumst, quod Orellius suspicatus et ex oratione Planciana sibi nisus est concludere posse, omnis quattuor aedilis, et curulis et plebeios, isdem comitiis una fieri solitos esse. Quae suspicio quo maiores procreare errores potest, eo magis refellenda mihi uidetur. Monuit autem Orellius in excursu illo, quo aedilis curulis comitiis tributis esse factos probare studuit, p. 257. haec:

„Ex or. Planc. c. 7. §. 17. uerbis *Tu neque Q. Pedio* etc. patet, quattuor aedilis omnis isdem creatos esse comitiis; neque enim si aliter fuisset, Q. Pedius, qui postea aedilis plebeius fuit, depellere poterat Laterensem, Plancii maxume, curulis deinde aedilis, conpetitorem; sin autem isdem, ut hinc apparet, Plancius, Plotius, Pedius, Marcellus, quem tamen Cicero non nominat, aediles facti sunt, Laterensis uero repulsam tulit, tributa ea fuisse negari iam nequit.“

In his cum illut sumpserit Orellius, quod minume probauit Garatonius, a Cicerone C. VII. §. 17. Q. Pedium una cum Plancio et Plotio aedilibus curulibus aedilem plebeium factum esse dici, ante omnia id ipsum num recte sumpserit, quaerendum est. Duobus tantum in locis orationis Plancianae de Q. Pedio Cicero loquitur; in utroque explicando cum a se dissentiant editores, non alienum erit, eorum adnotationes huc adponere adpositasque examinare. Tamen prius locos ipsos adscripsi, quorum alter C. VII. §. 17. legitur et ita se habet:

Hoc tamen miror, cur tu huic potissumum irascare, qui longissume a te afuit. Equidem si quando, ut fit, iactor in turba, non illum accusso, qui est in summa sacra uia, cum ego ad Fabium fornicem inpellor, set eum, qui in me ipsum incurrit atque incidit: tu neque Quincto Pedio, forti uiro, suscenses, neque huic Aulo Plotio, ornatissumo homini, familiari meo; et ab eo, qui hos dimouit, potius quam ab iis, qui in te ipsum incubuerunt, te depulsum putas.

Alter C. XXII. §. 54. legitur:

Et ais prioribus comitiis Aniensem a Plotio Pedio, Terentinam a Plancio tibi esse concessam; nunc ab utroque eas auolsas, ne in angustum uenirent. Quam conuenit, nondum cognita populi uoluntate hos, quos iam tum coniunctos fuisse dicis, iacturam suarum tribuum, quo uos adiuuaremini, fecisse, eosdem, cum iam essent experti, quid ualerent, restrictos et tenacis fuisse?

Ad locum priorem Garatonius in ed. Neap. p. 374. haec adnotauit:

„Plancius potuit quidem Pedium aedilitate deicere, set non certe Plotium, quicum fuit ipse designatus aedilis, ut ex c. 22. deduxit uere Manutius; ubi etiam obiectam a Laterense coitionem legimus Plancium inter et Plotium. Itaque *hos dimouit* non ualet hic deiecit, set inpulit, ut Laterensem deicerent, cum illum deici facilius posse intellegerent. Ipse autem Plancius eo fuisse animo in tris illos conpetitores uidetur, ut, quicumque duos reliquos deiecisset, contentus esset; quod cum Plotium facere

intellexisset, ei sese adiunxit. Si Laterensis Pedium ac Plotium depulisset, ipse cum Plancio designatus fuisset.' Hinc c. 22. *Set tamen tu A. Plotium, uirum ornatissumum, in idem crimen uocando indicas, eum te arripuisse, a quo non sis rogatus.* quasi Plotius pactionem cum Laterense fecerit, ne ab illo accussaretur. His obseruationibus hunc locum arbitror explicari."

Huic Garatoni adnotationi continuo ea addo, quae idem uir doctissumus ad C. XXII. §. 54. adnotauit, cum non tam ad illum, quam ad hunc locum explanandum faciant. Scripsit ibi p. 413 sq.:

„Hunc Q. Pedium audacter Pighius aedilem plebis constituit anno DCXCIX., superiore nempe designatum, cum eum uideat c. 7. adiungi Plotio et Plancio, et simul iis comitiis Laterensi uideat incommodasse. Set ea res in pluris difficultates incurrit. Nos cum locum aliter explicasse contenti nunc a Pighio quaerimus, utrum Laterensem aedilitatem utramque petisse arbitretur, an non? Certe plebeiam non petisse, silentium Tulli suadet; si ergo non petiuit, quid eius intererat, Pedium illam obtinuisse? quomodo ob eam rem potuit Laterensi obici Pedius, quasi ei fecisset iniuriam? Si uero petiuit, alius quoque nominari debuit, quem cum Pedio designatum oportuit, a quo non fuisset minus deiectus Laterensis. Neque uero simul uno sortitu aedilitates istae a populo mandabantur, neque unam repulsam ferebat, qui utraque deiciebatur. Quod licet cognoscere ex insigni loco Plutarchi in Mario c. 5. [quem supra adtulimus]."

Orellius ad C. VII. §. 17. p. 46 sq. nimis uerbose haec adnotauit:

„Interpretes hic, unum si excipias Wolfium, parum respexerunt imaginem, oratoris animo semper obuersantem, multitudinis sese inuicem inpellentis ac temere praecipitantis, cui comitiorum tumultum trepidationemque scite conparat. In huiusmodi igitur concursantium turba *longissume afuit* a Laterense Plancius, ita ut hic istum quidem aduersarium nec calcaret, nec statu demoueret; reliquorum utique conpetitorum ea fuit culpa, si tamen culpa erat dicenda. Hoc est, similitudine iam ad rem ipsam reuocata: tot te, Laterensis, Plancius suffragiis superauit (c. 20. *longe plurumum ualuit Plancius*), ut nullus plane tibi locus sit illi suscensendi; iis potius, si placet, diem dic, qui propiores tibi quam Plancius, i. e. paucioribus quam ille suffragiis a te distantes, inpressione ueluti facta te demouerunt, siue ab aedilitate excluserunt. Hinc ultro intellegitur, cur mox *dimouit* cum Garatonio praetulerim, quamquam ne is quidem uim eius uerbi recte ceperit, interpretatus, *inpulit*, *ut Laterensem deicerent*, siquidem, ut uidetur, credidit, Plancium cum Pedio ac Plotio pactione inita effecisse, ut iunctis eorum opibus a dignitate remoueretur Laterensis. Omnem uero errorem inde natum censeo, quod etiam Garatonius opinatus est, Pedium tunc aedilem factum non esse; set recte Pighius Annal. T. III. p. 396. anni 699. (id est 700. Almelou.) aedilis curulis statuit Cn. Plancium, A. Plotium, aedilis plebis Q. Pedium (C. Claudium M. F. M. N. Marcellum). Plancius igitur, eadem illa imagine continuata, dimouit Pedium Plotiumque, quatenus utrumque in trepidatione illa diuersam in partem inpulit, transuersos egit, ita ut ipse eos anteuerteret, i. e. gratia, qua aput populum ualebat, efficeret, ut illi post ipsum demum, paucioribus utique suffragiis aediles renuntiarentur. *Demouisset* ambos una cum Laterense uere *demoto*, si neuter honorem adeptus esset. Hoc inter utrumque uerbum discrimen accurate tradiderunt Forcellinus in *demoueo* et Ernesti Synonymik 805., cum u. *demouere* cum multis aliis, quasi Ciceronianum haut esset, ignorent Ernestius ac Schutzius in Indd.. Quid uero intersit inter utrumque uerbum, perspicere licet etiam e Sestiana c. 47. extremo, ubi Cicero pro sua urbanitate satis scite dixit: *quem neque periculi tempestas — potuit umquam dimouere*, i. e. transuersum agere. Ita codd. et edd.. Nunc tamen editur *demouere*, i. e. facere, ut plane aberraret, quod sane rusticius est."

Idem ad C. XXII. §. 54. contra Garatonium haec scripsit:

„Recte, arbitror, Pighius Pedium aedilem anni 700. constituit: nimis enim manifesto uerba illa c. 7. docent, hunc quoque incubuisse in Laterensem, id est, eum de aedilitate depulisse. Set ut soluamus difficultates a Garatonio motas statuere licebit, Ciceronis temporibus cum promiscua iam esset, excepto nomine ac dignitatis aliqua specie, utraque aedilitas (u. Tabul. Heracleens.) eum, qui prima suffragiorum latione aedilis curulis factus non esset, ut mox eodem die plebeius saltem fieret, omnem lapidem mouere solitum fuisse. Idem fere fecerat Marius, cuius exemplum meliore euentu pluris postea secutos

esse haut inprobabilest. Caussa uero, cur quartum aedilem nusquam memoret Cicero, uidelicet C. Claudium M. F. M. N. Marcellum, consulem anni 705. cum L. Cornelio Lentulo, nunc quidem nos fugit, neque exputari potest, praesertim cum amplissumis laudibus eum cumulet, ut sui amantissumum in omni uarietate rerum suarum, ad Diu. XV, 7.. Quamquam, ut uerum fatear, aedilitas huius anni, a Pighio huic Marcello tributa, omnino incertast, et ex lege annali tantummodo, ut saepe fecit uir ille doctissumus, ubi alia monumenta deerant, repetita."

Denique idem editor ad eiusdem §. uerba, *neque enim umquam maiores nostri sortitionem constituissent aediliciam* etc., haec adnotauit, quae non secus atque ea, quae repetiuimus, huc pertinent:

„Uidendum tamen adhuc, an Ciceronis temporibus cum comitiis tributis eodem die omnes quattuor aediles crearentur, ac fortuito aliquando contingeret, ut post eum, qui tribus plerasque tulerat ideoque aedilis curulis factus erat, duo praeterea pares suffragiis essent, u. c. si Plancius tribus XV., Plotius X., Pedius item X. tulisset, uel IX. uterque, duas reliquas quartus aliquis, statim facta sit sortitio, uter istorum duorum aedilis curulis, uter plebeius renuntiaretur, ac tum demum de quarto aedili itidem plebeio suffragia lata sint. Diuersa utique fuit alia sortitio aedilicia post designationem uel iam initum ab iis honorem, de qua uide Tabulam Heracleensem."

Etsi certumst, Garatonium in explicandis uerbis §. 17. *qui hos dimouit* errasse, ab Orellio quoque non recte explanatis, omninoque, quae p. 374. ed. Neap. scripsit, non uera esse, tamen illut dubitari nequit, quin rectissume iis, quae p. 413 sq. ad C. XXII. §. 54. adnotauit, Pighium refutarit, eumque sine idonea ratione ex Ciceronis uerbis §. 17. conclusisse, Q. Pedium eo anno, quo Plancius et Plotius aediles curules fuerint, aedilem plebeium fuisse, docuerit. Uerum cum etiam post Garatonium Orellius Pighi sententiae subscripserit, necessest, Garatoni sententiam grauioribus etiam confirmemus argumentis.

Ac primum quidem uerbis, quae C. VII. §. 17. scripta sunt, *Hoc tamen miror, cur huic — te depulsum putas*, apertissumumst hoc uoluisse Ciceronem significare: Miror, cur ex iis, qui tecum aedilitatem curulem petiuerunt, Plancio potissumum irascare: non enim is dici potest fecisse, ut tu repulsam ferres, set conpetitores eius. Nam Plancius longe plurumis suffragiis (uid. C. XX. §. 49. *longe plurumum ualuit Plancius*) factus aedilis est; ex quo apparet, hoc certo aput se populum constitutum habuisse, Plancium facere aedilem. Duo reliqui conpetitores, A. Plotius et Q. Pedius (uid. §. 54.), cum tecum pauciora tulerint suffragia, non est dubium, quin incertus fuerit populus, cui trium uestrum aedilitatem deferret. Itaque tu non Plancio, uerum duobus illis conpetitoribus suscensere debes; qui cum longe pauciora quam Plancius, set plura quam tu suffragia tulerint, necessario ii censendi sunt effecisse, ut tu aedilitatem non consequereris.

Nihil aliut igitur ex hoc loco apparet, quam ex quattuor conpetitoribus, Plancio, Plotio, Pedio, et Laterense, longe plurumum ualuisse Plancium; post eum pluruma puncta Plotium, pauciora Pedium, paucissuma Laterensem tulisse. Nam quamquam non erat Pedius aedilis factus, tamen Laterensis ei dici iure poterat suscensere debere, si plura quam Laterensis suffragia nactus erat, etsi hoc ei nihil ad rem, quam uolebat, consequendam profuit. Ita enim quamquam sine ullo suo emolumento tamen aliquid ad Laterensem honore deiciendum contulerat. Huc accedit, quod, si Laterensis propterea diceretur debere Pedio suscensere, quod esset aedilis plebeius factus, necesse esset sumere, Laterensem ipsum aedilitate curuli deiectum, postmodo Mari exemplum secutum aedilitatem plebeiam petisse, set iterum repulsam tulisse. Atqui hoc duabus de caussis nullo pacto statui potest; primum propter Tulli ea de re silentium; deinde propterea, quod, si id factum esset, necessario secundus ille aedilis plebeius, qui cum Pedio factus esset, hic debebat conmemorari. Tum enim ei quoque a Laterense suscensendum esse Cicero dicere debebat.

Nullo igitur argumento Pighi nititur sententia, qui Q. Pedium aedilem plebeium an. 700. fuisse statuit.

Set refutanda iam altera illa Orelli suspicio, una quattuor aedilis creari solitos esse opinantis.

Repugnat ei Plutarchus, qui in uita Mari c. 5. scribit: *ὅταν δὲ τοὺς ἐντιμοτέρους ἕλωνται, περὶ τῶν ἑτέρων πάλιν τὴν ψῆφον λαμβάνουσιν.* Ex quibus uerbis manifesto intellegitur, primum aedilis curulis populum creasse, eisque creatis aedilium pl. faciundorum caussa in suffragium iuisse.

Repugnat Cicero in or. Planciana C. XXII. §. 53. scribens: *dubitatis, inquit, quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius? An una fieri potuerunt, si una tribus non tulissent?* Quae uerba nos cogunt statuere, duos tantum una aedilis creatos esse.

Repugnat idem, C. XXI. §. 51. C. Marium duabus aedilitatibus repulsum esse scribens; quod recte uidit Garatonius dici non potuisse, si una aedilitates istae a populo candidatis mandatae essent. Atque hoc ipsum confirmat Plutarchus, cum Marium aedilitate curuli repulsum statim aedilitatem pl. petisse refert.

Repugnat idem in orat. Pison. C. I. §. 2. scribens: *Me cum quaestorem in primis, aedilem priorem, praetorem primum cunctis suffragiis populus Romanus faciebat* etc.. Minime enim *priorem* se dicere poterat factum aedilem esse, si quattuor aediles una facti essent. Tum enim *primus* aut *in primis* debebat factus aedilis dici.

Ac prorsus quidem aduersatur M. Caelius, qui cum candidatus esset aedilitatis curulis, ad M. Tullium (ad Diu. VIII, 4.) sic scripsit: *Has ego tibi litteras eo maiore misi interuallo, quod comitiorum dilationes occupatiorem me habebant, et expectare in dies exitum cogebant, ut confectis omnibus te facerem certiorem. Ad Kal. Sext. usque expectaui. Praetoriis morae quaedam inciderunt; mea porro comitia quem euentum sint habitura, nescio; opinionem quidem, quod ad Hirrum attinet, incredibilem aedil. pl. comitiis nacta sunt.* Ex quo loco, ut nihil nunc dicam de repugnantia, quae inter eum et Plutarchi locum intercedit, hoc certe apparet, aedilis plebeios non esse una cum aedilibus curulibus creatos. Atque hoc ipsum ostendit etiam Dio Cassius L. XXXIX. c. 32. p. 516. ed. Sturz., quem locum uide sis §. 3. adlatum, et praeterea probatur eo, quod nonnumquam solos aedilis plebeios factos esse, caruisseque rem p. Romanam per unum plurisue annos aedilibus curulibus scimus. Cfr. Sueton. in uita C. Iuli Caes. c. 76.: *Tertium et quartum consulatum titulo tenus gessit, contentus dictaturae potestate, decretae cum consulatibus simul; atque utroque anno binos consules substituit sibi in ternos nouissimos mensis, ita ut medio tempore comitia nulla habuerit praeter tribunorum et aedilium plebis; praefectosque pro praetoribus constituerit, qui praesente se res urbanas administrarent.* Cfr. etiam Schubert. p. 185.. Neque huic rei aduersatur tabula Heracleensis; nam si non erant facti aediles curules, per se intellegitur, aedilis plebeios eorum munera suscipere debuisse. Quid, quod serioribus temporibus accidit, ut nullis omnino aedilibus creatis praetores et tribuni pl. illorum munia exequerentur. Cfr. Schubert. p. 209..

Nihilominus in consuetudine hoc Romanorum positum fuisse arbitror, ut uno eodemque die isdem comitiis aediles curules et aediles plebei crearentur, ita tamen, ut primum aedilium curulium, deinde aedilium plebeiorum creandorum caussa populus in suffragium mitteretur, et, si forte aedilium curulium creatio non rata erat aut alia de caussa fieri non potuit, tamen certo die aediles pl. fierent ideoque contra uolgarem consuetudinem ante aedilis curulis designarentur. Nam hanc ut comitiorum aediliciorum rationem fuisse statuamus, et Plutarchus in uita Mari c. 5. nos cogit, et M. Caeli epistola ad Ciceronem (Ep. ad Diu. VIII, 4.) scripta. Plutarchum enim manifestumst id agere, ut quae sollemnis Mari tempore comitiorum illorum ratio fuerit, diligenter referat; M. Caelius autem diserte comitia sua dilata fuisse monet.

§. 3.

A quo comitia aedilibus curulibus creandis habita sint.

Quotquot ueteres scriptores mentionem faciunt eorum, qui comitiis aediliciis praefuerint, ad unum omnes a consulibus ea habita esse tradunt.

Uarro de R. R. III, 2. *Comitiis aediliciis cum sole caldo ego et Q. Axius senator tribulis suffragium tulissemus, et candidato, cui studebamus, uellemus esse praesto, cum domum rediret: Axius mihi, dum diribentur, inquit, suffragia, uis potius uillae publicae utamur umbra —. Itaque imus; uenimus in uillam. Ibi Ap. Claudium augurem sedentem inuenimus in subselliis, ut* c o n s u l i, *si quid usus poposcisset, esset praesto.* — c. 5. *Cum haec loqueremur, clamor fit in campo. Nos athletae comitiorum una cum id fieri non miraremur propter studia suffragatorum, et tamen scire uellemus, quid esset, uenit ad nos Pantulaeius Parra. Narrat ad tabulam, cum diriberent, quendam deprehensum tesserulas coicientem in loculum; eum* a d c o n s u l e m *tractum a fautoribus conpetitorum. Pauo surgit, quod eius candidati custos dicebatur deprehensus.*

Cicero pro Planc. C. XX. §. 49. *Set cur ego sic ago? quasi non comitiis iam superioribus sit Plancius designatus aedilis; quae comitia primum habere coepit* c o n s u l *cum omnibus in rebus summa auctoritate, tum harum ipsarum legum ambitus auctor; deinde habere coepit subito praeter opinionem omnium, ut ne si cogitasset quidem quispiam largiri, daretur spatium conparandi.*

Cicero ad Att. IV, 3. de comitiis loquens, quibus P. Clodius sibi deferri aedilitatem curulem uolebat: *Metellus* (consul) *tamen postulat, ut sibi postero die in foro obnuntietur; nihil esse, quod in campum nocte ueniretur; se hora prima in comitio fore. Itaque ante diem XI. Kal. in comitium Milo de nocte uenit. Metellus cum prima luce furtim in campum itineribus prope deuiis currebat; adsequitur inter lucos hominem Milo; obnuntiat. Ille se recepit magno et turpi Q. Flacci conuicio.*

Dio Cassius L. XXXIX. c. 32. p. 516. ed. Sturz. de Pompeio et Crasso secundum consulibus exponens: *παραλαβόντες οὕτω τὴν ἡγεμονίαν, τὰς λοιπὰς ἀρχὰς τοῖς ἐπιτηδείως σφίσιν ἔχουσι δοθῆναι ἐποίησαν, τὸν Κάτωνα τὸν Μάρκον κωλύσαντες στρατηγὸν ἀποδειχθῆναι· ὑπώπτευόν τε γὰρ αὐτὸν οὐκ ἀνέξεσθαι τὰ γιγνόμενα, καὶ οὐκ ἠθέλησαν ἰσχὺν αὐτῷ ἔννομον πρὸς τὰς ἀντιλογίας προσθεῖναι. Καὶ ἡ μὲν τῶν στρατηγῶν κατάστασις (ὁ γὰρ Κάτων οὐδὲν βίαιον πρᾶξαι ἠξίωσεν) εἰρηναία ἐγένετο· περὶ δὲ τοὺς ἀγορανόμους τοὺς κουρουλίους σφαγαὶ συνέβησαν, ὥστε καὶ τὸν Πομπήϊον πολλοῦ αἵματος ἀναπλησθῆναι.* Idem memoriae prodidit Plutarchus in uita Pompei c. 53., Pompeium, cum comitiis aediliciis praeesset, sanguine respersum esse: *ἐν δ' οὖν ἀγορανομικοῖς ἀρχαιρεσίοις εἰς χεῖράς τινων ἐλθόντων, καὶ φονευθέντων περὶ αὐτὸν οὐκ ὀλίγων, ἀναπλησθεὶς αἵματος ἤλλαξε τὰ ἱμάτια.*

Neque dissentit ab his scriptoribus L. Piso, ex cuius annalibus A. Gellius N. A. VI, 9. locum illum, in quo de Cn. Flauio, aedilitatem curulem adepto, expositumst, nobis seruauit. Nam locum illum in editionibus omnibus corruptum nunc extare, certissumis conprobari argumentis potest. Scribit autem Gellius, quemadmodum editiones habent:

Quod res uidebatur memoratu digna, quam fecisse Cn. Flauium Annii filium aedilem curulem L. Piso in tertio annali scripsit, eaque res perquam pure et uenuste narratur a Pisone, locum istum totum huc ex Pisonis annali transposuimus. Cn., inquit, F l a u i u s, p a t r e l i b e r t i n o n a t u s, s c r i p t u m f a c i e b a t; i s q u e i n e o t e m p o r e a e d i l i c u r u l i a p p a r e b a t, q u o t e m p o r e a e d i l e s s u b r o g a n t u r; e u m q u e p r o t r i b u a e d i l e m c u r u l e m r e n u n t i a u e r u n t. *At* a e d i l i s, q u i c o m i t i a h a b e b a t, n e g a t a c c i p e r e, n e q u e s i b i p l a c e r e, q u i s c r i p t u m f a c e r e t, e u m a e d i l e m f i e r i.

Reliqua cum ad id, de quo agitur, non pertineant, legantur aput ipsum Gellium. Ex corrupta autem, quae in editionibus scriptura extat, *At aedilis,* post alios Schubertus p. 268. conlegit et posuit comitiis aediliciis aedilis curulis plebeiosue praefuisse. In qua sententia eo magis miror Schubertum uersari potuisse, cum iam Nic. Gruchius de Com. Rom. L. II. c. 3. p. 668. Thes. Graeu. Pisonis uerba deprauata ad nos peruenisse satis ualidis argumentis conprobarit. Nihilominus nos non alienum putamus, ne quisquam, qui in posterum Gellium edet, maculam istam relinquat, quae Pisonis manus fuerit, euidentissumis argumentis, partim iam a Gruchio adlatis, demonstrare. Ac primum quidem ne codicum quidem optumorum auctoritate scriptura, *At aedilis,* nititur; Scioppius enim in praestantissumis libris, quibus usus est, *at* particulam abesse monet. Quae quo minus intellegitur quomodo librari neglegentia

excidere potuerit, quoque magis ad sensum necessariast, eo curiosius uidendum erat, ne lateret in sequenti uoce, quam omnia ueterum scriptorum testimonia, quae de aedilium potestate nobis tradita sunt, corruptam esse clamant, et una cum alio uerbo librari errore in nomen *aedilis* coaluisset. Nihil autem facilius in *aedilis* depranari potuit quam *at ille*, uel, quomodo saepe antiquioribus temporibus scribi solebat (uide codicem, quo Ciceronis libri de re p. seruati sunt), *adille*, praesertim cum nomen *aedilis*, quod in antecedentibus et sequentibus saepius positum, primum omnium librario in mentem deberet uenire. Eodem fere modo in orat. Planc. C. XXIV. §. 59., cum in aliquot codicibus *quae scripsit grauis et ille ingeniosus poeta* scriptum esset, Oxoniensis codex C ex uerbis *et ille* fecit *aedilis*. Neque ego primus in hanc coniecturam incidi; uerum iam Scioppius pro *aedilis*, cum *at* particulam in codicibus suis abesse uidisset, *at ille* scribendum esse monuit. Itaque hoc solum restat, ut cur *aedilis* a L. Pisone dici non potuerit habuisse illa comitia, demonstremus.

Prima caussa eaque grauissuma haec est, quod ueterum scriptorum testimoniis conpertum habemus, aedilibus ius cum populo agendi non fuisse; ex quo non haberi ab iis comitia potuisse, manifesto apparet.

Cicero de Legg. III, 4. *Cum populo patribusque agendi ius esto consuli, praetori, magistro populi equitumque, eique, quem patres produnt consulum rogandorum ergo, tribunisque, quos sibi plebes rogassit, ius esto cum patribus agendi; idem ad plebem, quod oesus erit, ferunto.*

Eodemque modo in omnibus ueterum scriptorum locis, in quibus, qui cum populo agendi ius habebant, conmemorantur, ut in senatus consultis, numquam non aediles omittuntur. Liu. XXVII, 5.: *M. Lucretius tribunus pl. cum de ea re consuleret, ita decreuit senatus, ut consul prius, quam ab urbe discederet, populum rogaret, quem dictatorem dici placeret; eumque, quem populus iussisset, diceret dictatorem. Si consul noluisset, praetor populum rogaret; si ne is quidem uellet, tum tribuni ad plebem ferrent.* Uide etiam senatus consultum, quod M. Caelius cum Cicerone (Ep. ad. Diu. VIII, 8.) conmunicauit.

Porro non habuisse aedilis ius cum populo agendi, ex M. Uarronis libro uno et uicesimo rerum humanarum A. Gellius docuit, qui N. A. XIII, 13. scripsit:

Cum ex angulis secretisque librorum ac magistrorum in medium iam hominum et in lucem fori prodissem, quaesitum esse memini in plerisque Romae stationibus ius publice docentium aut respondentium, an quaestor populi R. ad praetorem in ius uocari posset. Id autem non ex otiosa quaestione agitabatur, set usus forte natae rei ita erat, ut uocandus esset in ius quaestor. Non pauci igitur existumabant, ius uocationis in eum praetori non esse, quoniam magistratus populi R. procul dubio esset, et neque uocari, neque, si uenire nollet, capi aut prendi, salua ipsius magistratus maiestate posset. Set ego, qui tum adsiduus in libris M. Uarronis fui, cum hoc quaeri dubitarique animaduertissem, protuli unum et uicesimum rerum humanarum, in quo ita scriptum fuit: Qui potestatem neque uocationis populi uiritim habent neque prensionis, eos magistratus a priuato in ius quoque uocari est potestas. M. Laeuinus aedilis curulis a priuato ad praetorem in ius est eductus. Nunc stipati seruis publicis non modo prendi non possunt, set etiam ultro submouent populum. Hoc Uarro in ea libri parte de aedilibus; supra autem in eodem libro quaestores neque uocationem habere neque prensionem dicit. Utraque igitur libri parte recitata in Uarronis omnes sententiam concesserunt; quaestorque in ius ad praetorem uocatus est.

Set quid opus est, id fuse conprobare, quod ii ipsi cognitum habent, qui aedilis potuisse comitiis aedilicii praeesse arbitrantur, non intellegentes, quod intellectu facillumumst, qui ius cum populo agendi non habuerint, eos magistratuum comitia habere non potuisse? Uide Schubert. p. 542 — 544..

Neque uero si aedilibus ius cum populo agendi fuisset, quod non fuit, comitia habere potuisse censendi sunt, siquidem certumst exploratumque, ex ordinariis magistratibus neminem nisi consules et tribunos pl. comitia habere solitos esse. Cfr. Schulzius de Com. Rom. p. 279. not..

Iam uero consules aedilibus curulibus creandis comitia habuisse, primum ueterum scriptorum testimoniis, quae adtulimus supra, patefactum est. Idem probatur eo, quod conpertum habemus, eosdem

comitiis quaestoriis praefuisse. Cfr. Nic. Gruchius de Com. Rom. L. II. c. 3. p. 667. Thes. Graev.. Iam cum quaestorum comitia, quorum minor etiam quam aedilium curulium dignitas erat, a consulibus haberentur, fieri nullo pacto potuit, quin iidem comitia aedilibus curulibus faciendis haberent. Tam autem ineptum neminem fore puto, qui tribunos pl. comitia aedilibus curulibus creandis potuisse habere opinetur; ipseque ineptus mihi uiderer, si, id cur non potuisset fieri, uerbo demonstrarem.

§. 4.

Quo loco comitia aedilicia habita sint.

Quamquam comitia tributa, quibus aedilis curulis creatos esse uidimus, intra et extra pomoerium haberi licuit, tamen recte Gruchius de Com. Rom. Lib. II. c. 5. p. 689. magistratuum comitia tributa omnino in campo Martio haberi esse solita monuit. Itaque comitia etiam aedilicia quotiens ueteres scriptores ostendunt quo in loco sint habita, campum Martium nominant. Cfr. Uarro de R. R. III, 2. 5., quem locum supra §. 3. ineunte adtuli, et Cic. pro Planc. C. VI. §. 16.: *cur tu id in iudicio exprimis, quod non fit in campo?* Licuisse tamen consulibus conditione quadam comitia aedilicia in comitio habere, ex Cic. ad Att. IV, 3. apparet. Unum illut addo, comitia etiam quaestoria in campo Martio habita esse, disertis ueterum scriptorum testimoniis nobis traditum esse. Cfr. Schulzius de Comit. Rom. p. 363..

§. 5.

Quo tempore comitia aedilibus curulibus creandis habita sint.

Uehementer fallitur Schubert. p. 270. sic scribens: „Mensis, quo comitia aedilicia haberi solebant, non accurate significari potest, sed diuersis temporibus diuersum ipsum fuisse apparet e comitiorum consularium analogia; Ciceronis quidem aetate in mense Ianuario habita esse, eiusdem epistola ad Quintum fratrem scripta testatur (II, 2.): *Set omnia sunt tardiora* (e. g. aedificatio quoque) *propter furiosae aedilitatis expectationem. Nam comitia sine mora futura uidentur; edicta sunt a. d. XI. Kal. Februarias.*" Nimirum nesciuit Schubertus, id quod longe notissumum, comitia illa, quibus P. Clodius fieri aedilis curulis uolebat, aduersariorum opera inpedita et ultra legitumum tempus producta esse. Uide, quae Manutius recte ad locum illum monuit.

Etsi quo die comitia aedilicia haberi solita sint, cum non inpediebantur, nescire me fateor, tamen quo mense sint habita, ex Ciceronis scriptis certo potest demonstrari. Habuit Cicero principium actionis primae in Uerrem Nonis Sextilibus; ibi enim C. X. §. 31. *Nonae sunt,* inquit, *hodie Sextiles; hora nona conuenire coepistis.* Erat autem iam tum aedilis curulis in annum proxumum designatus. Audi ipsum ibidem C. IX. §. 25. loquentem: *Interea comitia nostra, quorum iste se, ut ceterorum hoc anno comitiorum dominum esse arbitrabatur, haberi coepta sunt. Cursare iste, homo potens, cum filio blando et gratioso circum tribus; paternos amicos, hoc est, diuisores appellare omnis et conuenire. Quod cum esset intellectum et animaduersum, fecit animo lubentissumo populus Romanus, ut cuius diuitiae me de fide deducere non potuissent, ne eiusdem pecuniae de honore deicerent. Posteaquam illa petitionis magna cura liberatus sum, animo coepi multo magis uacuo ac soluto nihil aliut nisi de iudicio agere et cogitare.* Ex quo loco hoc quoque apparet, aliquot dies inter designationem et Nonas Sextilis intercessisse, ideoque comitia illa aedilicia exeunte mense Quinctili habita censenda esse. Atque hoc extra omnem controuersiam ponitur M. Caeli epistola quarta ad Ciceronem scripta (Ep. ad Diu. VIII, 4.), in qua §. 6. haec legimus: *Has ego tibi litteras eo maiore misi interuallo, quod comitiorum dilationes occupatiorem me habebant, et expectare in dies exitum cogebant, ut confectis omnibus te facerem certiorem. Ad Kal. Sextilis usque expectaui. Praetoriis morae quaedam inciderunt; mea porro comitia quem euentum sint habitura, nescio; opinionem quidem, quod ad Hirrum adtinet, incredibilem aedil. pl. comitiis nacta sunt.* Occupatiorem habebant M. Caelium comitiorum dilationes, quia ea ipsa, quibus aedilem

12

curulem se factum iri sperabat, differebantur. Praeterea nolebat prius aliquid ad Ciceronem litterarum dare, quam ipsum posset certiorem reddere, utrum factus an praeteritus esset. Itaque ad Kalendas Sextilis usque expectauerat, sperans uidelicet, fore, ut ante illut tempus comitia sua habita essent. Id ipsum eum sperare eum non potuisse intellegatur, nisi legitumum comitiorum aediliciorum tempus in mensem Quinctilem incidisset, pro explorato iam habemus, sollemniter extremo mense Quinctili comitia aedilibus curulibus creandis habita esse. Uide etiam Uarr. de R. R. III, 2. *Comitiis aediliciis cum sole caldo* etc..

Uerum accuratius etiam ostendi potest, intra quod tempus comitia aedilicia habita sint. Scimus enim, primum comitia tribunis pl. creandis habita esse, eaque in a. d. XVI. Kalendas Sextilis incidisse. Uid. Cic. ad Att. I, 1.: *Nos autem initium prensandi facere cogitaramus eo ipso tempore, quo tuum puerum cum his litteris proficisci Cincius dicebat, in campo comitiis tribuniciis a. d. XVI. Kal. Sextilis.* Porro tum ex principio illo actionis primae in Uerrem, tum ex M. Caeli epistola illa conpertum habemus, comitia consularia praetoriaque, quae post tribunitia habebantur, ante comitia aedilium curulium habita esse. Scribit enim Cicero in illo actionis primae Uerrinae principio C. VIII. §. 23.: *Ex quibus* (diuisoribus omnium tribuum) *quidam, qui se omnia mea caussa debere arbitrabatur, eadem illa nocte ad me uenit; demonstrat, qua iste* (Uerres) *oratione usus esset: conmemorasse istum, quam liberaliter eos tractasset etiam antea, cum ipse praeturam petisset, et proxumis consularibus praetoriisque comitiis; deinde continuo esse pollicitum quantam uellent pecuniam, si me aedilitate deiecissent.* Ad quem locum, id quod nemo non sponte ex uerbis Ciceronis perspicit Pseudoasconius monuit: *post consularia enim et praetoria comitia aedilicia sequebantur.* Itaque hoc certissumum iam est, comitia aedilibus curulibus creandis neque ante XIII. Kal. Sextilis neque, nisi morae quaedam iis inciderant, post Kal. Sextilis haberi consueuisse.

CAP. V.

GASPARIS GARATONI DIATRIBE[1] DE C. MARI MONUMENTO AD CICERONEM PRO SEXTIO CAP. LIV. ET PRO PLANCIO XXXII.

§. 1.

An cum patres conscripti illo senatus consulto, quod in monumento Mari factum est, quo mea salus omnibus est gentibus conmendata, uni Cnaeo Plancio gratias egerint, etc..

De insigni hoc monumento ad Sextianam cap. 54. extr.[2]) pauca olim diximus; plura deinde otiosi

[1]) Deprompta haec Garatoni diatribe ex Curis eius Secundis. Bonon. MDCCCXV. p. 101 — 114. Conferenda cum hac M. Birgeri Thorlaci Prolusio anno 1806. scripta *de Aede Honoris atque Uirtutis apud Romanos.* Inserta ea Opusculis eius Academicis. Hauniae. 1806. Uol. I. p. 177 — 187..

[2]) Garatonius ad or. Sext. c. 54. p. 224. haec adnotauit: „Non *Uirtutis* tantum, set *Honoris Uirtutis* aedem C. Marius fecerat, tradente Festo p. 545. ed. Amstel., quae nominatur bis a Uitruuio III, 1. et praefat. lib. VII. et in utroque uerbo ludit manifesto Cicero. Consulatur etiam D. Augustinus V. de Ciu. Dei 12.. Codex Car. Steph. cum Pal. IX. consentit, scribens: *in templo Honoris honos habitus.* Quia scilicet duo illa nomina uno de templo displicebant, multi unum, set in his alii aliut omiserunt. Neque *monumentum Mari*, siue, ut alii, *monumenta*, fuisse aliut existumes, quam latericiam istam *Honoris* et *Uirtutis* aedem, de manubiis, ut fiebat, extructam, in qua tropaea de Iugurtha,

congessimus. Tria de Ciceronis reditu senatus consulta fuerunt; enumerat ipse pro Sext. 54. et 61.. Primum hoc fuit, *cum in templo*, inquit, *Honoris Uirtutis honos habitus esset uirtuti*, *Caique Mari*, *conseruatoris huius inperi*, *monumentum municipi eius et rei p. defensori sedem ad salutem praebuisset.* Quae sibi gloriosa secuta sunt, narrat c. 56.: *recenti nuntio de illo SCo*, *quod factum est in templo Uirtutis*, *ad ludos scaenamque perlato.* Haut scio, an ibi *Honoris* exciderit, ut superiore loco multis in libris. Honos quidem, qui uirtutem sequitur, qui non prae uirtute set post uirtutem est expetendus, priorem tituli locum non teneret, opinor, nisi constructio iuberet grammatica. Uerus itaque titulus fuerit, HONORI. UIRTUTIS., qui uirtute paritur eamque comitatur. Similis tituli ratio in templo *Herculis Musarum*, quem *Musageten* appellant, Musarum chorum Apollinis loco ducentem; quem tamen, si liceret, φιλόμουσον mallem. In Bellorianis urbis uestigiis tabula secunda est, AEDIS. HERCULIS. MUSARUM., neque tamen aliter inscribi debuit, quam HERCULI. MUSARUM., etsi Musis haut minus esset aedes consecrata quam Herculi. Ait enim Cicero pro Archia c. 11., M. Fuluium illum Nobiliorem *Martis manubias Musis consecrasse;* quarum statuas Ambracia sublatas cum in eo templo Fuluium dedicasse scribat Eumenius pro Schol. cap. 7., earum caussa templum illut extruxisse facile intellegitur; Herculem uero comitem ducemque adiunxisse, ne Musis amicior quam bellatori conuenit, uideretur, cum praesertim, qui id probro ei darent, non deessent; eaque coniunctione, quod eum non fefellit, duarum sibi aput posteros monumentum laudium statuisse. Aeque igitur aedes illa *Musarum* dici potuit, aeque haec Mariana *Uirtutis.* Quod autem passim *Honoris et Uirtutis* appellatur, ea re significatio primaria non tollitur; est enim eadem ἓν διὰ δυοῖν [5]). Ita in honorario temporum optumorum titulo aput Aegyptium ad S. C. de Bacchan. T. VII. Liui Drak. p. 207.: MESSALLAE. HONORIS. ET. UIRTUTIS. CAUSA., h. e. honoris eius uirtuti habendi caussa. Et in praestantissuma inscriptione, quae adhuc Romae sub Capitolio conspicitur, aput Gruterum CCCCLV. 1.: C. POBLICIO. L. F. BIBULO. AED. PL. HONORIS. UIRTUTISQUE. CAUSSA. SENATUS. CONSULTO. POPULIQUE. IUSSU. LOCUS. MONUMENTI. QUO. IPSE. POSTEREIQUE. EIUS. INFERRENTUR. PUBLICE. DATUS. EST.. Deinde consuetudo loquentium, quae plurumum ualet, multa saepe transformat; postremo constat ex Liuio XXVII, 25., duos fuisse illos reuera habitos deos. Uidebat sentiebatque cum omnibus Lucius quidam Ulpius aput Grut. C. 4., set originem illam ignorans [cum omnibus omnino Romanis], suo iudicio nominum ordinem inuertit, ut rectum faceret: UIRTUTI. ET. HONORI. L. ULPIUS. MARCELLUS. LEG. AUG. PR. PR. PANNON. INF. U. S.. Idemque ordo Plutarcho placuit de Fort. Rom. T. VII. Reisk. p. 264. in aedis Marcellianae titulo conmemorando, quam deinde p. 277. pro re scilicet, quam agebat, unius Uirtutis nomine appellat. Set in antiquo denario aput Morell. in tabula Fufiorum, et Eckhel. T. V. D. N. p. 220. 256. extumum est laureatum Honoris caput, galeatum Uirtutis interius, ut prior inscriptio sit HO., secunda *UIRT.*. Et in Galbianis, quos Eckhelius adiecit, HONOS. ET. UIRTUS.. Typus ille ab Hauercampio Th. Morell. p. 185. ad exitum belli socialis uidetur mihi egregie relatus. Honos enim habitus est certe uirtuti, ciuitate sociis et Latinis data.

---

de Cimbris, Teutonibusque conlocarit, de quibus Nardinus IV. Rom. Uet. 2. addita inscriptione; non ea fortasse tamen, quam ex Mazochio Gruterus habet CDXXXVI. 3., quam in uia Flaminia repertam tradit Ursinus ad Marlian. Topogr. U. R. IV. 8., cuius extrema uerba Manutius hic adfert, aedem hanc recte distinguens ab altera, quam Honori et Uirtuti Marcellus multo ante fecerat, adstipulante Marliano l. c. et Iureto ad Symmach. I. 15.. Haut parum hanc ab illa remotam fuisse, theatri uicinitas arguit, quod celeberrumo loco ex tempore, ut tum fiebat, aedificatum in planitie Capitolio subiecta est uerisimile, Tiberim uersus et Campum Martium; cum altera illa aedes fuerit extra portam Capenam."

[5]) Errat Garatonius, qui lusu Ciceronis, dicentis, *cum in templo Honoris Uirtutis honos habitus esset uirtuti*, in errorem induci se passus est. Nihil alienius ista interpretatione. Duobus numinibus, et Honori et Uirtuti, consecrata illa aedes Mariana fuit, ut recte expositum ab Thorlacio l. l.. Neque in uerbis, *Messallae. honoris. et. uirtutis. caussa.* ἓν διὰ δυοῖν est; significant ea, Messallae honoris caussa et propter uirtutem. Eodemque sensu in altera illa inscriptione uerba *honoris uirtutis caussa* dicta sunt.

§. 2.

Uirtutem autem, qua de agitur, bellicam intellego; quae semper maxume honori fuit. Marcum enim Marcellum aemulatus est C. Marius; ut inperatores duo praestantissumi duo templa iisdem nominibus dedicarint. Quae res nostris hominibus, ut paulo post uidebimus, fraudi fuit. Tertius addendus est clarissumus inperator Q. Fabius Maxumus. Sic enim II. de nat. deor. 23.: *Uides Uirtutis templum, uides Honoris, a M. Marcello renouatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico a Q. Maxumo dedicatum.* Set in his explicandis haut leuis est difficultas. Facile intellegerem, si ita scripsisset: *Uides Honoris templum, uides Honoris et Uirtutis a M. Marcello renouatum, quibus non multis ante annis erat bello Ligustico a Q. Maxumo dedicatum.* Nam primum solius Honoris templum extitisse II. de legg. 23. ipse testatur, eamque illius condendi caussam enarrat, quae nihil ad Fabium, cui a Wesselingio tribuitur. Fuisse dicitur *extra portam Collinam,* cum Marcellianum fuerit ad Capenam. Quid ni igitur solius etiam Uirtutis aedes extiterit? Et quidem a Scipione Numantino conditam tradit Plutarchus de F. R. l. c.; quod si ita est, addendum est illut, quod posui, *et Uirtutis,* praesertim cum in Sextiana similiter turbatum fuerit. Eoque lubentius copulam, quae optume deest in Sextiana, hic adgnouerim, quod et extat IV. in Uerr. 54., et Marcelli templum duas cellas habebat coniunctas in latitudine, suo quamque pronao atque ostio, quas idcirco *aedis* appellant Liuius l. c. et Plinius XXXV, 10., contra in Mariano una erat, eaque ostio in postica parte, porticu tamen non deficiente, carebat. Docet Uitruuius, de quo mox erit agendum. Deinde cum proxume Cicero Fidem ante Scaurum a Calatino consecratam dixerit, cur non ibi potius posuit, *multis ante annis?* Nunc multos annos inter Fabi opus et Marcelli fuisse uolt, qui aequales fuerunt. Fabius anno DXX. (521.) de Liguribus triumphauit; opus cito perfici potuit. Marcellus post insignem ad Clastidium pugnam, in qua aedem illam uouerat, triumphauit anno DXXVI.. Opus quae caussae retardarint, nemo prodidit; anno DXLV. perfectum uix fuit, quo anno cum in praelio Marcellus occubuerit, dedicare ipse non potuit. Tempus inter hos terminos longum sumi non posse, Buherio et Dauisio, qui negationem inserebant, Wesselingium concedere necesse fuit, II. Obseru. 5.. At Liuium opponit XXVII, 34., qui M. Salinatorem scribit *multis ante annis ex consulatu populi iudicio damnatum* iterum anno illo consulem factum. Is uero, qui anno DXXXIV. consul fuerat, anno DXLVI. iterum fuit. Wesselingi subscriptor Ernestus recte locutionem hanc uocat, ut Dialectici loquntur, σχετικήν. Liuius igitur tempus intuetur illut, quod uita hominum potest in rebus agendis consumere, Cicero in omni urbis antiquitate spatiatur. Postremo, quod caput est, templum non uidetur uiro doctissumo renouatum a Marcello, set institutum. Mihi quidem aliut consilium est, set tamen ab eo refectum credere uix possum. Hoccine ut factum sit, uiuo et inperiis laudibusque florente Fabio? quod erat ius in aliena monumenta Marcello? Ille itaque pro amicitia concesserit. Neque hic petisset, neque ille permisisset, nisi, tam recens cum esset, uitium tamen fecerit, iam iamque conrueret. Immo ne ita quidem. Ego, ut breue faciam, sic intellego: si templum solius Uirtutis extiterit, secundo loco *Honoris et Uirtutis* ponendum esse; ne uerbum contra libros addamus, duas cellas *templa* uocari, ut aedes eaedem a Liuio et a Plinio; renouatum a Marcello aedificium non fuisse, set titulum; *renouatum* porro *templum* eisdem diis ita dici, ut aliorum exempla, cum quis in se transfert, denuo edit, exequitur, *referri* ac *renouari* dicuntur. Fabium itaque eisdem nominibus de manubiis Ligusticis aliut antea condidisse, quod fortasse Ciceronis tempore non extabat, certe autem alterius magnificentia et ornamentis Sicularum urbium egregiis obruebatur. Tarditatis autem illius caussae, rei publicae, cum Hannibal urgeret, urbisque status, bellum Siculum, spesque praedae non fallax, manubiae denique ipsae uidentur fuisse.

§. 3.

Nunc ad C. Mari monumentum redeamus, in quod Cicero I. de diuin. 28. scribit se deduci somniasse. Cum deorum nomina ne ibi quidem adiecerit, Hottingerus fidem habuit eadem narranti Ualerio Max. I, 7, 5.; hic autem, *in aede,* inquit, *Iouis Mariana SCum de reditu eius est factum.* Magnus

Ualeri error, ab editoribus non animaduersus, qui duo in Sextiana c. 54. et 61. perspicue distincta senatus consulta confuderit templumque Iouis Capitolinum C. Mario inprudens adscripserit, aliorum errorem subleuat, qui duo deorum eorundem templa non distinxerunt. In his Piranesius, uel potius archaeologus ille, quem consulebat, duobus Uitruui locis ausus est in aedis Marianae sedem Marcellianam inuitam emendatione pertrahere. Hi sunt loci, quibus Ciceronis auctoritatem adiunxi, cum Sextianam interpretarer. Alter III, 1. aput Schneid. 2.: *Peripteros* (aedes) *autem erit, quae habet in fronte et postico senas columnas — habeatque ambulationem circa cellam aedis, quemadmodum est in porticu Metelli, Iouis Statoris Hermodi, et ad Mariana Honoris et Uirtutis sine postico* (ostio) *a Mucio facta.* Hic nihil aliut nisi praepositio tollenda, ut Mariana porticus intellegatur, quae uox initio posita est, nisi mauis aedem intellegere, uel etiam *ad* in *aede* conuertere. *Hermodi* architecti nomen, quod ignorauit Iunius, Turnebus XI. Aduers. 2. mutat in *Hermodori*, sane probabiliter. Set Piranesius non modo Rodinum plane decepit, uerum etiam de praestanti Schneideri memoria, admirabili doctrina uiri, Ciceronem excussit, qui Marcelli nomen in hac coniectura posuerit: *quemadmodum est in porticu Metelli: huiusmodi et aedes Honoris et Uirtutis Marcelli sine porticu a Mucio factae.* Quod *Hermodi* nomen expunxit, et *huiusmodi* duobus ex libris arripuit, Ioue quoque Statore sublato, quem illi ipsi libri retinent, nihil id mea nunc interest. Set quod *sine porticu* maluit, quam *sine postico,* Uitruuiana descriptio aedis peripterae, si recte intellego, aperte repugnat. Denique *facta* in Marcelli monumento recte, in Mariano, cuius cella erat una, necessario dicitur. Locus est alter in septumi libri prooemio n. 17. de C. Mucio architecto, *qui magna scientia confisus aedes Honoris et Uirtutis Marianae cellae, columnarumque* (externae porticus) *et epistyliorum symmetrias legitumis artis institutis perfecit.* Legendum esse, *aedis Honoris et Uirtutis Marianae cellam*, tam est perspicuum, ut non ita iam editum ualde mirer.

§. 4.

Iam his, ut animus ferebat, expositis de Marianis inscriptionibus aliquid habeo, quod dicam enucleatius, quarum exemplum celebre uix olim adtigimus. Illut uero cum ceteris eiusmodi omnibus Maffeium secutus Ruhnkenius ad Uelleium II, 12. p. 109. commenticium existumabat. Set optume illa omnia egregie conscripta elogia Morcellius noster de stilo inscript. p. 155. omni liberat suspicione, qua temere damnabantur. Nam statuis uirorum inlustrium Augustus ea in foro suo subscribenda curauit; municipia deinde Italiae descriptionibus multiplicarunt. Marianum hoc Arreti quoque et Arimini extabat. Romae uero duo sunt duarum basium prolata fragmenta, e foro tamen Augusti neutrum. Est enim alterum grandibus elegantibusque litteris, quales Traiani tempore incidebantur, ut in huius foro aliam C. Marii statuam dedicatam fuisse significet. Neque enim ampliari tantopere in ipso Augusti foro basis potuit noua, cum propter statuarum multitudinem, ut adnotauit Morcellius, etiam binae una in basi constiterint. Traianum autem ueteres titulos diligentissume conseruasse, uel una haec satis testatur inscriptio Gruter. CXC. 4.: M. CALPURNIUS. M. F. PISO. FRUGI. PR. EX. S. C. FACIUNDUM. CURAUIT. EIDEMQUE. PROBAUIT. IMP. CAESAR. DIUI. NERUAE. F. NERUA. TRAIANUS. etc. OPERIBUS. AMPLIATIS. RESTITUIT.. Fragmentum hoc in aedibus Pomponi Laeti uidit Smetius, ex quo Gruterus edidit p. CCCCXXXVI. 2., ad Fuluium Ursinum postea demigrauit, ipso teste ad Caesarem II. belli Gall. 4. edit. Iungermanni col. 467.. Alterum uero longe plenius, set minoribus litteris, quod habet ex Mazochio Gruterus ibid. n. 3., non ex pluribus, ut adnotatur, particulis ille contexuit, set illa ipsa est paene integra inscriptio, quam in uia Flaminia inter Augusti Mausoleum et collem hortulorum inuentam ex Fuluio et Marliano refert Nardinus IV. Rom. Antiq. 10.. Longe abest inde forum Augusti, quod erat inter Romanum uetus et Neruae recentius, hoc est, ab ea parte Romano continens. Quid ergo est? nam de monumenti Mariani loco non est laborandum, cum eius esse loci uideri plane inscriptio non possit. Set a Suetonio mihi tenebris circumfuso lux tandem adfulget. Is in Caligula cap. XXXIV. *statuas*, inquit, *uirorum inlustrium ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Martium campum conlatas ita subuertit*, *ut restitui saluis titulis non potuerint.*

Torrentius et Lipsius intellexerunt, statuis diffractis et comminutis inanis cum titulis basis furori stultissumo superfuisse. Locus est de statuarum honore, non de omni clarorum uirorum memoria; neque Liuianos libros abolere cum cogitaret, illorum laudibus obtrectabat, quae praedicantur a Liuio, set historicum tam praeclarum loquacitatis homo fatuus accussabat et neglegentiae. At cur, si *suis titulis* Suetonius dixerit, clarius hoc putent fore, non uideo. Saluos dicere optumum fuit, siue *restitui titulis*, qui *salui* erant, intellegas, siue cum *salui* essent in basibus *tituli*. Nunc ex eo numero titulum, qui C. Mari statuae subscriptus fuit, saluom cognoscimus. Illut ignotum est, titulosne Capitolinos seruarit Augustus, an de foro suo descriptos subiecerit. Seruauit fortasse aliquos; hic, ut se res hactenus habet, uideatur ex foro.

§. 5.

Atqui res ita conuerti potest, ut nouus in campo fuerit, deinde in fori porticibus nouae C. Mari statuae idem subscriptus. Nam hoc ordine Augustus ipse in monumento Ancyrano p. 174. editionis Chishullianae usus est. CAPITOLIUM — IMPENSA. GRANDI. REFECI. SINE. ULLA. INSCRIPTIONE. NOMINIS. MEI. Quis non uidet, in ea refectione statuas in latissumum campi Marti locum ex angustissumo translatas fuisse? Deinde post pauca: FORUM. IULIUM. ET. BASILICAM — COEPTA. PROFLIGATAQUE. OPERA. A. PATRE. MEO. PERFECI. Hoc certe haut paulo ante, quam forum suum conderet, factum oportuit. Suetonius cap. XXIX.: *Fori extruendi caussa fuit hominum et iudiciorum multitudo, quae uidebatur non sufficientibus duobus etiam tertio indigere.* Quocirca in monumento sequitur: MARTIS. ULTORIS. TEMPLUM. FORUMQUE. AUGUSTUM. FECI. Nempe post consulatum suum septumum anni DCCXXVI., cuius initio Augusti nomen ei delatum fuit. Et multo quidem postea. Nam templum illut anno DCCXXXIV. signis, quae Parthi ceperant, restitutis faciundum decreuit. Id iam notauit ex Dione Norisius II. Cenotaph. Pisan. 8.. Dedicauit denique consulatu suo XIII. anno DCCLI., quod Uelleius II, 100. memoriae prodidit. Quamquam etenim forum narrat ibi Suetonius *festinantius, necdum perfecta Martis aede publicatum fuisse,* existumare tamen oportet, non multum temporis inter eas dedicationes intercessisse. Itaque a Dione libri LV. parte deperdita proxume coniungebantur. Superstes testatur index, in quo non *ἱερὰ*, quod inepte refertur ad domum, set *ἀγορὰ forum* cum Chishullo sine dubitatione legendum est. Illam uero de foro partem non resarcit codex egregius, ex quo nuper summus uir mihique amicitia uetere coniunctissumus, Iacobus Morellius ex altera parte, quae ad templi dedicationem pertinet, conplura protulit Suetonianis multo ampliora. Iam neminem futurum puto, qui ueterem illam de duobus templis Marti ultori ab Augusto factis mihi obiciat fabulam, postquam ab eruditissumis uiris, Massone in Ouidi uita T. IV. ed. Burm. p. 68., Fabricio, et Reimaro ad Dionem LIV, 8. eodemque Morellio p. 5. ed. Paris. ita explosast, ut reuocari non possit. Eckhelius autem T. VI. doctrinae nummorum ueterum p. 95., intellegens profecto uir atque diligens, cur sententiam ferre apertius noluerit, non dispicio. Argumentum etiam de nummis, quo deceptus est Chishullus p. 203. et ipse in refellendo Masson, cur non adtigit? nam quod muneris erat sui, facile dissoluisset. Martis ultoris templum nummi rotundum exhibent atque monopterum. Quod sex columnae in aliis conspiciuntur, in aliis quattuor, duo fuisse templa creditum est. Massonis ridicula defensiost, facies et latera in ea figura inesse atque differre. Quis non uidet, medio ampliato intercolumnio spatium artifici defuisse? quis ex illis nummorum angustiis uera aedificia metiatur? specimina sunt, ad amussim nihil. Duae igitur detractae omnino columnae sunt; quarum si recta institutio fuit, sex apparere oportuit in hemicyclo, totidemque in auerso fuisse, ut duodecim in circuitu numerarentur. Suspicari etiam licet, cella templum, etsi non apparet, minume caruisse. Quid plura? unum fuisse satis indicat Augustus ipse in actis illis suis p. 175. 176.. Iam si hunc Marianum in campo titulum ab Augusto profectum dicamus, antequam forum aedificaret nouisque statuis exornaret, inanis coniectura non erit.

§. 6.

Illa uero sane leuior, quae a Mausolei uicinitate ducitur, cum indicium habeamus loci porticu, statuisque ad uiam Flaminiam ornati, isque locus in Mausolei conspectu fuerit, eum uideri ab Augusto delectum Mausolei sui caussa fuisse, quo, ex Capitolio quas tolleret, statuas conportaret. Opus illut insigne, quod Strabo V, 8. tantopere admirabatur, Augustus *inter Flaminiam uiam ripamque Tiberis*, ut tradit Suetonius cap. C., *sexto suo consulatu extruxerat.* Annus fuit in Fastis DCCXXV.. Ita intra paucos annos Capitoli refectio conclusa inscriptionem, qua de agimus, ante forum conditum positam in campo Martio doceret apertius. Denique in aede Honoris et Uirtutis aliam ab ipso C. Mario inscriptionem conlocatam oportuit, breuiorem illam, opinor, ut dedicationis ratio et locus in templi fronte postulabat. Qui uero ellogium Augusti iussu conscripsit, haec inde sumpsit: DE. MANUBIEIS. (*manibiis* Augustus ipse scripsisset) CIMBRICEIS. ET. TEUTONICEIS. AEDEM. HONORI. ET. UIRTUTI. UICTOR. FECIT. Sic in lapide his paucis annis Romae detecto L. Mummius, qui Corinthum deleuit, post multa interiecta, IMPERATOR. DEDICAT. Arretinum exemplum emendauit recte Gorius T. II. Inscript. Etrur. p. 252., neque minus recte Uitruuianis locis est usus. Erat enim illo in exemplo ET. UICTOR. quasi, *et Uictoriae.* Ex his tandem apparet, inscriptiones Marianas Romae in operibus publicis fuisse has: primam in aede ab ipso Mario, secundam publice in Capitolio, ex qua fortasse extremum illut est, UESTE. TRIUMPHALI. CALCEIS. PATRICIEIS. nisi potius ad templi dedicationem pertinet, atque ab ipso Mario fuit; tertiam ab Augusto in campo Martio ante Mausoleum, quae in illius foro eodem exemplo fuerit; aliam denique similem in foro Traiani.

CAP. VI.

ARGUMENTUM ORATIONIS PLANCIANAE.

Cum anno u. c. 699. Cn. Pompeio et M. Licinio Crasso secundum consulibus [1]) Cn. Plancius, A. Plotius, Q. Pedius, et M. Iuuentius Laterensis [2]) aedilitatem curulem in annum sequentem petissent, ex iisque Cn. Plancius et A. Plotius L. Domitio et Appio Claudio coss. anno 700. [3]), quia prolata erant comitia, aediles curules essent designati, M. Laterensis Cn. Plancium lege Licinia de sodaliciis [4]) postulauit, et cum L. Cassio subscriptore ad C. Flauum Alfium [5]) praetorem, quem ipse pro facultate, quam lex Licinia dabat, quaesitorem iudici delegerat, iudicesque editicios [6]), quos eadem lex concedebat, accusauit. Cn. Planci caussam M. Tullius Cicero suscepit, qui cum exul erat a Cn. Plancio quaestore Macedoniae

---

[1]) Uide Proleg. L. III. c. 1. §. 2.. — [2]) Hos quattuor una aedilitatem curulem petisse, ex or. Planc. C. VII. §. 17. et C. XXII. §. 54., et ex Prol. L. III. c. 4. §. 2. apparet. — [3]) Uide Proleg. L. III. c. 1. §. 2.. — [4]) De lege Licinia Prol. L. III. c. 3. egimus. — [5]) De C. Flauo Alfio, quaesitore iudici Planciani, uide Prol. L. III. c. 2.. — [6]) De iudicibus editiciis Prol. L. III. c. 3. §. 3. egimus.

beneuole exceptus et contra inimicorum insidias defensus esset, tantaque arte pro reo dixit, ut quam habuerat orationem ualde efflagitatam postmodo euolgaret [7]). Primis eius et ultumis quattuordecim capitibus diluuntur ea, quae cum in Ciceronem erant dicta, tum in genere totaque uita Planci reprehensa ab accusatore erant. Reliqua autem oratio c. 15 — 27. in ipso accusationis capite refutando uersatur.

---

7) Uide Cic. ad Quintum fr. III, 1, 4. et Prol. L. III. c. 1. §. 2..

M. TULLI CICERONIS

ORATIO

PRO

CN. PLANCIO.

I. Quom propter egregiam et singularem Cn. Planci, iudices, in mea salute custodienda fidem tam multos et bonos uiros eius honori uiderem esse fauitores, capiebam animo non mediocrem uoluptatem, quod, cuius officium mihi saluti fuisset, ei meorum temporum memoriam suffragari uidebam. Quom autem audirem, meos partim inimicos partim inuidos huic accussationi esse fauitores, eandemque rem aduersariam esse in iudicio Cn. Plancio, quae in petitione fuisset adiutrix, dolebam, iudices, et acerbe ferebam, si huius salus ob eam ipsam caussam esset 1

Cn.) E, Lc, Pa, Pb, Pc *Gn.;* idem codices per totam orationem cum Ma sic scribunt. — Plancio) E *planco*, Lc *Plantio contra Laterensem;* Ma et Mb, quod semel monuisse hic sufficiat, promiscue nunc *Plantius* nunc *Plancius* scribunt, et Mc constanter *Plancus.*

C. I. §. 1. Quom) Sic E, *Quō* scribens; Lb *Tum cum;* ceteri *cum.* — propter) D *per.* — et singularem) Pa om. — Planci) Sic E et Mc; Lc *planti*, Ma *platii*, ψ *Pompeii;* ceteri *Plancii.* — iudices) Pa om. — mea) χ 3 *ea.* — custodienda) E *custodiendam*, χ 1 *constituenda.* — honori) χ 3 *honore.* — fauitores) Sic B; C *fauturos*, ceteri *fautores.* — saluti) Pa *salutis.* — suffragari) E *suffragare.* — uidebam) ς *uidebat.* —

Quom) Sic ego corr.; libri *cum.* — meos) Mc *meos etiam.* — partim) ου om; ed. Ox. non indicauit, utrum prius an posterius. — partim inimicos) Mc om. — partim inimicos partim inuidos) Pb *partim inuidos partim inimicos.* — fauitores) Sic B; Pa *factores*, χ 1 et duo, ut uidetur, Pall. *fauturos;* ceteri *fautores.* — aduersariam) D *aduersam.* — in iudicio) Mb, H, et ς om; set in Mb supers. ut inserenda. — quae) χ 3 *quem.* — in petitione) Pa *cum petitione.* — fuisset) Mc *esset.* — adiutrix) Ma om. — dolebam) C *debebam.* — huius) ου et χ 3 *haec.* —

ipsam) ου om. — causam) Pa om. —

infestior, quod is meam salutem atque uitam sua beneuolentia, praesidio, custodiaque texisset.
2 Nunc autem uoster, iudices, conspectus et consessus iste reficit et recreat mentem meam, cum intueor et contemplor unumquemque uostrum. Uideo enim hoc in numero neminem, cui mea salus non cara fuerit; cuius non extet in me summum meritum; cui non sim obstrictus memoria benefici sempiterna. Itaque non extimesco, ne Cn. Plancio custodia meae salutis aput eos obsit, qui me ipsi maxume saluom uidere uoluerunt; saepiusque, iudices, mihi uenit in mentem, admirandum esse, M. Laterensem, hominem studiosissumum et dignitatis et salutis meae, reum sibi hunc potissumum delegisse, quam metuendum, ne uobis id ille magna ratione
3 fecisse uideatur. Quamquam mihi non sumo tantum neque adrogo, iudices, ut Cn. Plancium suis erga me meritis inpunitatem consecutum putem. Nisi eius integerrumam uitam, modestissumos mores, summam fidem, continentiam, pietatem, innocentiam ostendero, nihil de poena recussabo; sin omnia praestitero, quae sunt a bonis uiris expectanda, petam, iudices, a uobis, ut, cuius misericordia salus mea custodita sit, ei uos uostram misericordiam me deprecante tribuatis. Equidem ad reliquos labores, quos in hac caussa maiores suscipio quam in ceteris, etiam hanc molestiam adsumo, quod mihi non solum pro Cn. Plancio dicendumst, cuius ego salutem non secus ac meam tueri debeo, set etiam pro me ipso, de quo accussatores plura paene quam de re reoque dixerunt.

---

quod) χ 3 *quam.* — is) D *his.* — atque) Lb et Pa *ac.* —

§. 2. uester) ov *uidetur.* — conspectus et consessus) D *consesus et conspectus.* — consessus) Mc, Pc, et O *consensus.* — et recreat) Mb et ς om; set in Mb supers. ut ius.. —

hoc in numero) Ma et D *in hoc numero.* — mea salus) D *salus mea.* — non cara) Sic E, Ma, Mb, Mc, Uict. a, La, Lb, Lc, Pa, D et O; χ 3 *non cura;* ceteri *cara non.* — fuerit) Pa *fuisset.* — extet) La cum gl. *est,* Lc *est.* — summum) Sic B, E, Mb, O, C, H, S, T, et χ 3; ceteri *suum.* — cui) Lb *cuius.* — sim) La *sui* cum gl. *sim.* — obstrictus) ov et χ 3 *astrictus.* — beneficii) La cum gl. *beneficiorum,* H *beneficiorum,* Lc *beneficia.* —

ne) C *nec modo.* — obsit) E *obstet.* — me ipsi) Sic B et E; ceteri *me ipsum.* — esse) Pa om. — dignitatis et) Sic B et E; ceteri partim *dignissimum,* ut Pb, Pc, D, G, T, χ 3, et aliquot Pall., partim *diligentissimum,* ut Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, O, Br., C, H, S, ov, ς, χ 1, ψ, F 1, 2, et aliquot Pall.; in D et G margini adscriptum *l' dilligentissimum.* — sibi hunc potissimum) Uict. a *hunc potissimum sibi.* — quam) χ 3 *quem.* — uobis) Ma, D, et ov *nobis.* — ratione) C *re.* —

§. 3. Quamquam) Lb *Quapropter.* — sumo) Ma, Mc, Pc, χ 1, et χ 3 *summo.* — tantum) χ 3 *unde.* — neque adrogo, iudices) Sic B et E; ceteri *iudices neque arrogo.* — me meritis) Lb *meritis.* — consecutum putem) Sic B et E; Lc *consecuturus sum,* set in marg. ab eadem manu correctum *consecuturum putem;* ceteri *consecuturum putem.* —

fidem) χ 1 *fidem, patientiam.* — de) ς om. — a bonis) D et C *ab omnibus.* — expectanda) Sic B, E, Ma, Mc, La, Lb, Lc, Pb, Pc, D, G, Br., C, ov, χ 3, F 1; Pa *expectenda;* ceteri *expetenda.* — iudices, a nobis) Sic E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br., et F (sic); set Pb pro *iudices* habet *quidem;* ceteri *a uobis iudices.* — custodita) H *consecuta.* — ei) Pb om, Pc *eis.* —

Equidem) La et ψ *Et quidem.* — hac) χ 3 om. — suscipio) E et χ 3 *suspicio.* — etiam) C *et,* χ 1 om. — molestiam) La *molestissimam* cum gl. *molestiam.* — adsumo) Ma *adsummo,* Mc *assummo,* D *asummo.* — pro me) Lc et χ 3 *de me.* — de re) ψ *de.* — de re reoque) Mc *de reo reque.* —

II. Quamquam, iudices, si quid est in me ipso ita reprehensum, ut id ab hoc seiunctum 4
sit, non me id magnopere conturbat: non enim timeo, ne, quia perraro grati homines repe- riantur, idcirco, cum me nimium gratum illi esse dicant, id mihi criminosum esse possit. Quae uero ita sunt agitata ab illis, ut aut merita Cn. Planci erga me minora esse dicerent quam a me ipso praedicarentur, aut, si essent summa, negarent ea tamen ita magni, ut ego putarem, ponderis aput uos esse debere: haec mihi sunt tractanda, iudices, et modice, ne quid ipse offendam, et tum denique, cum respondero criminibus, ne non tam innocentia reus sua quam recordatione meorum temporum defensus esse uideatur.

Set mihi in caussa facili atque explicata perdifficilis, iudices, et lubrica defensionis ratio 5
proponitur. Nam si tantummodo mihi necesse esset contra Laterensem dicere, tamen id ipsum esset in tanto usu nostro tantaque amicitia molestum: uetus enim est lex illa iustae ueraeque amicitiae, quae mihi cum illo iam diust, ut idem amici semper uelint; neque est ullum cer- tius amicitiae uinculum, quam consensus et societas consiliorum et uoluntatum: mihi autem non id est in hac re molestissumum, contra illum dicere, set multo illut magis, quod in ea caussa contradicendumst, in qua quaedam hominum ipsorum uidetur facienda esse contentio.

C. II. §. 4. ipso ita) Pa om. — ut) Pc om. — ut id) C *ut hic.* — ab hoc) Lb, Pa, ς, F 2, et aliquot Pall. *ad hoc;* set in Lb margini *ab hoc* adscriptum. — seiunctum) Sic B, E, Mb, Mc, H, *ov*, ς, et χ 3; ceteri partim omittunt cum lacuna, ut Ma, Lc, Pa, Pb, Pc, et O, partim omittunt sine lacuna, ut Lb, D (in quo a m. sec. supers. *dictum*), T, χ 1, F 2, et plures Pall., partim pro eo habent *dictum,* ut La, G, Br., C, ψ, et aliquot Pall., aut *alienum*, ut S. — sit) Pc *sic.* — non me id) Pb et Pc *id me non,* T *ne me,* ψ *non id.* — magnopere) D *magno opere.* — conturbat) Sic B, E, Ma, Mb, Lb, Lc, H, ψ, F 1, et La in margine, set in textu cum ceteris *conturbet.* —

non enim) Pb et Pc *nec enim.* — ne, quia) Pa, C, et χ 3 *neque,* ς *quia.* — grati homines) Mc *homines grati.* — illi esse) Pb et Pc *esse illi.* —

Planci) Sic E; ceteri *Plancii.* — dicerent) La cum gl. *dicant,* Lc et ψ *dicant.* — ipso) Pa et χ 3 om. — magni) La *magna* cum gl. *magni.* — esse) D om. — haec) Ma *huius.* — mihi sunt) D *sunt mihi.* — sunt tractanda) Lb *tractanda sunt.* — quid) C om. — et tum) Ma, Mb, Lb, Lc, D, O, C, H, ς, χ 1, 3, ψ, et Pith. *cetum,* Mc *coetum,* La *cetum hunc,* Pb *rerum,* Pc et *ov tecum.* — cum) La, C, et ψ *tum,* set in La supers. *cum.* — respondero) Pa *uidero, ov respondere.* — criminibus) E *omnibus,* Lb *ominibus.* — ne) ς *me.* — uideatur) χ 1 *uidear.* —

§. 5. atque) Lc *et,* set in marg. ab ead. m. corr. *atque.* — defensionis ratio) ς *defensio.* — tantum- modo) Pb et Pc *non tantummodo.* — necesse esset) Pa *necesse est.* — dicere) Lc om. — id) Pb et Pc om. — ipsum esset) Pa *esset ipsum,* C *ipsum.* — nostro) Lc et ς *uestro.* — enim est) E et Mb *est enim.* — iustae ueraeque) Lb *iustae et uerae,* Pb et Pc *uerae iustaeque,* D *iustaeque uerae,* set super- inposita a m. sec. copula *que* uoci *uerae.* —

iam) C om. —

neque est) Pa *neque enim.* — certius amicitiae) E, Pb, et Pc *amicitiae certius.* — societas consi- liorum) Ma *sociorum aetas.* — consiliorum) D *conciliorum et consiliorum.* —

non id est in hac re molestissimum) Sic B, E, Ma, Mb, La, Lc, D, O, G, Ox. omnes, nisi quod ψ pro *molestissimum* habet *modestissimum,* Memm., et Cler.; Lb et Pa *non est id in hac re molestissimum,* Pc *non idem in hac re molestissimum,* Pb *non id in hac re molestissimum,* Mc, F 2, et plures Pall. *non modo id est in hac re molestissimum,* Br. *non id est in hac re molestum,* et marg. adscriptum *solum* ut textui inserendum, Uict. a *non id est in hac re solum molestum,* F 1 *non est solum in hac re mole- stum.* — quod) χ 3 *quam.* — in qua) Mb *qua,* set *in* superscriptum. —

6 Quaerit enim Laterensis atque hoc uno maxume urget, qua se uirtute, qua laude Plancius,
qua dignitate superarit. Ita si cedo illius ornamentis, quae multa et magna sunt, non solum
huius dignitatis iactura faciendast, set etiam largitionis recipienda suspiciost; sin hunc illi
antepono, contumeliosa habendast oratio, et dicendumst, id quod ille me flagitat, Laterensem
a Plancio dignitate esse superatum. Ita aut amicissumi hominis existumatio offendendast, si
illam accussationis condicionem sequar, aut optume de me meriti salus deserendast.

III. Set ego, Laterensis, caecum me et praecipitem ferri confitear in caussa, si te aut a
Plancio aut ab ullo dignitate potuisse superari dixero. Itaque discedam ab ea contentione, ad
7 quam tu me uocas, et ueniam ad illam, ad quam me caussa ipsa deducit. Quid, tune digni-
tatis iudicem putas esse populum? Fortasse nonnumquamst: utinam uero semper esset! set est
perraro, et si quandost, in iis magistratibus est mandandis, quibus salutem suam committi
putat; his leuioribus comitiis diligentia et gratia petitorum honos paritur, non iis ornamentis,
quae esse in te uidemus: nam quod ad populum pertinet, semper dignitatis inicus iudex est,
qui aut inuidet aut fauet: quamquam nihil potes in te, Laterensis, constituere, quod sit pro-
8 prium laudis tuae, quin id tibi sit commune cum Plancio. Set hoc totum agetur alio loco;
nunc tantum disputo de iure populi, qui et potest et solet nonnumquam dignos praeterire;
nec si a populo praeteritus est, quem non oportuit, a iudicibus condempnandus est, qui prae-

---

§. 6. Quaerit) χ3 *Quaeritur.* — enim) C om. — hoc) D om. — dignitate) Pb et Pc *laude.* — huius) G *h'.* — recipienda) ψ *respicienda.* — suspicio est) Lb, Pb, et Pc *est suspicio*, O *suspicio.* —

sin) ψ *si.* — habenda) Lb om. — habenda est) Pb et Pc *est habenda.* — oratio) ς *ratio.* — dicendum est) Pa *dicendum esse.* — id) Lb, Lc, et H om. — Laterensem) C *Latarensem.* —

aut) in E in rasura, Pb et Pc *ut.* — existimatio) Mc *estimatio.* — offendenda) χ3 *offerenda.* — condicionem) D *condictionem.* — meriti) E *meritis.* — deserenda) *ov* et χ3 *desideranda*, ς *dicenda*, ψ *deferenda.* — est) E om. —

C. III. caecum) Lc, H, et *ov tecum.* — ferri) Ma om, χ3 *fieri.* — te aut a Pl.) B *te a Pl.* — ab ullo) E *ab ulla*, La *ab ullo aut ab illo*, set super *ab ullo* scriptum ab a. m. *a bulbo*, et in marg. notatur *bulbus*, Pa et ς *ab illo.* — potuisse) B om. — superari) Pa *separare.* — discedam) D et ς *discendam*, set in D *n* punctis subnotat.. — contentione) La cum gl. *conditione*, F 1 *condicione.* — ipsa) B om. — deducit) Pa *deducet.* —

§. 7. tune dignitatis) Sic H et S; B *tu magni dignitatis;* E *tum? an dignitatis;* Mc, Lb, O, G, Br., *ov*, Lambb., F 1, 2, et pars Pall. *tu inanem dignitatis;* Pa et ς *tu inane dignitatis;* Pb et Pc *tu inanem dignitatem;* Ma, Mb, Uict. a, La, Lc, χ1, et pars Pall. *tune inanem dignitatis;* D *tu ne manem dignitatis;* ψ *tu me inanem dignitatis;* C et T *tu dignitatis;* Urs. *tu grauem dignitatis.* — esse populum) Lb et Pa *populum esse.* — populum) *ov* populum Rom.. —

utinam — esset) Mb om, set habet in marg. ut ins. a m. diuersa scripta. — uero) Mc et ψ *non.* — sed est) C *sed.* — quando est) La *quando.* — diligentia) Pb et Pc *diligenda.* — paritur) B, *ov*, et ς *patitur*, Pa et C *partitur*, E *paratur* idque pro narietate Br. in margine. — non) Pc *nos.* — in te) C *in re.* —

iniquus) Pith. *unicus.* — iudex est) Pa *iudex.* — fauet) χ3 *faciet.* — potes) E, Ma, Mc, La, Lb, D, H, S, T, *ov*, ς, ψ, et Pith. *potest*, C om. — potes in te) Pa *in te potes.* — quod) Pb, Pc, et *ov quid*, χ3 *quin.* — tibi) Ma om. —

§. 8. alio loco) Pa *ab illo loco.* — nunc tantum) Lb *tamen nunc tantum.* — tantum) *ov autem.* — qui et potest) Ma, La, Lc, D, H, T, et χ3 *qui potest.* — dignos) Mc *et dignos*, H *indignos.* — a populo) *ov appello.* — condemnandus est) Pb et Pc *est condemnandus.* — praeteritus non est) E *praeteritus est*, Mc *praeteritus.* —

teritus non est. Nam si ita esset, quod patres aput maiores nostros tenere non potuerunt, ut reprehensores essent comitiorum, id haberent iudices; uel quod multo etiam minus esset ferendum: tum enim magistratum non gerebat is, qui ceperat, si patres auctores non erant facti; nunc postulatur a uobis, ut eius exilio, qui creatus sit, iudicium populi Romani reprehendatis.

Itaque quamquam qua nolui ianua sum ingressus in caussam, sperare uideor, tantum afuturam esse orationem meam a minuma suspicione offensionis tuae, te ut potius obiurgem, quod inicum in discrimen adducas dignitatem tuam, quam ut ego eam ulla contumelia coner adtingere.

IV. Tu continentiam, tu industriam, tu animum in rem publicam, tu uirtutem, tu inno- 9
centiam, tu fidem, tu labores tuos, quod aedilis non sis factus, fractos esse et abiectos et repudiatos putas? Uide tandem, Laterensis, quantum ego a te dissentiam. Si medius fidius decem soli essent in ciuitate uiri boni, sapientes, iusti, graues, qui te indignum aedilitate iudicauissent, grauius de te iudicatum putarem, quam est hoc, quod tu metuis, ne a populo iudicatum esse uideatur. Non enim comitiis iudicat semper populus, set mouetur plerumque gratia; cedit precibus; facit eos, a quibus est maxume ambitus; denique etiamsi iudicat, non delectu aliquo aut sapientia ducitur ad iudicandum, set inpetu nonnumquam et quadam etiam temeritate.

---

uel quod) Mb *id uel quod,* Uict. a *id uel quod.* — multo etiam minus) Pa *etiam multo minus,* Pb, Pc, D, et O *multo minus etiam*, *ov multo minus.* — esset) Sic B, E, Mb, et Uict. a; ceteri *est.* — ferendum) C *referendum.* — tum) Pb *cum,* ς *tuum.* — gerebat) La cum gl. *ferebat,* Lc et χ3 *ferebat.* — erant) χ3 *essent.* — postulatur) χ3 *enim postulatus.* — eius) Ma et Pa om. — exilio) La cum gl. *auxilio,* Mb *auxilio* (e superscr.), Lb, H, et ψ *auxilio,* set Lb in marg. *exilio* habet. — sit) Pa om. —

Itaque) *ov Ita.* — quamquam) E *iam quō.* — qua) E om, set habet superscriptum, Pa *in qua.* — nolui) B, E, Ma, D, H, χ (sic), Lambb. uno excepto, et aliquot Pall. *uolui,* ς om. — sum) Sic B, E, Mb, Pa, Pb, F 1, et 2; ceteri *sim.* — sum ingressus) Ma om. — ingressus) D *gressus,* set supersc. *in.* — sperare) Ma *spectare.* — tantum) La, Mc, *ov,* et ψ *tamen*, set in La supers. *tantum.* — afuturam) E *affuturam*, Lb *abfuturum*, C et χ3 *affuturum.* — orationem) Ma *rationem.* — obiurgem) Ma, La, O, G, Br., H, *ov,* et ψ *obiurgare*, set in La supers. *obiurgem*, Lb, Lc, C, et χ1 *obiurgere,* D *obiurger,* set *er* in ras.. — quod) χ3 et ψ *quam.* — iniquum in) E *inimicum in*, χ1 *in inimicum in,* Pa *in iniquum in.* — ego eam) E *eam ego,* ς *ego ea,* *ov* om. — ulla contumelia) Pa *contumeliam ullam.* —

C. IV. §. 9. in rem publicam) E, Mc, et D *in re p..* — quod) ψ *quum*, sine dubio *qm̄*, quod ed. Ox. compendium *quum* particulae perperam credidit. — tandem) *ov tamen.* — quantum ego a te) Sic B et E; La *quantum ad te;* ceteri *quantum a te.*

decem) Pa *si decem.* — graues) *ov* om. — iudicauissent) Mc, La, et Lb *iudicassent,* C *iudicarent.* — quam) *ov quamquam.* — tu) ψ *te.* — a populo) C *populo.* —

cedit) La et ψ *cedit populus.* — facit) La et ψ *fauet*, set in La supers. *facit.* — eos) La *eis* cum gl. *eos.* —

etiamsi) Sic B et E; ceteri *si.* — delectu) B, E, Mb, Pb, Pc, Lb, et O *dilectu*, set in Lb supers. *delectu;* Pa *delictu.* — aut) χ3 *ut.* — iudicandum) Pa *iura iudicandum.* — nonnumquam) Ma, Mb, et χ (sic) *nonunquam.* — etiam) B, Mc, et T om. —

Non est enim consilium in uolgo, non ratio, non discrimen, non diligentia; semperque sapien-
tes ea, quae populus fecisset, ferenda, non semper laudanda duxerunt. Quare cum te aedi-
10 lem fieri oportuisse dicis, populi culpam, non conpetitoris accussas. Ut fueris dignior, quam
Plancius: de quo ipso tecum ita contendam paulo post, ut conseruem dignitatem tuam: set
ut fueris dignior, non conpetitor, a quo es uictus, set populus, a quo es praeteritus, in cul-
past. In quo primum illut debes putare, comitiis, praesertim aediliciis studium esse populi,
non iudicium; eblandita illa, non enucleata esse suffragia; eos, qui suffragium ferant, quid
cuique ipsi debeant, considerare saepius, quam quid cuique a re publica uideatur deberi. Sin
11 autem mauis esse iudicium, non tibi id rescindendumst, set ferendum. Male iudicauit popu-
lus: at iudicauit. Non debuit: at potuit. Non fero: at multi clarissumi et sapientissumi ciues
tulerunt. Est enim haec condicio liberorum populorum, praecipueque huius principis populi
et omnium gentium domini atque uictoris, posse suffragiis uel dare uel detrahere quod uelit
cuique; nostrum est autem, nostrum, qui in hac tempestate populi iactemur ac fluctibus, ferre
modice populi uoluntates, adlicere alienas, retinere partas, placare turbatas; honores si magni
non putemus, non seruire populo; sin eos expetamus, non defetigari supplicando.

---

est enim) D *enim est.* — diligentia) χ3 *diligentia: non opportunitas.* — semperque) Lb et χ1 *semper.* — duxerunt) B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pb, Pc, D, O, C, H, T, *ov*, ς, χ1, 3, ψ, F1, et 2, *dixerunt*, set in Lb margini adscriptum *duxerunt.* —

Quare — accusas) *ov* om. — dicis) E *dicit.* — accusas) C *accusa*, ς *causam accusas.* —

§. 10. Ut) Sic B, E, Pa, Pb, Pc, et duo Lallem.; ceteri *At.* — fueris) Lb *si fuisses.* — ipso) Sic E; B *ipse;* ceteri om. — tecum ita) Sic B et E; ceteri *ita tecum.* — sed ut) Lb *si uero.* — a quo) Pb *aliquo.* — es uictus) χ3 *est uictus.* —

primum illud) Ma et Lb *illud primum.* — aediliciis) Pb et Pc *deliciis.* — studium esse) *ov studium est.* — iudicium) Pa *iudicum.* — eblandita) E *et blandita.* — enucleata) B *enudata*, D *enuceata*, set super *c* scr. *l*, et margini adpos. *al' enucleata.* — esse) Ma, Lc, et H om. — eos) Lc, H, et ψ *eosque.* — qui) Lc om. — ferant) Lb et χ (sic) *ferunt.* — cuique) Sic B, E, et plures Lallem.; ceteri *denique.* — debeant) ς *debent*, χ3 *habeant.* — considerare) La, Pb, Pc, O, G, T, χ3, et Lambb. *deliberare*, set in La supers. *considerare.* — saepius) D *quod saepius.* — a re publica) Lb *ab re publica.* — uideatur deberi) B et E *debeatur;* χ1 *uideatur.* —

Sin) C *Sed.* — mauis esse) E *mauis illud esse*, Lc *mauis est*, Ma, Mc, La, Pa, *ov*, ς, χ3, et ψ *maius est*, C *magis est.* — non tibi id) Lb *non tibi*, Pa *nisi tibi ad.* — rescindendum) Ma *resciendum*, C *restinguendum*, χ3 *restituendum.* — ferendum) La cum gl. *referendum*, Ma, Lc, et ψ *referendum.* —

§. 11. tulerunt) ς *non tulerunt.* — Est enim) Lc *Etenim.* — haec) Seruarunt B, E, La, χ1, et 3. — populorum) Pb et Pc *puerorum.* — praecipueque) ς *praecipue.* — et omnium — tempestate populi) T om. — domini) χ1 *domi.* — atque uictoris) Sic E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, et D; de B tacetur; ceteri *ac uictoris.* — uel dare) C *dare.* — cuique) C *cuiusque.* —

nostrum est autem, nostrum, qui) Sic B et E; ceteri *nostrum est autem, qui.* — populi) Lb *pelagi*, set in marg. *populi.* — iactemur) Lb, D, Br., F1, et ψ *iactamur.* — ac fluctibus) E *et fluctibus.* — adlicere) Sic B; E *atlicere;* D *addicere;* ceteri *allicere.* — partas) Pa et *ov paratas*, Pb *portas.* — si) *ov* om. — magni) ς *magnos.* — magni non putemus) D *putemus non magni.* — sin) Pa *si.* — expetamus) B, Pc, D, O, G, C, H, *ov*, ς, χ1, et F1 *expectamus*, Mc et F2 *expetimus*, Pa *expectemus*, Ma *appetamus.* — defetigari) Sic B; ceteri *defatigari.* —

V. Uenio iam ad ipsius populi partis, ut illius contra te oratione potius quam mea dispu- 12
tem. Qui si tecum congrediatur, et si una loqui uoce possit, haec dicat: Ego tibi, Laterensis,
Plancium non anteposui, set cum essetis aeque boni uiri, meum beneficium ad eum potius detuli,
qui a me contenderat, quam ad eum, qui mihi non nimis submisse supplicarat. Respondebis,
credo, te splendore et uetustate familiae fretum non ualde ambiendum putasse. At uero te
ille ad sua instituta, suorumque maiorum exempla reuocabit; semper se dicet rogari uoluisse,
semper sibi supplicari; se M. Seium, qui ne equestrem quidem splendorem incolumem a cala-
mitate iudici retinere potuisset, homini nobilissumo, innocentissumo, eloquentissumo, M.
Pisoni, praetulisse; praeposuisse se Q. Catulo, summa in familia nato, sapientissumo et sanctis-
sumo uiro, non dico C. Serranum, stultissumum hominem: fuit enim tamen nobilis; non C.
Fimbriam, nouom hominem: fuit enim et animi satis magni, et consili; set Cn. Mallium, non
solum ignobilem, uerum sine uirtute, sine ingenio, uita etiam contempta ac sordida. Deside- 13
rarunt te, inquit, oculi mei, cum tu esses Cyrenis: me enim quam socios tua frui uirtute
malebam; et quo plus intererat, eo plus aberas a me; certe te non uidebam. Deinde sitien-

---

C. V. §. 12. Uenio — disputem) *ov* om. — iam) Sic B, E, Ma, Mb, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Ox. et Lambb.; ceteri *nunc*, nisi quod in La supers. *iam.* — mea) Mc *mei.* —

congrediatur) C et T *congrediar.* — una) Mc, La, D, ψ, et F 2 *uiua*, set in La supers. *una.* — loqui uoce) Sic E, Mb, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, et D; de B tacetur; ceteri *uoce loqui.* — haec) B *ac*, La et Pb *hoc.* — dicat) Ma et Lb *dicet.* —

Plancium non) Lb *non Plancium*, χ 3 *Plancius non.* — essetis) *ov caeteris.* — ad eum potius) Sic B et E; ceteri *potius ad eum.* — a me) *ov me*, χ 1 *a me non.* — submisse) E et Mc *summisse.* —

uero) *ov* om. — ille) Ma *illo*, La *iste*, Lc *illa*, H om. — uoluisse) C, H, S, et T om. — semper) E *et semper.* — sibi) Seruarunt B et E. — supplicari; se) Sic B et E; C, H, S, et T *supplicari uoluisse;* ceteri *placuisse.* — semper se dicet — supplicari) Lambinus: „Edendum curaui, *semper se dicet rogari, semper sibi supplicari uoluisse*, partim obscura scripturae ueteris uestigia secutus, partim coniectura ductus." — Seium) ψ *secum.* — ne) Pa *non.* — incolumem) Lb *incolumen.* — potuisset) Lb *non potuisset.* — eloquentissimo) Ma om. —

Q.) Pa om. — C. Serranum stultissimum) Pith. om. — Serranum) Sic e coni.; B, E, Pb, et Grut. *Seranum;* H *Seremnium*, ceteri *Serenum.* — stultissimum) Pa, *ov*, ς, χ 1, 3, et ψ *non stultissimum*, Uict. a, Br., et Lambb. excepto Clericano, qui cum ceteris consentit, *subtilissimum.* — fuit enim tamen nobilis; non C. Fimbriam, nouum hominem) Seruauit B. — enim et animi) Lb *etiam*, *ov enim homo et animi*, Lc *enim*, H *enim animi.* — sed) Pa om, C *sed et.* — Cn. Mallium) Sic Mb; Ma *C. Malium*, La, C, et ψ *Cn. Manilium*, H, S, *ov*, ς, et χ 3 *C. Manlium*, T et χ 1 *Cn. Maulium;* ceteri *Cn. Manlium.* — etiam) Lb om. — ac) Lc *atque* cum gl. *ac*, Pa *et.* —

§. 13. Desiderarunt) C *Desiderant.* — esses) Pc *omnes.* — quam) Mc *quod.* — tua — uirtute) Lb *tuam — uirtutem.* — frui) Mc *uti frui.* — et quo plus) Ma, Lc, H, et ψ *et populus*, Mc et F 2 *et cur etiam quo plus*, La, Lb, Pa, Br., F 1, et Pucc. *et cur quo plus*, id quod G omissa *et* copula pro uarietate in marg. habet, set in La supers. *at et populus*, Pb *ut cur quo plus et populus*, Pc et O *uel cur quo plus et populus*, D, ς, χ 1, et 3 *et plus*, set in D supers. *cur quo* ut inserenda, C et Pith. *et quo populus*, *ov qua populus.* — intererat) ψ *intereat*, F 2 et Pith. *intererant.* — aberas) Mb *aberas* (supers. *t*), E, Ma, Mc, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, *ov*, F 2, et Pith. *aberat*, set Lb in marg. *aberas* habet. — certe te non uidebam) Sic e coni.; B et E *cum te non uidebam;* Pith. om; ceteri *certe non uidebam.* —

Deinde) Lb et Pa *demum.* — sitientem) E *sitientes*, Ma et C *sitiente*, D *scientem.* —

tem me uirtutis tuae deseruisti ac dereliquisti. Coeperas enim petere tribunatum plebis temporibus iis, quae istam eloquentiam et uirtutem requirebant; quam petitionem cum reliquisses, si hoc indicasti, tanta in tempestate te gubernare non posse, de uirtute tua dubitaui; si nolle, de uoluntate; sin, quod magis intellego, temporibus te aliis reseruasti: ego quoque, inquiet populus Romanus, ad ea te tempora reuocaui, ad quae tu te ipse seruaras. Pete igitur eum magistratum, in quo mihi magnae utilitati esse possis; aediles quicumque erunt, idem mihi sunt ludi parati; tribuni plebis permagni interest qui sint. Quare aut redde mihi quod ostenderas; aut si, quod mea minus interest, id te magis forte delectat, reddam tibi istam aedilitatem etiam neglegenter petenti; set amplissumos honores ut pro dignitate tua consequare, condiscas censeo mihi paulo diligentius supplicare.

14 VI. Haec populi oratiost; mea uero, Laterensis, haec: Quare uictus sis, non debere iudicem quaerere, modo ne largitione sis uictus. Nam si, quotienscumque praeteritus erit is, qui non debuerit praeteriri, totiens oportebit eum, qui factus erit, condempnari: nihil est iam, quod populo supplicetur; nihil, quod diribitio, nihil, quod [supplicatio magistratuum] renuntiatio
15 suffragiorum expectetur. Simul ut, qui sint professi, uidero, dicam: hic familia consularist, ille praetoria; reliquos uideo esse ex equestri loco; sunt omnes sine macula, sunt aeque boni uiri atque integri; set seruari necessest gradus: cedat consulari generi praetorium, nec contendat cum praetorio nomine equester locus. Sublata sunt studia, extinctae suffragationes,

---

deseruisti) La *seruisti.* — dereliquisti) E, Ma, et La *reliquisti.* —

tribunatum) χ 3 *tribus.* — quae) C *quo.* — reliquisses) Ma *reliquisti.* — indicasti) Sic Mc, pauci Pall., et Grut.; ceteri *iudicasti.* — si) χ (sic) et S *sed.* — quod) C *quidem.* — reseruasti) Ma et Mb *reseruati.* — ego quoque) B *ego autem.* — inquiet) Sic B; C *nunquam et;* ceteri *inquam et.* — populus Romanus) Sic B et E; Lb, C, et ψ *rei publicae;* ceteri *res publica.* — ad ea te tempora) B, Ma, Lc, et D *ad ea tempora.* — tu te ipse) Pa *tu ipse.* — seruaras) Pa *reseruaras,* χ 1 *reseruas.* —

magistratum) E *macc..* — utilitati) La, C, ς, et χ (sic) *utilitatis.* — aediles) E *aedilis.* — quicumque) La cum gl. *quinque,* Lc et H *quinque,* Pb et Pc *quique.* — erunt) Ma *erit.* — idem) Pb *id,* Urs. *id da.* — mihi) D cum gl. *facient.* — sunt — Quare aut redde mihi) Seruarunt B et E. — ludi) Sic e coni. Ern.; libri *iudices.* — quod ostenderas) Pa *quidem ostenderas.* — aut) La cum gl. *at,* Ma, Lc, et H *at.* — mea) C *in mea.* — minus) Ma *nimis.* — magis forte) Lb *forte magis.* — consequare) C *consequar.* — paulo) Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, H, T, *ov*, ς, χ 1, 3, et ψ *paulo ante.* —

C. VI. §. 14. est) χ 1 om. — mea) C *mea mea.* — haec) D cum gl. *est.* —

Quare uictus — uictus) *ov* om. — debere) Pc *deberem,* F 1 *te debere.* — sis uictus) Pa *sis uictus non debere iudicem quaerere.* —

erit is) χ (sic) *is est.* — is, qui — praeteriri) Pb om. — nihil est iam, quod) Sic E et Lb; C *nihil est, quod iam;* de B tacetur; ceteri *nihil iam est, quod.* — populo) E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pb, Pc, D, H, *ov*, ς, χ 1, et 3 *a populo.* —

nihil quod diribitio) Pa om. — diribitio) Sic B, E, C, H, S, T, et Uict. b; Uict. a *diremptio, ov directio,* ceteri *direptio.* — nihil quod) La *quod* cum gl. *nihil.* — simul) C *similiter.* — ut) *ov et.* — qui) E *et qui,* La et ψ *quid.* — uidero, dicam) Sic B et E; La, Lb, Pa, G, *ov*, et χ 3 *uideo dicam,* set La super *uideo* et G in margine *quid* habent; ceteri *uideo quid dicam.* —

§. 15. hic) *ov* om. — ille) La cum gl. *hic,* H *is.* — esse) La et ψ om. — ex) D om. — loco) *ov* om. — seruari) Mc *seruare.* — gradus) Sic B, E, et Pa; ceteri *gradum.* — generi) Lb in marg. *genus.* — nec contendat) E *ne contendat.* — praetorio nomine) Sic B, E, et Lc; ceteri *praetorio.* —

extinctae) C *extinctaeque.* —

nullae contentiones, nulla libertas populi in mandandis magistratibus, nulla expectatio suffragiorum; nihil, ut plerumque euenit, praeter opinionem accidet; nulla erit posthac uarietas comitiorum. Sin hoc persaepe accidit, ut et factos aliquos et non factos esse miremur; si campus atque illae undae comitiorum, ut mare profundum et inmensum, sic ecferuescunt quodam quasi aestu, ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant: tanto nos inpetu studiorum et motu
temeritatis modum aliquem et consilium et rationem requiremus? Quare noli me ad conten- 16
tionem uostrum uocare, Laterensis. Etenim si populo gratast tabella, quae frontis aperit hominum, mentis tegit, datque eam libertatem, ut quod uelint faciant, promittant autem quod rogentur: cur tu id in iudicio exprimis, quod non fit in campo? Hic quam ille dignior: perquam grauest dictu. Quomodo igitur est aequius? Sic credo: quod agitur, quod satis est iudici: hic factus est. Cur iste potius, quam ego? Uel nescio, uel non dico, uel denique, quod mihi grauissumum esset si dicerem, set inpune tamen deberem dicere: Non recte. Nam quid adsequerer, si illa extrema defensione uterer, populum, quod uoluisset, fecisse, non quod debuisset?

VII. Quid, si populi quoque factum defendo, Laterensis, et doceo, Cn. Plancium non obre- 17
psisse ad honorem, set eo uenisse cursu, qui semper patuerit [hominibus] ortis hoc nostro equestri loco: possumne eripere orationi tuae contentionem uostrum, quae tractari sine contumelia

---

populi) χ3 *populis.* — nihil) Lb *nisi*, set in marg. *nihil.* — accidet) C *accidit;* in D post hoc u. signum ∧, quo inserendum quid esse notatur, positum et in margine scriptum: *ua* ∧ *ut et factos reliquos et non factos esse miremur — cat.* — posthac) La cum gl. *posthoc.* —

persaepe) La *sepe.* — ut et) Mc *ne et.* — non factos) Pb *non sanctos.* — si) χ1 *sin.* — campus) Mc *cā post.* — illae) Lb om. — ecferuescunt) E et Ma *eferuescunt*, Pa *efferuescant*, D *effreuescunt*, χ3 *efrenescunt.* — ut) ς *et.* — ab aliis autem recedant) D habet in marg. ut inserenda. — tanto nos) Sic Mc, La, Lb, Pa, Pb, Pc, O, C, T, *ov*, et χ3, set in La *in* supers.; B et E *tamen nos;* ς *in toto nos;* ceteri *in tanto nos.* — motu) La cum gl. *metu.* — consilium) B *consiliorum.* — requiremus) Sic B, E, et Lc; ceteri *requiramus.* —

§. 16. contentionem) Mc, Pb, et Pc *contionem*, χ3 *condicionem.* — uestrum) Sic Ma, Mb, Mc, La, Lc, D, et Br.; O et G *urm;* F2 om; ceteri *uestram.* — uocare) Sic B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lc, Pb, Pc, D, G, Br., T, χ1, 3, ψ, F1, 2, et Pith.; ceteri *reuocare.* —

Etenim) Ma *Est enim.* — tabella) Ma om, C *tabula.* — eam) *ov* et χ3 om. — autem) La et Lb *aut*, C *at.* — quod rogentur) Mc *atque rogentur.* — tu id in iudicio) Sic B, E, Lc, et O; ceteri *tu in iudicio.* — iudicio exprimis) B et E *iudicio ut fiat exprimis.* — fit) La *sit* cum gl. *fit.* —

Hic) La *et.* — quam) Lb *uel.* — perquam) Pa *postquam*, *ov*, χ3, et ψ *et quam*, ς *per quem.* — aequius) Sic B, E, La, Pa, Pb, et Pc; G *eq'*, in margine uero *uel, equum*, χ3 *equus;* ceteri *aequum.* —

Sic) Ma, D, et ψ *si;* set in D *c* supers.. — quod agitur) D om, set marg. adscr. a manu secunda ∧ *conuenit.* — agitur) Lb *agitatum*, F2 *agitatur.* — iudici) Mb, Mc, et χ3 *iudicii*, F2 *indicii.* —

iste) C *ipse.* — uel denique) H *ut denique.* — mihi) Ma om, χ1 *nihil.* — si dicerem) Sic B et E; Uict. a *dicere;* ceteri *sic dicere.* — deberem) ς *debere.* — Nam) E, Ma, Mb, La, Lc, D, O, G, ς, χ3, ψ, et Lambb. *nunc;* O uero et G in marg. pro uarietate habent *nam;* Lb *nam si.* — quid) La *quod.* — adsequerer) La *assequitur* cum gl. *assequerer.* — illa) La *ulla.* — defensione) Lc *confessione.*

C. VII. §. 17. obrepsisse) Pa om, Ma *obrepisse.* — eo uenisse) Lb *eo conuenisse.* — patuerit) χ3 *patuit.* — ortis) Seruarunt B et E. — hominibus) Mc, La, et aliquot Lambb. *omnibus*, C super *hominibus* habet *ex.* — hoc) La *at*, C *At hoc*, χ3 *haec.* — nostro) D *uestro.* — contentionem) Lc *contemptionem.* — nostrum) Sic B; E, Ma, Mb, La, Lb, Pa, Pb, Pc, C, et χ3 *uestram*, Mc *nostram*, O *urm;* ceteri *uestrum.* —

non potest, et te ad caussam aliquando crimenque deducere? Si, quod equitis Romani filius est, inferior esse debuit: omnes tecum equitum Romanorum filii petiuerunt; nihil dico amplius. Hoc tamen miror, cur tu huic potissumum irascare, qui longissume a te afuit. Equidem si quando, ut fit, iactor in turba, non illum accusso, qui est in summa sacra uia, cum ego ad Fabium fornicem inpellor, set eum, qui in me ipsum incurrit atque incidit. Tu neque Q. Pedio, forti uiro, suscenses, neque huic A. Plotio, ornatissumo homini, familiari meo, et ab eo, qui hos dimouit, potius quam ab iis, qui in te ipsum incubuerunt, te depulsum putas.
18 Set tamen haec tibist prima cum Plancio generis uostri familiaeque contentio, qua abs te uincitur: cur enim non confitear quod necessest? set non hic magis, quam ego a meis conpetitoribus et alias et in consulatus petitione uincebar. Set uide, ne haec ipsa, quae despicis, huic suffragata sint: sic enim conferamus. Est tuum nomen utraque familia consulare. Num dubitas igitur, quin omnes, qui fauent nobilitati, qui id putant esse pulcherrumum, qui imaginibus, qui nominibus uostris ducuntur, te aedilem fecerint? Equidem non dubito. Set si parum multi sunt, qui nobilitatem ament, num istast nostra culpa? Etenim ad caput et ad fontem utriusque generis ueniamus.

19 VIII. Tu es ex municipio antiquissumo Tusculano, ex quo [sunt] plurumae familiae consulares, in quibus est etiam Iuuentia, tot, quot ex reliquis municipiis omnibus non sunt; hic est e praefectura Atinati, non tam prisca, non tam honorata, non tam suburbana. Quantum

---

aliquando) Seruarunt B et E. —

Si, quod) Lb *Siquidem.* — Romani) χ1 *racioni.* — tecum) D in marg. pro uarietate habet *secum.* — Romanorum) χ3 *terrarum*, ψ *Romani.* — tamen) Mb, $o\nu$, Pucc., et Urs. *tantum.* — cur tu huic) B et E *cur huic;* Pa *cur tu hoc.* — irascare) C et T *irascere.* — afuit) Ma et χ3 *affuit.* —

Equidem) Ma *Etenim,* H *Et quidem.* — si) Lb *etsi.* — fit) C *fiat.* — iactor in) χ3 *iactatorum.* — est) Lc et H om. — ego) $o\nu$ om. — fornicem) Mc *phormionem.* — in) $o\nu$ om. — incurrit) Arusianus Messius p. 382. *incumbat.* —

neque) D *ne quae* cum gl. *neque.* — Pedio) χ3 *Podio.* — suscenses) Sic E; Ma *subcenses,* ceteri *succenses.* — A.) Ma *al.* — et ab eo) La *ab eo.* — hos) Lb *eos,* D *uos.* — dimouit) E et D *demouit,* $o\nu$ *domuit.* — in te ipsum) Ma, Pa, et χ3 *te ipsum*, Lc *te in ipsum.* —

§. 18. tamen) Ma, Lc, et H om. — haec tibi est) Ma *haec est tibi.* — uestri) Ma et D *nostri.* — uincitur) C *uicitur.* — confitear) Mb *confiteatur.* — Sed) Lb *si.* — non hic) La *hic non,* Lb *non hoc,* C *non haec.* — et alias et) Mc *etiam.* — alias) Mb, Lb, Pa, Pb, Pc, O, et ς *aliis.* — in) C, T, $o\nu$, et χ3 *etiam in.* — uincebar) C *uincebat.* —

haec) T om. — suffragata) T, $o\nu$, et χ3 *suffragia.* — sint) Lb *sit.* — utraque) $o\nu$ *utrum,* ς *tuaque.* — Num) Ma, Mb, Mc, La, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br., C, H, ς, χ1, et ψ *Non.* — dubitas) Ma et H *dubites.* — omnes) $o\nu$ *eos.* — ducuntur) Lc *diountur.* — fecerint) La cum gl. *fecerunt,* Pb *fecerunt.* — num) Pc *unde.* — est) Lb om. — nostra) C, T, et F 1 *uestra.* — ad caput) Mb et ς *et ad caput.* — et ad) Ma, Lc, et H *et.* — utriusque generis) E *generis utriusque.* —

C. VIII. §. 19. ex) E *e.* — sunt plurimae familiae) Sic B; E *plurimae sunt familiae;* ceteri *plurimae familiae sunt.* — est) B om. — Iuuentia) Ma, Mb, Mc, D, O, $o\nu$, ς, χ1, et ψ *inuentitia*, H *in uentitia*, Lc, Pa, Pb, et Pc *iuuentitia*, C *in uegintina.* — tot, quot ex) Sic ego ex coni.; B, E, et La *tot ex;* set in La super *tot* scriptum *quot;* Mc, Lb, Pa, Pb, Pc, O, G, Br., C, F1, 2, Pith., et Lall. *tot e;* $o\nu$, ς, χ1, et ψ *tot;* D *ut e* cum gl. *tot;* H *quot;* ceteri *quot e.* — non sunt) Lb *non est alia super.* —

e) E *ea.* — Atinati) E *pro · n · atinati;* D *Attinati*, et sic constanter; Mc et C *Arpinati.* — tam prisca) D *prisca.* —

interesse uis ad rationem petendi? Primum utrum magis fauere putas Atinatis, an Tusculanos suis? alteri: scire enim hoc propter uicinitatem facile possum: cum huius ornatissumi atque optumi uiri, Cn. Saturnini, patrem aedilem, cum praetorem uiderunt, quod primus ille non modo in eam familiam, set etiam in praefecturam illam sellam curulem adtulisset, mirandum in modum laetati sunt; alteros: credo, quia refertumst municipium consularibus, nam maleuolos non esse certo scio: numquam intellexi uehementius suorum honore laetari. Habemus 20
hoc nos, habent nostra municipia. Quid ego de me, de fratre meo loquar? quorum honoribus agri prope dicam ipsi montesque fauerunt. Num quando uides Tusculanum aliquem de M. Catone illo, in omni uirtute principe, num de Ti. Coruncanio, municipe suo, num de tot Fuluiis gloriari? uerbum nemo facit. At in quemcumque Arpinatem incideris, etiamsi nolis, erit tamen tibi fortasse etiam de nobis aliquid, aliquid certe de C. Mario audiendum. Primum igitur hic habuit studia suorum ardentia; tu tanta, quanta in hominibus iam saturatis honoribus esse potuerunt; deinde tui municipes sunt illi quidem splendidissumi homines, set tamen pauci, 21
si quidem cum Atinatibus conferantur; huius praefectura plena uirorum fortissumorum, sic ut nulla tota Italia frequentior dici possit. Quam quidem nunc multitudinem uidetis, iudices, in

---

interesse uis) χ1 *interest ius*, ψ *interesse ius*. — petendi) χ1 *attendi*. —

utrum) Ma *uerum*. — Atinates) Mc *attinates*, Pa *atinatos*, χ3 *Attinatos*. — Tusculanos) Lb *Tusculanis*. — alteri) Pa *alterius*. — enim) Lc om. — facile) La cum gl. *facere*, Lc *fatere*, H *et facere*. — possum) Ma, H, et χ1 *possunt*. — Saturnini) D *Saturni*. — cum) Mc *tum*. — uiderunt) Pc et χ3 *uiderent*. — primus) Mb *inprimis*, set a m. diu. supers. *l' primus*. — ille) *ov* om. — eam) Lc *illam*. — praefecturam illam) Lb *praefectura illa*. — illam) Ma, Mb, Lc, D, H, S, et ς om, *ov illa*. — sellam) Ma *sedem*. — laetati) χ3 *delectati*. —

refertum) *ov interfectum*. — municipium) C *municipum*. — nam) La cum gl. *non*, Lc *non*, χ3 *num*. — maleuolos) B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, O, G, Br., et F2 *maliuolos*; D *maniuolos*. — certo) Ma, Mc, La, Lb, Lc, D, O, G, Br., H, T, et χ3 *certe*. — suorum) Sic ex coni.; B et E *suorum municipum*, nisi quod B *municipium* scribit; La, Lb, Lc, D, *ov*, χ1, et ψ *hospitium suorum*, Urs. *hominum suorum*; ceteri *hospitum suorum*. — honore) B om. —

§. 20. Habemus) C *Haberemus*, ς *Habeamus*. — hoc) Mc *haec*. — nostra) *ov uestra*. — Quid ego) Pc et O *quod ego*. — de fratre meo) Lb *quid de fratre meo*. — agri prope dicam ipsi) E *agri ipsi prope dicam*. — montesque) Pa *montes*. —

Num) Pa *non*, C *nunc*. — quando) Ma, Mb, Uict. a, Lb, Lc, Pa, H, S, ς, χ (sic), et G (in margine) *aliquando*. — illo) La et ψ *illum*. — principe) La *principem*. — Ti. Coruncanio) Ma et Mb *T. coruncano*, Mc *C. Coruncano*, Lc *Ti. Corrunchano*, D *Ti. Coruntano*, C, H, et S *Ti. Coruncano*. — municipe suo) Mb et ς om, set Mb habet in marg. ut inserenda. — Fuluiis) Sic E (*fuluis* scribens), C, H, S, T, et ψ; B *Flulius*, D *filiis*, ceteri *Fabiis*. —

At) E *ad*, Lb *Aut*. — incideris) E *inciderit*. — nolis) χ3 *nobis*. — tamen tibi) Pa *tibi*, D *tibi tamen*. — fortasse etiam de nobis aliquid, aliquid sed certe de) Sic B; E *fortasse etiam de nobis aliquid. sed certe de*; ψ *fortasse etiam de nobis aliquid, aliquid certe de*; χ1 *fortasse de nobis aliquid, aliquid certe de* (sic habere ψ et χ1 ex silentio ed. Ox. colligendum est, quamquam mihi secus uidetur); Lc *fortasse etiam de nobis aliquid, aliquid et de*; Pa, C, H, S, T, et χ3 *fortasse etiam de nobis aliquid et de*; Mc, Lb, et O *fortasse de nobis aliquid, aliquid et de*; ceteri *fortasse de nobis aliquid et de*. — C.) Mb *G.*, D *gn.*. — habuit) *ov habuerit*. — tu) Pa *tum*. — hominibus) C *omnibus*. —

§. 21. Deinde) *ov Denique*. — Atinatibus) Mc *arpinatibus*, D *actinatibus*, C *Attinatibus*. — huius) La et ψ *huiusmodi*, Mc *huius moi*. — sic ut) E *sicut*. — multitudinem uidetis) Inde a uerbo *mul-*

squalore et luctu supplicem uobis. Hi tot equites Romani, tot tribuni aerarii: nam plebem a iudicio dimisimus, quae cuncta comitiis adfuit: quid roboris, quid dignitatis huius petitioni adtulerunt? Non enim tribum Terentinam, de qua dicam alio loco, set dignitatem, set oculorum coniectum, set solidam et robustam et adsiduam frequentiam praebuerunt. Nostra municipia coniunctione etiam uicinitatis uehementer mouentur.

22 IX. Omnia quae dico de Plancio, dico expertus in nobis: sumus enim finitumi Atinatibus. Laudandast uel etiam amanda uicinitas, retinens ueterem illam offici rationem, non infuscata maleuolentia, non adsueta mendaciis, non fucosa, non fallax, non erudita artificio simulationis uel suburbano uel etiam urbano. Nemo Arpinas non Plancio studuit, nemo Soranus, nemo Cassinas, nemo Aquinas. Tractus ille celeberrumus, Uenafranus, Allifanus, tota denique nostra illa aspera et montuosa et fidelis et simplex et fautrix suorum regio se huius honore ornari, se augeri dignitate arbitrabatur. Isdemque nunc a municipiis adsunt equites Romani pu-

---

titudinem usque ad *uidetis* in Pa lacuna est unius lineae, neque tamen quicquam eorum desideratur, quae in ceteris codicibus extant. — supplicem uobis) Lc *supplices uotis*, χ3 *supplicem. Nobis.* —

Hi) D *hii.* — aerarii) E *aerari*, Ma *aeretini*, Mb *aericini*, Mc, Lb, et O *aeritini*, D *acritini*, Lc *aerituu*, La *attinatium* cum gl. *attinatini*, C *Attinatinii*, H *Atinatini*, T *Actinatini*, ov et χ3 *aretini*, F1 et 2 *Atatini*, Pith. *caeretini.* — dimisimus) F1 *diuisimus.* — adfuit) E, Mb, Mc, et D *affuit*, Ma et χ1 *abfuit.* — attulerunt) C *attulerit.* —

enim) La om. — tribum) Pa et χ1 *tribuni*, C *tribunum.* — Terentinam) B et E (et hi quidem constanter), Mb, Mc, D, O, ς, et χ1 *Teretinam*, Ma *terentianam*, La *tetenimam*, Lb *Terrentinam.* — dignitatem) χ (sic) *ueritatem.* — sed oculorum) Uict. b in codice *c* pro *sed* extare *non* monuit. — et robustam et assiduam) Ma *et adsiduam et robustam.* — praebuerunt) χ1 et 3 *tribuerunt.* —

Nostra municipia) Sic B et E; ceteri *Iam municipia.* — coniunctione) χ1 *conuentione.* — mouentur) C *monentur*, ψ *mouetur.* —

C. IX. §. 22. in nobis) Pa *in uobis.* — enim) H *omnes*, χ3 om. — Atinatibus) Mc *attinatibus.* — Laudanda est) La et F1 *laudanda est enim*, Lb *laudanda.* — amanda) χ1 om. — uicinitas) Lb *uicinitas est.* — illam) Sic B; Lc, H, et ψ *illius;* ceteri cum Eybio *illum.* — rationem) Sic ego emendaui; B *mentem*, C *amorem*, ceteri cum Eybio *morem.* — non infuscata) Mc, La, et ψ *in non infuscata*, C *non offuscata.* — maleuolentia) E, Ma, Mb, Mc, D, O, G, Br., et codex Lamb. *maliuolentia.* — fucosa) Sic B et E; ceteri *fucata.* — uel etiam urbano) Eybius *uel urbano.* —

Soranus) E, Ma, Mb, Pa, Pb, Pc, D, O, C, ς, χ1, ψ, et F (sic) *Sopanus*, Mc *soparius*, T *Velpanus.* — Cassinas) Sic B, Ma, Mb, Mc, La, Pa, Pc, D, O, G, C, et F (sic); ceteri *Casinas.* — Tractus ille) Sic B et E; Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, Ox., G, et Br. *totus ille;* Uict. a *totus ille tractus*, id quod ceteri libri uideri possunt habere. — Uenafranus) Pa, D, et C *Uenefranus.* — Allifanus) E *allisanus*, Mc, Pa, D, et C *Alifanus*, ψ *Allifranus.* — tota denique) Pb et Pc *denique tota.* — nostra illa) E *a nostra ita*, Ma et Pa *illa nostra*, D *uestra illa.* — montuosa) H *montosa*, χ3 *modiosa.* — et fautrix) Pb *aut fautrix.* — se) E *sed.* — huius honore ornari) Pb et Pc *huius ornari honore*, D *honore huius ornari.* — arbitrabatur) La, Lc, D, Br., H, et ψ *arbitrabantur.* —

Iisdemque) La *atque* cum gl. *iisdemque*, Mc *iisdem atque*, Pa *is denique*, ψ *iis denique*, F1 *hisque.* — nunc) Ma *non.* — a) E, Mc, La, Lc, C, H, ψ, F1, et Br. *ex;* Ma, Mb, Lb, Pb, Pc, D, O, G, *ov*, ς, et χ1 *e;* Pa *est;* χ3 *et.* — equites) Mc om. — Romani publice cum) Ma, *ov*, ς, χ1, et 3 *r. p. cum;* D *re p. cum;* La et Lb *rei publicae cum*, set in La superscriptum *romani plurimi;* Mb, Lc, et H *Romani plurimi cum;* Mc et F2 *Romani cum.* —

blice cum legatione et testimonio, nec minore nunc sunt sollicitudine, quam tum erant studio.
Etenim est grauius spoliari fortunis, quam non augeri dignitate. Ergo ut alia in te erant in- 23
lustriora, Laterensis, quae tibi maiores tui reliquerant, sic te Plancius hoc non solum muni-
cipi, uerum etiam uicinitatis genere uincebat: nisi forte te Labicana, aut Gabina, aut Bouil-
lana uicinitas adiuuabat; quibus e municipiis uix iam, qui carnem Latinis petant, reperiuntur.
Adiungamus, si uis, id quod tu huic obesse etiam putas, patrem publicanum: qui ordo quanto
adiumento sit in honore, quis nescit? Flos enim equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis,
firmamentum rei publicae publicanorum ordine continetur. Quis est igitur, qui neget, ordinis 24
eius studium fuisse in honore Planci singulare? Neque iniuria: uel quod erat pater is, qui est
princeps iam diu publicanorum; uel quod is ab sociis unice diligebatur; uel quod diligentis-
sume rogabat; uel quia pro filio supplicabat; uel quod huius ipsius in illum ordinem summa
officia quaesturae tribunatusque constabant; uel quod illi in hoc ornando ordinem se ornare,
et consulere liberis suis arbitrabantur.

---

legatione et testimonio) Sic e coni.; B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lc, Pa, Pc, D, O, G, Br., C, H, S, *ov*, ς, χ1,3, Pith., F1 et 2 *legatione testimonio;* in D inter uerba *legatione testimonio* superscriptum a manu recentiore *et*, set non addito signo, quo textui quid inserendum indicatur; Lb *legatione testimonioque;* ceteri *legationis testimonio.* — nunc) C *nec.* — sunt) E, *ov*, et χ3 om. — quam tum) La et H *quam tunc*, Pa, Pb, et Pc *quam*, C *quantum*, χ3 om. — Etenim — dignitate) χ3 om. — dignitate) ς *dignitatem.* —

§. 23. Ergo) Mc *Ego.* — in te erant) Lc *erant in te.* — Laterensis) Ma om, χ3 *leterensi.* — tui) Pa om. — reliquerant) H *reliquerunt.* — etiam) *ov* om. — forte te) Ma, Pb, et Pc *forte.* — Labicana) Sic B et E; Lambino monente etiam alii quidam; Mc *lanitana;* C et F1 *Lauitana;* ceteri *Lauicana.* — aut Gabina, aut Bouillana) Sic, A confirmante, B, Pa, et Pb; Lb *aut gauina aut bouilana;* E *aut gabina. aut bouillana. aut gabinis;* Mb, Mc, La, Lc, et F2 *aut gabina, aut bouillana, aut sabina;* Ma *aut gabina aut hauillana aut sabina;* Pc *an Gabina an Bouillana aut Gabinas;* F1 *aut Gabina aut Sabina;* D *an gambina, aut bonilana, aut subina;* *ov an Gabina, aut Bouillana, aut Gabinas;* ς *an Gabina, aut Bouilana, aut Sabina;* χ1 *an Gabina, aut Bouillana, aut Gabina;* ψ *aut Bouillana, aut Sabina;* C *aut Baiulana aut Gabina aut Sabina;* H, S, G, et Br. *aut Bouillana, aut Gabina aut Sabina;* ceteri *aut Bouillana aut Gabina.* — uicinitas) Ma *te uicinitas*, C, H, S, T, *ov*, et χ3 *ciuitas.* —

quibus — publicanum) A habet. — e) *ov est.* — iam) χ1 *tam.* — qui) A om. — carnem) ψ *carmen.* — Latinis) Mb in margine habet a sec. m. scriptum *Laniis*, Mc *lacrymis.* — reperiuntur) Sic A, B, et E, nisi quod A *repperiuntur* scribit; ceteri *inueniuntur.* —

Adiungamus) Sic A; ceteri *adiungam.* — huic obesse etiam) Sic B et E; A *huic abesse etiam;* χ3 *huic abesse;* ceteri *etiam huic obesse.* —publicanum) Pa *in publicanum.* — ordo) Lb om. — adiumento) Pa *numero.* — in) Lb om. — honore) G cum gl. in margine scripta *u. obtinendo.* —

Flos) C *qui Flos.* — Romanorum) C om. — ordine) Pb et Pc *ordines.* — continetur) ψ *continentur.*

§. 24. est) Lb *enim.* — igitur) Ma, Mb, Lc, H, S, ς, et χ1 *ergo*, Pa om. — ordinis eius) E *eius ordinis*, Lb *ordine.* — honore) *ov honorem.* — Plancii) C *P. Planeii*, ψ *Planeiis.* — pater is) χ3 *patris.* — est) C *erat.* — princeps iam diu) Pa *tam princeps tam diu.* — publicanorum) Pa *plurimorum.* — uel quod ab sociis — supplicabat) A habet *is* omittens. — ab sociis) Ma, Mb, La, et D *a sociis.* — uel quod huius) Sic B et E; ceteri *uel quia huius.* — in illum) Mc *in ipsum.* — ordinem — ornando) C et T om. — officia) Lb *officina.* — ordinem se) E, Mc, La, et Br. *ordine se;* ψ om. — consulere) Lc *consulem.* — arbitrabantur) C *arbitrabatur.* —

X. Aliquid praeterea: timide dicam, set tamen dicendumst: non enim opibus, non inuidiosa gratia, non potentia uix ferenda, set conmemoratione benefici, set misericordia, set precibus aliquid adtulimus etiam nos. Appellaui populum tributim, submisi me et supplicaui;
25 ultro mehercule se mihi etiam offerentis, ultro pollicentis rogaui. Ualuit caussa rogandi, non gratia. Nec si uir amplissumus, cui nihil est quod roganti concedi non iure possit, de aliquo, ut dicis, non inpetrauit, ego sum adrogans, quod me ualuisse dico. Nam ut omittam illut, quod ego pro eo laborabam, qui ualebat ipse per sese, rogatio ipsa semper est gratiosissuma, quaest officio necessitudinis coniuncta maxume. Neque enim ego sic rogabam, ut petere uiderer, quia familiaris esset meus, quia uicinus, quia huius parente semper plurumum essem usus, set ut quasi parenti et custodi salutis meae. Non potentia mea, set caussa rogationis fuit gratiosa. Nemo mea restitutione laetatus est, nemo iniuria doluit, cui non huius in me
26 misericordia grata fuerit. Etenim si ante reditum meum Cn. Plancio se uolgo uiri boni, cum hic tribunatum peteret, ultro offerebant: cui nomen [meum] absentis honori fuisset, ei meas praesentis preces non putas profuisse? An Minturnenses coloni, quod C. Marium e ciuili ferro atque ex inpiis manibus eripuerunt, quod tecto receperunt, quod fessum inedia

---

C. X. Aliquid praeterea — adtulimus etiam nos) A habet, media *non enim* — *misericordia* omittens. — Aliquid) χ1 et 3 *aliud.* — timide dicam) Sic A; F1 et 2 *dico timide;* D *timide*, set *dico* marg. adsc. ut inserendum; ceteri *timide dico.* — est) Mc, Lc, H, ς, et χ (sic) om. — non) ς *sed;* pro qua particula negatiua — tres enim adsunt — non dixit ed. Ox.. — sed misericordia) Pb et Pc om. — attulimus etiam nos) F1 *etiam attulimus nos*, C *attulimus et nos.* —

tributim) Sic B et E; Pc et G *tribuum;* T *tribulus;* χ3 *tribunus;* D om, set habet in marg. *tribubus* ut inserendum; ceteri *tribubus.* — submisi) E, Mc, et F1 *summisi;* χ3 *summissime;* ψ *summis.* — ultro meh. — rogaui) A habet. — mehercule se) Sic Mb, La, Pa, Pb, Pc, et D; A *mercule se;* E *mehercule esse;* Mc *mehercules sed;* ceteri *mehercules se.* — mehercule — ultro) C om. — offerentes) Mc *offerrentes se.* —

§. 25. Ualuit — quod roganti) C om. — Nec si uir — impetrauit) A habet. — si) Lb *sic.* — concedi) ς om. — non iure) Pb et Pc *iure non.* — quod me) Pucc. et Pith. in U. L. Graeui *qui me*, set in nota Graeui Pith. dicitur cum ceteris *quod me* habere. — ut) Mc *nec.* — illud, quod) Mc, La, et ψ *illud rogans quod.* — ego) χ3 om. — sese) Lc *se.* — rogatio — gratiosissima) A habet, pro *ipsa* scribens *haec.* — ipsa semper) F (sic) *semper ipsa.* — gratiosissima) Mc, Pa, et ψ *gratissima.* — quae est officio necessitudinis) B *quae officio necessitudinis;* La et Lb *quae officio necessitudinis est.* — necessitudinis — esset) C *ne.* —

Neque enim ego) Sic B, E, Lb, Lc, C, et ς; ceteri *Neque ego.* — huius parente semper) La *semper huius parente.* — plurimum) La om, set habet super sequens *sed* superscriptum. — custodi salutis meae) Sic B et E; Uict. a *custodi modo;* χ3 *custodi;* ceteri *custodi meo.* — fuit) B om. — gratiosa) La, χ3, et ψ *gloriosa*, set in La supers. *gratiosa.* — mea) χ1 *in ea.* — misericordia grata) La cum gl. *merita gratia;* Ma *merita grata.* — fuerit) C om. —

§. 26. Etenim) C *Et.* — se) ψ *si.* — nomen meum) E *meum nomen*, T *non meum.* — absentis) Seruarunt B et E. — ei) C *et.* — praesentis) E, Ma, Mb, Mc, La, Lc, Pa, Pc, D, O, C, H, χ1, 3, et ψ *praesentes.* — An Mint. — eripuerunt) A habet. — Minturnenses) A *Minturnensem*, D, C, et χ3 *Miturnenses.* — C.) D *gn..* — e ciuili) Sic A; B *ex ciuili;* ceteri *ciuili.* Falsa refert Graeuius, Erfurtensem *ex ciuili* habere dicens. — ferro) Sic A; Urs. et Pal. 7. *cruore;* O *cuore;* ceteri *errore.* — atque ex) Pa *ex*, D, T, et ψ *atque.* — eripuerunt) Mc et Lc *eripuerint*, χ3 *arripuerunt.* — quod tecto receperunt) Ma, Mb, Lc, H, S, ς, et χ1 om; set in Mb margini adscr. ut inserenda; Mc *quod tecto receperint.* — inedia) ψ *media.* —

fluctibusque recrearunt, quod uiaticum congesserunt, quod nauigium dederunt, quod eum linquentem terram eam, quam seruarat, uotis ominibusque prosecuti sunt, aeterna in laude uersantur: Plancio, quod me uel ui pulsum uel ratione cedentem receperit, iuuerit, custodierit, his et senatui populoque Romano, ut haberent quem reducerent, conseruarit, honori hanc fidem, misericordiam, uirtutem fuisse miraris?

XI. Uitia mehercule Cn. Planci res eae, de quibus dixi, tegere potuerunt: ne tu in ea uita, de qua iam dicam, tot et tanta adiumenta huic honori fuisse mirere. Hic est enim, qui adulescentulus cum A. Torquato profectus in Africam sic ab illo grauissumo et sanctissumo atque omni laude et honore dignissumo uiro dilectus est, ut et contuberni necessitudo et adulescentuli modestissumi pudor postulabat. Quod, si adesset, non minus ille declararet, quam hic illius frater patruelis, et socer, T. Torquatus, illi omni et uirtute et laude par; qui est quidem cum illo maxumis uinculis et propinquitatis et adfinitatis coniunctus, set ita magnis amoris, ut illae necessitudinis caussae leues esse uideantur. Fuit in Creta postea contubernalis Saturnini, pro- 27

---

fluctibusque) Pa, C, et χ3 *fluctibus.* — recrearunt) Mc *recreauerint*, F1 *confectum recrearunt.* — congesserunt) C *concesserunt.* — congesserunt, quod nauigium) Ma, Lc, et D *congesserunt nauigium.* — eum) χ3 *cum.* — eam, quam) Mc *tamquam.* — seruarat) Sic B et E; D *seruauerant;* ceteri *seruauerat.* — uotis ominibusque) Sic ego corr.; B *uotis omnibusque lacrimis;* E *uotis omnibus lacrimisque;* Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, D, O, Ox., Gruterr., Lambb., Pith. *lacrimis uotisque omnibus;* Pa, Pb, Pc, et unus Lall. *lacrimis uotisque ominibus;* unus χ3 pro *uotisque* scribit *uocisque.* — prosecuti) Ma *persecuti.* — quod me — cedentem) A habet. — uel) Mc om. — ui pulsum) Ma, La, Lb, Lc, Pc, D, O, H, T, ς, et χ3 *impulsum*, χ1 *uel impulsu.* — uel ratione) C *uel Romae,* T om. — cedentem) Uict. a *cedentem tempori.* — iuuerit) χ1 *uicerit.* — et his) Mc, C, et T *et is*, et sic Br. a pr. manu, a sec. *et is.* — et) E et Mc *ut.* — populoque) Pa *populo.* — haberent) χ3 *haberet.* — quem) Sic B, E, Lb, Pa, Pb, Pc, et unus Lallemandi; ceteri *quod.* — misericordiam, uirtutem fuisse miraris) Ma *fuisse miraris misericordiam uirtutem*, χ3 *misericordia*, *uirtute esse miraris.* —

C. XI. §. 27. Uitia) Mc *Uita*, D *Uitam.* — Cn. Plancii res eae) Sic B et E; ceteri *res hae Cn. Plancii*, nisi quod F1 pro *res hae* habet *hae res*, et pro *hae* Ma et χ3 *haec*, Mc et O *heae*, et D et H *huius.* — dixi, tegere) E *dixit agere*, Ma *tegere*, La et ψ *dixi me tegere.* — tu in ea) D *tu mea*, χ3 *tamen ea.* — mirere) La cum gl. *mireris*, ς *merere*, H om. —

Hic est — grauissimo uiro dilectus est) A habet, media *et sanctissimo* — *dignissimo* omittens. — Hic est enim, qui ad.) B et La *Hic enim qui ad.;* Pa et D *Hic est enim ad..* — A.) A *Aulo*, C *Allo.* — Torquato) Pb et Pc *Torquatomenta.* — illo — honore) ς om. — grauissimo et) E *grauissimo uiro et.* — sanctissimo) Lb *sanctissimo uiro.* — et honore) Ma om. — ut et) ς *ut.* — contubernii) Ma *contuberni.* — adolescentuli) E *adolescentis.* — modestissimi) Lb *modestissimus* cum gl. *est*, χ1 *honestissimi.* — postulabat) H *postulat.* —

Quod) Sic B, E, Ma, Mb, Mc, D, O, Br., Lambb., aliquot Gruterr., et Ox. praeter ψ, qui cum ceteris *qui* habet; La tamen supers. habet *quod*, et G in margine *uel quod.* — adesset) La cum gl. *adest.* — minus) C om. — illius frater) E *illustrator*, Ma *eius frater*, χ1 *illius pater.* — T.) E *tuus*, Mc *C..* — Torquatus) ς om. — illi omni) E *omni illi*, La *illi et omni.* — et uirtute) Sic E, Lb, Pa, Pb, Pc, D, G, Br., C, et χ3; de B tacetur; ceteri *uirtute.* — quidem) χ3 *quid.* — coniunctus) Ma *propinquus.* — magnis) Sic e coni. Pantagathi; C *causae* (a m. recentiore), χ3 *magis;* ceteri *magni.* — ut illae) La *causae illae ut*, ψ *causae ut illae*, Mc *illae.* — necessitudinis) Ma, La, C, χ1, et 3 *necessitudines.* — Fuit — Metelli) A habet. —

Saturnini) Mc *Saturni*, D *Saturnii.* —

pinqui sui, miles huius Q. Metelli; cui cum fuerit probatissumus, hodieque sit, omnibus esse se probatum debet sperare. In ea prouincia legatus fuit C. Sacerdos, qua uirtute, qua constantia uir? L. Flaccus, qui homo, qui ciuis? qualem hunc putent, adsiduitate testimonioque
28 declarant. In Macedonia tribunus militum fuit; in eadem prouincia postea quaestor. Primum Macedonia sic eum diligit, ut indicant hi principes ciuitatum suarum; qui cum missi sint ob aliam caussam, tamen huius repentino periculo conmoti huic adsident, pro hoc laborant; huic si praesto fuerint, gratius se ciuitatibus suis facturos putant, quam si legationem suam et mandata confecerint. L. uero Apuleius hunc tanti facit, ut morem illum maiorum, qui praescribit in parentum loco quaestoribus suis praetores esse oportere, officiis beneuolentiaque superarit. Tribunus plebis fuit; non fortasse tam uehemens, quam isti, quos tu iure laudas, set certe talis, quales si omnes semper fuissent, numquam desideratus uehemens esset tribunus.

29 XII. Omitto illa, quae si minus in scaena sunt, at certe cum sunt prolata, laudantur: ut uiuat cum suis; primum cum parente: nam meo iudicio pietas fundamentumst omnium uirtutum: quem ueretur ut deum: neque enim multo secus est parens liberis: amat uero ut sodalem, ut fratrem, ut aequalem. Quid dicam cum patruo? cum adfinibus? cum propinquis? cum hoc Cn. Saturnino, ornatissumo uiro? cuius quantam honoris huius cupiditatem fuisse creditis, cum uidetis luctus societatem? Quid de me dicam, qui mihi in huius periculo reus esse uideor? quid de his tot uiris talibus, quos uidetis ueste mutata? Atqui haec sunt [indicia] so-

---

sui, miles) ψ *similes.* — huius) Pa om. — cui) Sic Mb, La, et H, set La in marg. habet *quod;* ψ *cui qui;* E, Ma, Lb, Pc, D, C, S, ς, χ1, et 3 *qui* (in D a m. rec. supers. *bus* ∧); ceteri *quibus.* — esse se) Mb *esse sese,* χ (sic) *esse.* — probatum) χ3 *speratum.* — L.) In D supers. ut inserendum. — Flaccus) Pb *factus.* — declaraut) In D super *ra* scriptum *ra* ut inserendum. —

§. 28. tribunus) Pc *tunc.* — militum) E *miles.* — tribunus militum fuit) Ma et Lc *fuit tribunus militum.* — in eadem) Lb et Pa *in ea.* — quaestor) La *fuit questor.* — indicant) La *iudicant* cum gl. *indicant,* C *iudicantur.* — hi) La *illi,* C *ii.* — cum) C *tum;* et sic fuit in D, set *t* a m. rec. in *c* mutatum. — sint) D, C, χ1, et 3 *sunt.* — ob) χ3 *ad.* — tamen) La *tamen tum.* — commoti) Pa *moti.* — huic assident) χ3 om. — huic si — putant) C om. — ciuitatibus suis) D *suis ciuitatibus.* — quam si) C *quasi.* — legationem suam et mandata) Sic B et E; ceteri *legationem et mandata sua.* — confecerint) C *concesserint.* —

hunc) Ma *homo.* — facit) La cum gl. *fecit,* Ma, Mb, Lc, D, ς, χ1 et 3 *fecit.* — praescribit) Ma *perscribit.* — officiis) χ1 *officio.* — superarit) C *superaret.* — Tribunus pl. — tribunus) A habet. — uehemens) ς *uehemens esset tribunus.* — talis, quales) Pc *qualis tales.* — quales) La cum gl. *qualis,* Mc *qualis* cum gl. *quales,* χ3 *qualis.* — omnes) χ3 *omnis.* — semper) χ3 om. — uehemens esset) Br. *esset uehemens,* Pa et χ3 *uehemens esse,* C *uehemens.* —

C. XII. §. 29. in scena) Sic B, E, Mc, Lb, Pa, Pb, Pc, G, Br., C, T, ς, χ3, ψ, Lambb., Gruterr., et F1 in margine pro uarietate; La *insana* cum gl. *necessaria;* ceteri *necessaria.* — at) La cum gl. *et,* Pa *ac.* — cum sunt) Mc, H, et F *cum sint.* — prolata) Pa *probata.* — uiuat) D *uiuit,* set in ras., fuit enim *uiuat.* — fundamentum est) Ma, La, et Lb *est fundamentum;* Pb, Pc, O, et C *fundamentum.* — omnium uirtutum: quem) C *omniumque uirtutumque.* — quem) D cum gl. *patrem,* χ3 et ψ *quam.* — neque) Ma, Lc, et D *nec.* — enim) Pa om, Ma, Mb, Lc et H *uero.* — secus est parens) Sic B et E; ceteri *secus parens.* — amat) ψ *amant.* — ut sodalem) Lb *sodalem ut.* — ut fratrem) χ1 *fratrem.* — cum patruo) Pb om, D *ut patruo.* — Cn.) E et Ma *Gn.,* ψ *Gaio.* — cum uidetis) Sic B et E; ceteri *cum uideatis.* —

mihi) Mc *me.* — in huius) Mb *in eius,* Pb et χ (sic) *huius.* — uideor) Mc *dicor.* — his tot uiris) Mc *iis uiris tot,* La et χ (sic) *tot uiris,* set in La *his* supers. —

Atqui) E, Ma, et Pa *Atque.* — indicia) La, C, S, et χ1 *iudicia.* —

lida, iudices, et expressa [haec] signa probitatis, non fucata forensi specie, set domesticis in-
usta notis ueritatis. Facilis est illa occursatio et blanditia popularis; aspicitur, [non adtrecta-
tur; procul apparet, non excutitur [non in manus sumitur]. Omnibus igitur rebus ornatum 30
hominem, qua externis, qua domesticis; nonnullis rebus inferiorem quam te, generis dico et
nominis; superiorem aliis, municipum, uicinorum, societatum studio, temporum meorum me-
moria; parem uirtute, integritate, modestia aedilem factum esse miraris? Hunc tu uitae splen-
dorem maculis adspergis istis? Iacis adulteria, quae nemo non modo nomine, set ne suspi-
cione quidem possit adgnoscere: bimaritum appellas, ut uerba etiam fingas, non solum crimina.
Ductum esse ab eo in prouinciam aliquem dicis lubidinis caussa: quod non crimen est, set in-
punitum in maledicto mendacium; raptam esse mimulam: quod dicitur Atinae factum a iuuen-
tute uetere quodam in scaenicos iure maxumeque oppidano. O adulescentiam traductam ele- 31
ganter! cui quidem cum quod licuerit obiciatur, tamen id ipsum falsum reperiatur. Emissus
aliqui e carcere. Et quidem emissus per inprudentiam, emissus, ut cognostis, necessari ho-

---

solida, iudices) E *iudices solida*, Mc *solida*, χ3 *solita iudices*. — et expressa; haec signa) Urs. *haec expressa signa*. — haec signa) D *signa haec*. — specie) χ3 *spe*. — inusta) La *inmixta* cum gl. *inusta*, χ3 *iniusta*. — notis) La cum gl. *uotis*, χ3 *uotis*. —

occursatio) La cum gl. *concursatio*, Ma, Lc, et H *concursatio*. — aspicitur) Pa *aspiciatur*. — attrectatur) La *attractatur* cum gl. *attrectatur*, C *attractatur*. —

§. 30. qua — qua) Sic B et S; E, Lb, Pa, Pb, ς, et ψ *tam* — *quam*; χ1 et Pal. 2 *quam* — *quam*; G *q̄* — *q̄*; ceteri *quem* — *quem*. — externis) D *ob externis*. — quam te) E *quanti*, Lb *quem te*. — generis dico et nominis) Sic B et E; D *nominis et generis dico*; ceteri *generis et nominis dico*. — municipum) La, Pa, χ1, et ψ *municipium*, χ3 *municipiis*. — societatum) ψ *societatem*. — temporum meorum memoria) E *meorum temporum memoria*; Mb, ς, χ1, et ψ *temporum memoria*, set in Mb *meorum* supers. ut inser.. — parem) Sic B, E, Pb, Pc, et ψ; ceteri *patris*. — integritate, modestia) Urs. *integritate sua et modestia*. — miraris) C *mireris*. —

adulteria) La cum gl. *adultera*: — modo) La et O *meo*. — ne suspicione) Pb *ne suspicione ne*. — bimaritum) Sic B, E, et ψ; χ3 *meritum*; ceteri *maritum*. — etiam) Seruarunt B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, G, Br., C, S, T, ς, χ1 et 3. — Ductum) C *Ductam*, χ1 *Dictum*. — prouinciam) ς *prouincia*. — aliquem) Lc, Pa, C, et χ3 *aliquam*. — dicis) E, Mb, Mc, La, Pa, Pb, Pc, χ1, 3, et ψ *dicas*, set in La supers. *dicis*; Ma et D *dictas*; Lc *dictis*. —

quod) Ma om. — non) ψ om. — crimen) G et Br. in margine *scilicet in reo*. — impunitum) Mc *impunicum*. — in) C *etiam*. — maledicto) Sic B, E, et Pucc.; ceteri *maledico*. — mendacium) Mc *etiam mendatium*. — raptam) La cum gl. *raptum*, H *raptum*. — mimulam) Mb, Mc, Pa, Pb, Pc, O, C, et χ3 *mimolam*; Ma *mmolam*; La *Miniolam* cum gl. *in molam*; H *in molam*; D *unolam*; χ1 *numolam*. — Atinae) Mc et C *Attinae*, χ3 *Anne*. — a iuuentute) Sic B et E; C *a uiuere*; ceteri *a iuuene*. — quodam) Ma, Lc, et H *quondam*, ψ *quoddam*. — iure maximeque) La et ψ *iureque maxime*. — oppidano) χ3 *oppidacio*. —

§. 31. adolescentiam) χ1 *adolescentulum*. — cui) E *qui*. — quod) H om. — tamen) Mc *tum*. — id ipsum) D, C, et χ3 *ad ipsum*. — reperiatur) La cum gl. *obiciatur*, H *obiiciatur*. — Emissus) La *Emissis* cum gl. *Emissus*. — aliqui) Sic B; La *aliquis* cum gl. *est*; Ma, Mb, Lc, et ς *aliquis est*; D *est aliquis*; ceteri *aliquis*. — e) Lc et H *a*, χ1 om. — Et quidem) Mb, La, Lb, Pa, Pb, Pc, D, C, et ψ *equidem*; Mc *quidem*. — per imprudentiam emissus) Seruarunt B, E, Pb, C, H, S, T, et ψ; ς et χ (sic) tantum *emissus* seruarunt. — cognostis) Ma, Mb, La, Lb, Lc, D, C, H, ς, χ1, et F1 *cognoscis*; Mc *cognoscit*; Pb *cognoscas*; T *cognoscitis*. — necessarii) Mc *ne cum*. —

minis optumique adulescentis rogatu; idem postea praemandatis requisitus. Atque haec, nec ulla alia sunt coniecta maledicta in eius uitam, de cuius uos pudore, religione, integritate dubitetis.

XIII. Pater uero, inquit, etiam obesse filio debet. O uocem duram atque indignam tua probitate, Laterensis! Pater ut in iudicio capitis, pater ut in dimicatione fortunarum, pater ut aput talis uiros obesse filio debeat? qui si esset turpissumus, si sordidissumus, tamen ipso nomine patrio ualeret aput clementis iudices et misericordis; ualeret, inquam, conmuni sensu omnium et dul-
32 cissuma conmendatione naturae. Set cum sit Cn. Plancius is eques Romanus, ea primum uetustate equestris nominis, ut pater, ut auos, ut maiores eius omnes equites Romani fuerint, summum in praefectura florentissuma gradum tenuerint et dignitatis et gratiae; deinde ut ipse in legionibus P. Crassi inperatoris inter ornatissumos homines, equites Romanos, summo splendore fuerit; ut postea princeps inter suos, plurumarum rerum sanctissumus et iustissumus iudex, maxumarum societatum auctor, plurumarum magister: si non modo in eo nihil umquam reprehensum, set laudata sunt omnia, tamen is oberit honestissumo filio pater, qui uel minus honestum et alienum tueri uel auctoritate sua uel gratia possit? Asperius, inquit, locutus est aliquid aliquando. Immo fortasse liberius. At id ipsum, inquit, non est ferendum.
33 Ergo ii ferendi sunt, qui hoc queruntur [libertatem equitis Romani] se ferre non posse? Ubinam ille mos? ubi illa aequitas iuris? ubi illa antiqua libertas, quae malis oppressa ciuilibus extollere iam caput, et aliquando recreata se erigere debebat? Equitum ego Romanorum in

---

praemandatis) B *praemandatus*, Ma *p. mandatis*, Pb et ς *praetoris mandatis*, χ3 *praetoris mandatu.* — Atque) Lb *Atqui.* — nec) C *ne.* — ulla) χ3 *multa.* — integritate) Pa *integritatis.* — dubitetis) La cum gl. *non*, H *non dubitetis.* —

C. XIII. uero) Mb om. — etiam) χ3 *et.* — debet) C *debebat.* — tua probitate) χ3 *tu probitatem.* — Pater ut in iudicio — fortunarum) Mb om, set habet in margine. — pater ut in dim. fort.) T et χ3 om. — pater) D om, set habet in marg. ut inser.. — ut in dim.) La *in* om, set habet supers.; Lc, D, et H *ut* om. — dimicatione) Pa *diminutione*, C *iudicio.* — fortunarum) La et ψ *formarum*, C *fortunarum suarum.* — debeat) C *debebat*, χ3 *debeant.* — qui) Mc *cui.* — si sordidissimus) Sic B, E, et Lc; Pa *seditiosissimus;* ceteri *sordidissimus.* — clementes) Ma *dementis.* — communi sensu) Ma et La *conmuni consensu*, χ1 *consensu.* — commendatione) S et χ1 *commemoratione.* — naturae) D *uare*, set supers. *le* et additum *t*, ut esset *ualeret.* —

§. 32. equestris nominis) Sic B; E *equestris;* Ma *equestri ordinis;* ceteri *equestris ordinis.* — eius omnes) Pa *sui omnes*, Pb et Pc *omnes eius.* — fuerint) La, Pa, ς, et χ3 *fuerunt.* — florentissima) Ma om, et in D singulae huius u. litterae punctis subnotatae. — tenuerint) La, Pa, ς, χ3, et ψ *tenuerunt*, set in La supers. *tenuerint.* — et dignitatis) Pa *dignitatis.* — gratiae) Lb *genere.* — deinde) Lc *dein.* — in) Ma om. — Crassi) D et ψ *Classi.* — summo splendore fuerit) Pb et Pc *homines fuerint summo splendore.* —

princeps) χ1 *principes.* — maximarum) χ3 *maximarum ciuitatum.* — plurimarum) La *plurimarum rerum.* — laudata) Pb, Pc, et O *laudanda.* — et alienum) D *ac alienum.* — uel gratia) Ma om. — Asperius) ς *Aperius.* — inquit) La cum gl. *Plancius.* — id ipsum) Mc *idem ipsum.* — inquit) La cum gl. *Laterensis.* —

§. 33. ii) Sic Mc; ceteri *hi.* — qui) Ma om. — hoc queruntur) Sic B et E; Pa et χ1 *querunt;* ceteri *queruntur.* — Ubinam) Lb et Pa *ubi iam*, T *ubi.* — ciuilibus) La, Pa, ς, et F1 *ciuibus.* — caput) La *cepit* cum gl. *caput.* — recreata se) Pa *necata se*, Pb et Pc *se recreata.* — debebat) B, La, Lc, C, et H *debeat.* —

Equitum) Mc *G. equitum.* — ego) E ex emendatione, fuit enim primum *ergo* scriptum; Ma, Mb, La, χ1, et 3 *ergo;* C *uero;* in D *ego* deletum et supers. *etiam* ut ins.. — Romanorum in) Sic B, E, Ma, Mb, Lb, Lc, D, H, ς, et F1; Mc *Romanorum an in;* Pa *Romanorum iam;* ceteri *Romanorum etiam in.* —

homines nobilissumos maledicta, publicanorum in Q. Scaeuolam, uirum omnibus ingenio, iu-
stitia, integritate praestantem, aspere et ferociter et libere dicta conmemorem? XIV. Consuli,
P. Nasicae, praeco, Granius, medio in foro, cum ille edicto iustitio domum decedens rogasset
Granium, quid tristis esset: an quod reiectae auctiones essent? Immo uero, inquit, quod le-
gationes. Idem tribuno plebi, potentissumo homini, M. Druso, set multa in re publica mo-
lienti, cum ille eum salutasset, ut fit, dixissetque: Quid agis Grani? respondit: Immo uero,
tu Druse, quid agis? Ille L. Crassi, ille M. Antoni uoluntatem asperioribus facetiis saepe
perstrinxit inpune. Nunc usque eost oppressa nostra adrogantia ciuitas, ut, quae fuit olim
praeconi in ridendo, nunc equiti Romano in plorando non sit concessa libertas. Quae enim 34
umquam fuit Planci uox contumeliae potius quam doloris? quid est autem umquam questus,
nisi cum a sociis et a se iniuriam propulsaret? Cum senatus inpediretur, quo minus, id quod
hostibus semper erat tributum, responsum equitibus Romanis redderetur, omnibus illa iniuria
dolori publicanis fuit; set eum ipsum dolorem hic tulit paulo apertius. Conmunis ille sensus
in aliis fortasse latuit; hic, quod cum ceteris animo sentiebat, id magis quam ceteri et uoltu
promptum habuit et lingua. Quamquam, iudices, (adgnosco enim ex me) permulta in Plan- 35

---

publicanorum in Q. Scaeuolam — M. Druso) A habet, ante *publicanorum* addens *ego.* — in Q.) Lb *induant q.;* C *M.Q..* — integritate) Ma *dignitate,* La *et integritate.* — aspere) ς *aspere et.* — et libere) A om. —

C. XIV. Nasicae) ψ *Nascitae.* — Granius) Ma, D, C, H, χ1 et 3 *grauius.* — medio in foro) A *in medio foro.* — ille) Pa *illo.* — edicto) H *indicto.* — iustitio) Mc, La, Pa, Pc, et D *iustitiae.* — domum) La om. — decedens) Sic A et E; B *decendens;* Ma et H *discendens;* Mc *descenderem;* H *discendens;* ceteri *descendens.* — Granium) Ma et D om, set D in marg. habet *grauium* ut ins.; Lb *Grannium;* C *Graminium;* ψ *Grauium.* — esset) E *isset,* Ma *es.* — an) Ma *sed.* — reiectae) Seruarunt A, B, et E. — auctiones) D cum gl. *prostitutiones;* Pa, Pb, Pc, et O *auctores.* — essent) Mc, Br., et χ3 om. — Immo) Pb *uno.* — quod) ψ *quot.* — legationes) Sic A et E; La *legiones* cum gl. *sunt minutae;* ς et χ1 *religiones;* ceteri *legiones.* —

tribuno) Lb et C *tribunus.* — plebi) Sic A; ceteri *plebis.* — homini) A om. — M.) C om. — in re publica) Sic E et La; ceteri *in rem p.* — dixissetque) E *dixisset,* C *dixitque,* et sic D, in quo tamen supers. *sse.* — Quid agis, Grani) χ3 *agis eram.* — Grani) Ma et D *grauius,* Lb *Granni,* C, H, et χ1 *Graui.* — respondit) Ma *rendit.* — Immo) C om. — uero tu) Ma et Lc *tu uero.* — L.) E *luci,* D *lucii.* — Crassi) E *crasse.* — Antoni) Sic E et Ma; ceteri *Antonii.* — uoluntatem) La *uoluntate.* — asperioribus) χ3 *a superioribus.* — perstrinxit) Pa *perscripsit,* χ1 *praestrinxit.* —

Nunc — libertas) A habet. — eo est oppressa) Sic A, E, et sine dubio etiam B; Mc *eo;* ceteri *eo oppressa.* — nostra) Sic A, B, E, et χ3; ceteri *uestra.* — ciuitas, ut) Sic A, E (sine dubio etiam B), Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, et O; ς *ciuitas est et;* ceteri *ciuitas est ut.* — in ridendo) Ma, C, H, et T *irridendo;* Pa *in cedendo.* — in plorando) Ma, Mc, H, T, et ψ *implorando.* — non sit concessa — Plancii) Pa om. —

§. 34. fuit) B post *uox* conlocat. — Planci) Sic B et E; ceteri *Plancio.* — autem umquam) Pc *aut unquam,* C *umquam.* — cum) χ3 *quod.* — a se) Lb *ab se.* — Cum) Mc *Qui cum.* — dolori) χ3 om. — publicanis fuit) E *fuit publicanis.* — cum) D *cum.* — ipsum) E om, La, Pb, et Pc *illum,* set in La supers. *ipsum.* — apertius) C *asperius.* —

Communis) Ma, Mc, La, Lc, D, C, H, T, ς, et χ1 *cum minus,* F2 *cum nimius.* — in aliis) Ma, Lc, H, ς, et F1 *malus,* La, Lb, Pa, et C *male.* — latuit) D om, set habet in marg. ut ins.. — cum) χ (sic) om. — animo) Lb om, H *ante,* ψ *ante animo.* — uultu) La et ς *multum,* χ3 *multi.* — promptum) Ma *promptu.* — lingua) La, C, et ψ *linguam.* —

§. 35. ex) χ3 *et.* —

cium, quae ab eo numquam dicta sunt, conferuntur. Ego quia dico aliquid aliquando, non studio adductus, set aut contentione dicendi aut lacessitus; et quia, ut fit, in multis exit aliquaudo aliquid si non perfacetum, attamen fortasse non rusticum: quod quisque dixit, me id dixisse dicunt. Ego autem si quid est, quod mihi scitum esse uideatur et homine ingenuo dignum atque docto, non aspernor; stomachor uero, cum aliorum non me digna in me conferuntur. Nam quod primus sciuit legem de publicanis tum, cum uir amplissumus consul id illi ordini per populum dedit, quod per senatum si licuisset dedisset, si in eo crimen est, quia suffragium tulit: quis non tulit publicanus? si, quia primus sciuit: utrum id sortis esse uis, an eius, qui illam legem ferebat? Si sortis: nullum crimen est in casu; si consulis: splendor etiam Planci, hunc a summo uiro principem esse ordinis iudicatum.

36 XV. Set aliquando ueniamus ad caussam. In qua tu nomine legis Liciniae, quaest de sodaliciis, omnis ambitus leges conplexus es: neque enim quicquam aliut in hac lege nisi editicios iudices es secutus. Quod genus iudiciorum si est aecum ulla in re nisi in hac tribuaria, non intellego, quamobrem senatus hoc uno in genere tribus edi uoluerit ab accussatore, neque eandem editionem transtulerit in ceteras caussas; de ipso denique ambitu reiectionem fieri uoluerit iudicum alternorum, cumque nullum genus acerbitatis praetermitteret, hoc tamen

---

Ego quia — dixisse dicunt) A habet. — adductus) χ3 om. — sed aut contentione) Sic A, B, et E; ceteri *sed contentione.* — lacessitus) La cum gl. *lacessendi;* Ma, Lc, et H *lacessendi.* — exit) C et χ3 *erit.* — aliquando aliquid) In D inter haec uu. supers. *et.* — si non) C *sed si non.* — perfacetum) La cum gl. *perfectum,* Lc *perfectum.* — attamen) D cum gl. *sed,* La *actum* cum gl. *attamen.* — me id) E et Mb *id me,* Pa *et me id.* — si quid) E, Ma, Mb, Lc, D, C, H, T, χ1 et 3 *si quod.* — scitum esse) La *esse scitum.* — homine ingenuo) E, Pc, et C *hominem ingenio;* D, χ1, et ψ *homine ingenio.* — stomachor) La *stomachor ego,* χ3 *Stomachorum.* — uero) E om. — aliorum) χ3 *alios.* — non) Pa om, C *non modo,* χ3 *nec non.* — in) C om. — conferuntur) Pa *perferuntur.* —

Nam quod — dedisset) A habet. — sciuit) A *sciui.* — tum) Mb, Mc, Lc, Pc, D, H, et χ1 *tamen.* — cum) Mc *tum.* — consul) Mc *consuli.* — id) A om. — quia) Ma, La, Lc, et H *quod,* ς *qui.* — quis non tulit) χ3 om. — tulit publicanus) La *publicanus tulit,* χ3 *publicanis.* — si) La et ψ *sed.* — primus) Sic B, E, Ma, Pa, Pb, O, Br., et Ox. praeter C et ψ, qui cum ceteris *primum;* La *primum id.* — utrum) Ma *uerum.* — sortis) Pa *fortis.* — esse) C *esset.* — eius) La *illius* cum gl. *eius.* — illam) La om, D, C, et χ1 *eam.* — sortis) La, Pa, et χ1 *fortis,* set in La supers. *sortis.* — si consulis) Mb *sin consulis.* — etiam) Mc *et.* — principem esse ordinis) Sic B, E, Pa, et Pc; ceteri *principem ordinis;* in D tamen *esse* margini adsc. ut inserendum. —

C. XV. §. 36. nomine) C *nomen,* set *nomine* sup. lin. a man. rec., χ1 *omne.* — legis — leges) T om. — sodalitiis) ς *solidariis.* — omnis) Sic B, Lb, D, et C; ceteri *omnes.* — ambitus) D cum gl. *corruptionis.* — leges) Sic B, Mb, Lc, D, et Ox.; ceteri *legis.* — complexus) Lc *amplexus,* set in marg. eadem m. *complexus.* — es) Mc *est.* —

Neque enim — es secutus) A habet, *nec* pro *neque* scribens. — quicquam) Mc *quiddam.* — aliut) Sic A; D om; ceteri *aliud.* — editicios) Lc *editius,* Pa *editionis,* χ1 *editios,* χ3 *ediatios.* — es secutus) A *secutus es;* B, E, et D *esse secutus;* Seruius ad Uerg. Ecl. III, 50. *secutus.* — ulla) Sic B, E, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, G, Br., T, ς, χ1, 3, F1, 2, et Lallemandi; ceteri *nulla.* — nisi in hac) Sic B et E; ceteri *nisi hac.* — tribuaria) Ma, Mb, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, G, C, S, T, χ1, 3, ψ, et Lambb. *tributaria;* Mc *tributorio;* Br. *tribunaria;* ς *tributarii.* — in genere) Mc *genere.* — uoluerit ab accusatore) Ma et Lc *ab adcusatore uoluerit.* — de ipso denique) D *denique de ipso.* — reiectionem) Sic B, E, et aliquot Lambb.; Uict. a et Mc *derogationem;* Pa *de iectione;* ceteri *de reiectione.* — iudicum) Sic B, E, Uict. a, et Lb; ceteri *iudicium.* — praetermitteret) χ3 *praetermittere.* —

uuum praetereundum putarit. Quid? huiusce rei tandem obscura caussast; an et agitata tum, 37
cum ista in senatu res agebatur, et disputata hesterno die copiosissume a Q. Hortensio? cui tumst senatus adsensus. Hoc igitur sensimus: cuiuscumque tribus largitor esset, et per hanc consensionem, quae magis honeste quam uere sodalitas nominaretur, quam quisque tribum turpi largitione corrumperet, eum maxume iis hominibus, qui eius tribus essent, esse notum. Ita putauit senatus, cum reo tribus ederentur eae, quas is largitione deuinctas haberet, eosdem fore testis et iudices. Acerbum omnino genus iudici, set tamen, si uel sua uel ea, quae maxume esset cuique coniuncta, tribus ederetur, uix recussandum.

XVI. Tu autem, Laterensis, quas tribus edidisti? Terentinam, credo: fuit certe id ae- 38
cum, et certe expectatumst, et fuit dignum constantia tua. Cuius tu tribus uenditorem et corruptorem et sequestrem Plancium fuisse clamitas, eam tribum profecto, seuerissumorum praesertim hominum et grauissumorum edere debuisti. At Uoltiniam: lubet etenim tibi nescio quid etiam de illa tribu criminari: hanc igitur ipsam cur non edidisti? Quid Plancio cum Le-

---

putarit) La et ψ *putauit*, Lb *putauerit.* —

§. 37. huiusce rei) Sic B et E; ceteri *huius rei.* — tandem) Seruarunt B et E. — an et) Mb *et* cum gl. *an*, C *an etiam*, Uict. a *an et non tum*, Pucc. *et non tum.* — tum) Seruarunt B et E. — ista) C *ita.* — in senatu res) Lb *res in senatu.* — hesterno) Mb *externo*, D *esterno*, Ma *hodierno*, Mc et Lc *hesterna.* — copiosissime) Sic B et E; H om; ceteri *copiosius.* — tum) Ma, Mb, Mc, Lc, D, et χ1 *tamen*, idque habet Br. in marg. pro uarietate. —

Hoc) La et Lb *Haec*, set in La supers. *hoc.* — igitur) χ1 *agitur.* — cuiuscumque) χ1 *cuiusque.* — esset, et per) Sic libri omnes praeter H, qui *et* copulam om. — hanc) Seruarunt B et E. — consensionem) Ma, D, H, et χ1 *consensionemque*, set in D *que* punctis subnotatum; La *consessionemque;* Lb *consensionem quomodo;* C *confessionem.* — quae magis honeste quam uere) Sic E; B *quae magna honeste quam uere*, incertum tamen, utrum *magna* ante an post *honeste* habeat; Pc *quae ingrata tamen quam uere;* Ma, Mb, Mc, La, Lb, Pa, Pb, D, O, H, ς, et ψ *magistratuum honesteque;* Lc *quae magistratuum honesteque;* G et Br. *quae magistratuum honeste quae;* C *magistratuum honestaque;* χ3 *magistratuum honeste;* ceteri *magistratuum quae honeste.* — sodalitas) La cum gl. *sodalitatis.* — nominaretur) χ1 *nominatur.* — tribum) C *tribuni*, D *tributum*, set *tu* punctis cinctum. — eum) Mc, La, Lb, C, χ3, ψ, et F1 *cum*, et sic fuit in D, set correctum. — iis hominibus) La, Lb, et Pa *hominibus his.* — essent, esse — reo tribus) Pb om. —

putauit) Mc et Pc *putant.* — reo) ς *eo.* — ederentur) ψ *ederent.* — eae) Mb, La, Lb, Pa, Pb, et D *hae;* Ma, C, et χ3 *haec.* — is) In D in ras., C *ii*, ψ *his.* — deuinctas) Pa, Pb, Pc, D, et C *deuictas.* — eosdem) ς et χ3 *eodem.* — testes) Pc *tristes.* — omnino) La *omne.* — esset) Mc, La, et ψ *essent.* — cuique) Lb *cui*, χ3 *quicunque*, ς om. —

C. XVI. §. 38. Terentinam) Ma *Terentianam.* — Terentinam credo: fuit) T *Terentianam? crede fuit;* χ (sic) *Terenciana, credo id certe fuit.* — fuit certe id) Sic E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, G, Br., C, H, S, T, ς, χ1, F1, et 2; B utrum *certe* habeat, an omittat, non adnotauit Garatonius; ceteri *fuit id.* — et certe) E *est certe*, La *et certe id.* — uenditorem et corruptorem) Pa *uenditionem et corruptionem.* — clamitas) La *calamitas* cum gl. *clamitas.* — eam) La om, set habet supers.. — tribum) C *tribuni.* — profecto) Mc om. — seuerissimorum praesertim) Mc *praesertim serenissimorum.* — hominum) In Graeui U. L. dicitur in Mss. quibusdam deesse. — debuisti) D et C *uoluisti.* —

At) Mc *ac.* — Uoltiniam) La cum gl. *uolitiniam;* Ma et Mb *uolitinam;* Uict. a, Mc, Pa, Pb, Pc, et χ1 *uolitiniam;* Lb *uolitrinam;* Lc *uoliciniam;* D et O *uolitimam.* — lubet) Sic B; ceteri *libet.* — etenim) Sic B; ceteri *enim.* — edidisti) C, ς, et χ1 *edisti*, et sic in D, set supers. *di.* — cum Lemonia)

monia? quid cum Ufentina? quid cum Crustumina? nam Maeciam non quae iudicaret, set quae
39 reiceretur, esse uoluisti. Dubitatis igitur, iudices, quin uos M. Laterensis suo iudicio, non ad sententiam legis set ad suam spem aliquam, de ciuitate delegerit? dubitatis, quin eas tribus, in quibus magnas necessitudines habet Plancius, cum ille non ediderit, iudicarit officiis ab hoc obseruatas, non largitione corruptas? Quid enim potes dicere, cur ista editio non summam
40 habeat acerbitatem, remota ratione illa, quam in decernendo secuti sumus? Tu deligas ex omni populo aut amicos tuos, aut inimicos meos, aut denique eos, quos inexorabilis, quos inhumanos, quos crudelis existumes? [Tu me ignaro, necopinante, inscio notes et tuos et tuorum necessarios, uel iniquos uel meos uel etiam defensorum meorum, eodemque adiungas, quos natura putes asperos, atque omnibus iniquos?] deinde ecfundas repente, ut ante consessum meorum iudicum uideam, quam potuerim, qui essent futuri, suspicari? aput eosque me ne

---

χ3 *est elemonia.* — quid) Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, F1, et Ox. praeter ψ om. — Ufentina) Sic B et E; Ma, Lb, D, O, G, C, H, et χ3 *uientina;* Mc, S, T, χ1, Pal. 1 et 8 *mentina;* F1 *meritiria;* Br. *Inueutina;* Uict. a *Bientina;* ceteri, ut La, Lc, Pa, Pb, et Pc, *Ueientina.* —

Crustumina) E et Mb *clustumina;* de B tacetur; Ma, Mc, Lb, Pb, Pc, et O *clustamina;* Pa *Crustamina;* La *clauscana* cum gl. *crustumina;* D *dustamina;* C et H *Glustamina;* T *Claustamina;* χ3 *illustamia.* — nam Maeciam) Sic E; B *nam etiam;* Pb, Pc, et ψ *nam Metiam;* Pa, S, ς, et Cleric. *nam M. etiam;* T *nam m eciam;* Lb *nam ui etiam;* χ1 et 3 *nam ui eciam;* Gruterr. partim *nam ui etiam,* partim cum Br. *nam iii etiam;* G *nam m. etiam,* in margine *uel III id est tertiam;* Mc *Nam in terciam etiam;* La, D, et O *nam tertiam etiam;* C *nam tertiam eam,* set sup. lin. a man. rec. *Terentinam;* Ma, Mb, Lc, H, et Urs. *nam tres etiam.* — non quae) Ma, Mb, Lc, et D *quae non;* La *non qui.* — iudicaret) Ma, Mb, Lc, et Urs. *iudicarent;* ς *uendicaret;* ψ *iudicaretur.* — quae) La *qui.* — reiiceretur) Ma, Mb, Lc, H, S, χ1, et Urs. *reicerentur.* —

§. 39. igitur) Pa *ergo.* — iudices) C *inde.* — uos) C et χ3 *nos.* — ad sententiam) D et C *sententiam,* set in D *ad* supers.. — eas tribus) Mc *eos tribus.* — ediderit) D *crediderit.* — iudicarit) Pb et Pc *iudicaris.* — ab) χ3 *ad.* — corruptas) Seruarunt B et E.

Quid) Ma, Mb, Lb, Lc, D, Br., S, ς, et χ1 *Quidni;* G et χ3 *Quin,* set G in marg. habet *quidni.* — enim) H *metiam,* La, Lb, et ψ *etiam.* — potes) Sic ego corr.; libri *potest.* — cur) H et ψ *cum.* — habeat) Ma, Mb, Mc, La, Lb, D, O, G, Br., C, H, T, ς, χ1, 3, et ψ *habet.* — secuti) χ3 *sicuti.* —

§. 40. deligas) Mb *deli^{i}gas;* Ma *deeligis;* Uict. a, Mc, La, Lb, Pa, Pb, Pc, D, O, C, S, T, et χ1 *deligis,* set in La supers. *deligas;* ς *delegis;* χ3 *diligis.* — meos) Pa om. — aut denique) D *at denique.* — existimes) Ma et χ1 *existimas.* —

inscio) Sic B, C, χ3, ψ, et Br. a m. secunda; E, Ma, Mb, Mc, La (cum gl. *inscio*), Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, G, H, S, T, ς, χ1, F1, 2, et pars Pall. *in sicco;* ceteri Pall. *insicio.* „S. Uict. habuit *insuto,* alias *insicto.*“ *Gruterus.* — notes) Pa et Pc *noces,* Pb *notas,* χ3 *notos.* — et tuos) Pa om. — tuorum necessarios) B et E *tuorum amicorum necessarios.* — uel iniquos uel meos) Sic B, E, Ma, Mb, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, G, ς, χ1, et 3; Mc, La, et Br. *quos iniquos uel meos,* set in La super *quos* scriptum *uel,* et in Br. margini adsc. pro uarietate *uel inimicos uel meos;* C, H, S, et T *uel inimicos uel meos;* ψ et F1 *uel inimicos meos;* Uict. a *uel iniquos meos.* — etiam) Lb om, set supers. ut ins.. — defensorum) La *defensorem* cum gl. *defensorum.* — eodemque) Ma, La, Lb, C, H, et F1 *eosdemque;* Mc *eorumque.* — putes) Ma *putas.* —

Deinde) Ma *dein,* La *denique* cum gl. *dein,* χ3 *denique.* — repente) D *repetente.* — consessum) Pa et Pc *concessum,* ψ *consensum.* — meorum) Sic B et E; ceteri *eorum.* — iudicum) Mc, La, Lb, Pa, Pc, D, C, χ1, et ψ *iudicium.* — potuerim) Pa *potissimum.* — aput eosque me — iudicis non tulerunt) A habet. — aput) Sic A; ceteri *apud.* — me, ne) Ma, Lc, D, et H *ne.* —

quinque quidem reiectis, quod in proxumo reo de consili sententia constitutumst, cogas caussam de fortunis omnibus dicere? Non enim, — si aut Plancius ita uixit, ut offenderet sciens 41
neminem, aut tu ita errasti, ut eos ederes inprudens, ut nos inuito te tamen ad iudices, non ad carnifices ueniremus, — idcirco ista editio per se non acerbast.

XVII. An uero nuper clarissumi ciues nomen editici iudicis non tulerunt, cum ex CXXV iudicibus, principibus equestris ordinis, quinque et LXX reus reiceret, L referret, omniaque potius permiscuerunt, quam ei legi condicionique parerent: nos neque ex delectis iudicibus, set ex omni populo, neque editos ad reiciendum, set ab accussatore constitutos iudices ita feremus, ut neminem reiciamus? Neque ego nunc legis iniquitatem queror, set factum tuum a 42
sententia legis doceo discrepare; et illut acerbum iudicium si, quemadmodum senatus censuit populusque iussit, ita fecisses, ut huic et suam et ab hoc obseruatas tribus ederes, non modo non quererer, set hunc iis iudicibus editis, qui testes idem esse possent, absolutum putarem; neque nunc multo secus existumo. Cum enim has tribus edidisti, ignotis te iudicibus uti malle, quam notis indicauisti; fugisti sententiam legis; aequitatem omnem reiecisti; in tenebris quam in luce caussam uersari maluisti. Uoltinia tribus ab hoc corrupta; Terentinam habuerat uenalem. Quid 43
diceret aput Uoltiniensis, aut aput tribulis suos iudices? immo uero tu quid diceres? quem iu-

---

quinque) Pa et ψ *quique.* — de fortunis omnibus) A om. —

§. 41. aut) C *autem.* — uixit) La, H, et ψ *uixerit.* — tu ita) D *ita tu*, C *ita ut tu.* — tamen) Mc *tum.* — carnifices) Pa *carnifex.* — editio) La *adiectio* cum gl. *editio*, C *conditio.* — acerba est) E interrogandi signum addit. —

C. XVII. editici) Sic B et E; A *editicium;* S et χ1 *edicti;* ceteri *editi.* — iudicis) D et χ3 *iudices.* — CXXV) Mb *centum uiginti quinque.* — quinque) Mb *V.*, Pa *quique.* — et) Lc *ex.* — reus) La cum gl. *reos*, Lc *reo*, ς *rem.* — reiiceret) La *eiceretur.* — L) E *quinquaginta.* — referret) Ma, La, H, et ψ *refert*, set in La supers. *referet.* — omniaque) D et ψ *omnia quae.* — permiscuerunt) La *permiscuerit*, ς *permiserunt.* — parerent:) E *parerent?.* — neque ex) χ1 *denique.* — delectis) C *dilectis.* — neque) H om. — reiiciendum) Ma, Mb, Mc, La, Lc, D, C, H, ς, χ3, F1, et 2 *reficiendum.* — constitutos) Mc *restitutos.* —

§. 42. ego) C *enim.* — nunc) Mb om, set supers.. — queror) Pa *quaero.* — ut huic) Sic B et E; Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, C, H, T, ς, χ1, et 3 *ut hunc;* ceteri *ut in hunc.* — suam) Pa *suas*, C *suos.* — ab hoc) Lb *ob hoc.* — obseruatas) Ma, Mb, Mc, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O,C, H, S, T, ς, χ1, et 3 *seruatas;* La et ψ *seruatos.* — tribus) Seruarunt B et E. — ederes) Sic B et E; Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br., H, S, T, ς, χ1, ψ, et Mss. Graeui in U. L. *ederent;* C *ederunt;* χ3 *ederet*; de ceteris tacetur. — non modo non) Pa *non modo.* — iis) Seruarunt B et E. — testes iidem) E *idem testes*, C *testes iisdem*, χ3 *testes idem.* — nunc multo) D *multo nunc*, Mb *nunc modo*, set in marg. pro *modo* habet *multo.* —

indicauisti) B, E, Mc, C, S, χ1, et 3 *iudicauisti;* Ma *iudicasti;* in D *indicauisti* est, set litterae *ui* punctis cinctae. — fugisti — maluisti) χ3 om. — omnem reiecisti) Pa *omnes reicisti.* — luce) ς *lucem.* — causam) χ (sic) om. —

§. 43. Uoltinia) Ma, Mb, Uict. a, Lc, H, ς, et ψ *Uolitinia;* D *uoltima;* χ1 *Uolitania.* — ab) χ1 *ad.* — Terentinam) Mb, Mc, et Pb *teretinam*, Ma *terentianam*, Pa *terrentinam.* — habuerat) La *ad hoc habuerat.* — Uoltinienses) Mb *uolitinenses*, Lc *uoltinenses*, D *uoltimenses*, Uict. a et ς *Uolitinienses.* — aut aput tribules) Sic B et E; ceteri *aut tribules.* — suos iudices) La *iudices suos.* — tu) χ3 *tu uersari.* —

dicem ex illis aut tacitum testem haberes aut uero etiam excitares? Etenim si reus tribus ederet, Uoltiniam fortasse Plancius propter necessitudinem ac uicinitatem, suam [uero] certe edidisset. Et, si quaesitor huic edendus fuisset, quem tandem potius, quam hunc C. Alfium, quem habet, cui notissumus esse debet, uicinum, tribulem, grauissumum hominem iustissumumque edidisset? cuius quidem aequitas, et ea uoluntas erga Cn. Planci salutem, quam ille sine ulla cupiditatis suspicione prae se fert, facile declarat, non fuisse fugiendos tribulis huic iudices, cui quaesitorem tribulem exoptandum fuisse uideatis.

44 XVIII. Neque ego nunc consilium reprehendo tuum, quod eas tribus, quibus hic maxume notus, non edideris; set a te doceo consilium non seruatum senatus. Etenim quis te tum audiret illorum? aut quid diceres? sequestremne Plancium? respuerent aures, nemo adgnosceret [repudiarent]; an gratiosum? illi lubenter audirent, nos non timide confiteremur. Noli enim putare, Laterensis, legibus istis, quas senatus de ambitu sanciri uoluerit, id esse actum, ut suffragatio, ut obseruantia, ut gratia tolleretur. Semper fuerunt boni uiri, qui aput
45 tribulis suos gratiosi esse uellent. Neque uero tam durus in plebem noster ordo fuit, ut eam

---

quem iudicem) Pa *quem iudices.* — tacitum) χ3 *tantum.* — aut uero) Mc *aut non.* — etiam) Pa om. — tribus) E et La *tribum.* — Uoltiniam) D *uoltimam*, Mb et ς *uolitiniam.* — propter) χ3 *per.* — necessitudinem ac uicinitatem) Sic B et E; ς *necessitatem ac uissitudinem;* ceteri *uicinitatem ac necessitudinem.* — suam uero) Sic B, E, Ma, Mb, La, Lb, Pb, Pc, D, O, C, ς, χ1, et 3; set in Mb et La super *uero* scriptum *non;* ceteri *suam non.* — certe) Seruarunt B et E. — edidisset) D et C *edisset*, set in D supers. *di.* —

Et) E *ut.* — quaesitor) Mb, Mc, C, H, ς, χ1, F1, et 2 *quaestor*, set in C *uel quaesitor* sup. lin. a manu rec.. — huic edendus) Sic B et E; ceteri *edendus.* — C. Alfium) Pb *Calfium.* — Alfium) Ma, Mb, La, Lb, Lc, Pa, Pc, D, O, et ς *Alfrum;* C *Alsenum;* H *Alsium;* χ1 *Alfrus;* F1 *Alphium.* — hominem) χ (sic) *hominem esse tribuisti.* — edidisset) χ3 *edidisti.* —

et ea) Sic B et E; Ma, Mb, Lc, Pb, Pc, D, O, G, C, T, ς, χ1, et 3 *et mea;* La *et mea* cum gl. *sua;* H *et sua;* Uict. a *et mera;* Mc *et mea simul;* G in margine *et meae similis;* ceteri *et meae similis.* — Plancii) ς et χ3 *Plancium.* — prae) D et ς *per.* — fugiendos tribules huic iudices) Sic B, E, et Ox. praeter ς, χ1, et 3, qui pro *iudices* habent *iudicem;* ceteri *fugiendum tribulem huic iudicem*, nisi quod Mc post *tribulem* iterat uerba *grauissimum hominem — sine ulla cupiditatis.* — quaesitorem) Mb, F1, et 2 *quaestorem.* — exoptandum) χ3 *explorandum.* —

C. XVIII. §. 44. quod eas) Sic B, E, Ma, Mb, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, O, ς, χ1, et ψ; ceteri *quod non eas.* — quibus) Ma *qui.* — hic maxime notus) Sic E; B *erat hic maxime notus;* La *hic maxime eras notus*, super *eras t* littera posita; Pb et Pc *hic maxime notus eras;* Mb *maxime notus erat* omittens *hic*, quod tamen supers. ut inserendum; χ1 *nunc maxime notus erat;* ceteri *hic maxime notus erat.* — non edideris) Sic Ma, Lc, et ψ; in Mb et La *non* supers. ut inserendum; ceteri *edideris.* — senatus) Pa om. —

te tum) χ3 *te non*, Mc, C, et ς *tecum*, et sic corr. in D, in quo a pr. manu erat *te tum.* — aures) In D marg. adsc. *al. ciues.* — nemo) Mc *nemo sono.* — agnosceret) Pb et Pc *ignosceret.* — repudiarent) Sic B, E, et Pa; ceteri *repudiaretur.* — an) C *aut.* — illi libenter) Lb *illi et libenter*, Pb *illibenter.* — audirent) Pb et Pc *audiret.* — nos) χ3 om. — timide) Mc *timido.* — confiteremur) Ma, Mc, et Lb *confitemur.* —

sanciri) Sic e coni. Manuti; libri *sancire*, praeter χ3, qui *sentire.* — id) La *eum* cum gl. *id.* — suffragatio) Lb *suffragium*, Lc *suffractio*, C *suffragio.* — ut obseruantia) Pa *et obseruantia.* — boni uiri) E *uiri boni.* — gratiosi esse uellent) χ1 *gratiosissimi esse debent.* —

§. 45. uero) B om. — durus) Mb et ψ *dirus*, set in Mb supers. *u.* —

coli nostra modica liberalitate noluerit; neque hoc liberis nostris interdicendumst', ne obseruent tribulis suos, ne diligant, ne conficere necessariis suis suam tribum possint, ne par ab iis munus in sua petitione respectent. Haec enim plena sunt offici, plena obseruantiae, plena etiam antiquitatis. Isto in genere et fuimus ipsi, cum ambitionis nostrae tempora postulabant, et clarissumos uiros esse uidimus et hodie esse uidemus quamplurumos [gratiosos]. Decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragia largitione deuincta seueritatem senatus et bonorum omnium uim ac dolorem excitarunt. Haec doce, haec profer, huc incumbe, Laterensis, decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse, pronuntiasse, diuisisse: tum mirabor, te iis armis uti, quae tibi lex dabat, noluisse. Tribulibus enim iudicibus non modo seueritatem illorum, si ista uera sunt, set ne uoltus quidem ferre possemus. Hanc tu rationem cum fugeris, 46
cumque eos iudices habere nolueris, quorum in huius delicto cum scientia certissuma, tum dolor grauissumus esse debuerit: quid aput hos dices, qui abs te taciti requirunt, cur hoc sibi oneris inposueris, cur se potissumum delegeris, cur denique se diuinare malueris, quam eos, qui scirent, iudicare?

XIX. Ego Plancium, Laterensis, et ipsum gratiosum esse dico et habuisse in petitione multos cupidos sui gratiosos. Quos tu si sodalis uocas, officiosam amicitiam nomine inquinas

---

modica) La cum gl. *admodo*, Lc *admodo*, Ma *admodum*, Mc *amodo modica*, Mb, H, ς, et χ1 *a modo*, D *moderata*. — liberalitate) La, Pa, D, T, ς, et χ3 *libertate*. — noluerit) La, D, C, et χ3 *uoluerit*. — hoc) C om. — est) ψ *esse*. — ne) χ1 *nec*, utrum ante *obs.*, an ante *dil.*, non adnotauit ed. Ox.. — conficere) Sic B, E, Pb, et duo Lallemandi; ceteri *reficere*. — necessariis suis) Pa *suis necessariis*. — suis) F (sic) om. — possint) La cum gl. *possunt*. — munus) C *minus*, χ3 *mirans*. — in sua) Pb et Pc *sua*. — respectent) T *respicerent*. —

enim) χ1 *cum*. — officii) χ (sic) *officiis*. —

Isto) H *Hoc*. — et fuimus) Mc *etiam fuimus*, La *et sumus*, H *fuimus*. — nostrae) Sic B, E, Lb, S, T, et ς; ceteri *nostra*. — uidimus) Ma *uidemus*. — hodie) Ma om. — uidemus) E, Ma, Mb, La, Lb, Lc, Pb, Pc, D, O, C, H, ς, et χ1 *uolumus*; Pa *uoluimus*; χ3 *nolumus*. —

Decuriatio) D cum gl. *de curia in curiam ire*. — tribulium) B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, et Pc *tribulum*; set in La supers. *tribuum*; H *tribuum*. — uim) Lb om. — Haec — haec) C *hoc — hoc*. — huc) χ1 et 3 *hunc*. — pronuntiasse) ψ *prouincias se*. — diuisisse) C *diuidisse*, ψ *dimisisse*. — te iis) E *telis*, Lb et Pa *te*, H *et iis*. — uti, quae) E et D *utique*, set in D correctum. — tibi) χ3 om. — noluisse) D et O *uoluisse*, χ1 *diuisisse*. — enim) χ3 *cum*. — iudicibus) Mc *entibus iudicibus*. — sed ne) χ3 *seue*. — uultus) La et ψ *uultu*. —

§. 46. tu rationem) E *iurationem*, C *curationem*. — fugeris) Pa *fugeres*. — eos) E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pc, D, O, C, H, S, T, χ1, et 3 *hos*, ς *hoc*. — iudices) ς *iudicium*. — nolueris) D, C, ς, χ1, et 3 *uolueris*. — cum scientia) E et Mc *tum scientia*; Ma, Mb, Lc, D, H, et ς *conscientia*, set in D super *con* scriptum *tum* ut inserendum; La, C, et ψ *tum sententia*, set in La super *sent.* scriptum *conscientia*; χ3 *tu sententia*. — tum) Ma, Mb, La, Lc, H, ς, et χ1 *tamen*, et sic in D, set punctis subnotatum et supers. *tum*. — dices) χ1 *duces*. — taciti) La et ψ *tacite*. — hoc) χ3 *hec*. — hoc sibi) E et Lc *sibi hoc*; de B tacetur. — cur) χ3 *cum*, utrum ante *se*, an ante *denique*, non adn. ed. Ox.. — denique se) Mc *se denique se*. — se diuinare) T *diuinare*, in H *se* punctis subnotatum, χ3 *se diuina re*. — iudicare) Pb et Pc *iudicarent*. —

C. XIX. gratiosum) Mb *gratissimum*, set corr. a m. sec.. — cupidos sui) F (sic) *sui cupidos*. — tu si) Pa *si tu*. —

criminoso; sin, quia gratiosi sint, accussandos putas: noli mirari, te id, quod tua dignitas po-
47 stularit, repudiandis gratiosorum amicitiis non esse adsecutum. Iam ut ego doceo, gratiosum
[esse] in sua tribu Plancium, quod multis benigne fecerit, pro multis spoponderit, in operas
plurumos patris auctoritate et gratia miserit, quod denique omnibus officiis per se, per patrem,
per maiores suos totam Atinatem praefecturam conprehenderit: sic tu doce, sequestrem fuisse,
largitum esse, conscripsisse, tribulis decurianisse. Quod si non potes, noli tollere ex ordine
nostro liberalitatem, noli maleficium putare esse gratiam, noli obseruantiam sancire poena.

Itaque haesitantem te in hoc sodaliciorum tribuario crimine ad communem ambitus caussam
contulisti; in qua desinamus aliquando, si uidetur, uolgari et peruagata declamatione conten-
48 dere. Sic enim tecum ago. Quam tibi commodumst, unam tribum delige: tu doce, id quod
debes, per quem sequestrem, quo diuisore corrupta sit; ego, si id facere non potueris, quod,
ut opinio mea fert, ne incipies quidem, per quem tulerit docebo. Estne haec uera contentio?
placetne sic agi? Num possum magis pedem conferre, ut aiunt, aut propius accedere? Quid
taces? quid dissimulas? quid tergiuersaris? Etiam atque etiam insto atque urgeo, insector,
posco, atque adeo flagito crimen; quamcumque tribum, inquam, delegeris, quam tulerit Plan-

---

criminoso) χ3 *uitiosо.* — sint) Sic B et E; ceteri *sunt.* — accusandos) Lb *accusatores.* — mirari) La cum gl. *me*, Ma, Lc, H, ς, et χ1 *me.* — quod tua) Pc *quod tu.* — assecutum) La et Pa *assuetum*, set in La supers. *assecutum.* —

§. 47. Iam) B et E *Nam.* — gratiosum esse) Ma *esse criminosum*, Lc *esse gratiosum.* — in sua tribu) Sic B et E; Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, G, Br., C, H, S, T, χ1, et 3 *tribu*, set C habet asteriscum in margine; ς *tribui;* O *tribubus;* ceteri *tribulibus.*— benigne) χ1 *denique.* — spoponderit) D om, set habet in marg. ut ins.; ς *spopondit.* — in operas — comprehenderit) Pb et Pc om. — plurimos) Ma, Mb, Mc, D, ς, et χ1 *plurimas*, C *plurimorum.* — patris) Mc *temporis.* — omnibus) Pa *in omnibus.* — Atinatem) Mc *accinatem*, Pa *latinatem*, C *Attinatem*, χ1 *Attinitatem.* — praefecturam) D cum gl. *districtum*, ς *profecturam.* — comprehenderit) Ma *reprehenderit.* —

doce, sequestrem) E *doces equestrem*, χ3 *doces sequestrem.* — tribules) La, χ3, et ψ *tribulos.* — decuriauisse) Ma, Lb, et D *decuriasse.* — liberalitatem) Pa, C, T, et χ3 *libertatem.* — noli) χ1 om, utrum ante *mal.*, an ante *obs.*, non adn. ed. Ox.. — sancire) Br. *sarcire.* — poena) La *poenam*, H *paenam*, D *penam.* —

haesitantem) Ma, Mc, La, Lb, Lc, Pa, D, H, ς, χ1, ψ, et F1 *haesitante.* — sodalitiorum) Pc *solidariorum.* — tribuario) Ma, Mc, La, Lb, Pa *tribunario*, C *tribunariis*, H *tributario.* — crimine) C *crimen.* — ad communem) Ma *ad co* cum lacuna. — ambitus) F1 cum gl. *crimen.* — contulisti) La cum gl. *detulisti*, H *detulisti.* — peruagata) Ma *peruulgata*, Pa *pugnata.* — declamatione) χ1 *declinatione.* — Sic) χ1 *Sin.* — ago) Ma *ego.* —

§. 48. Quam) χ3 *Quid.* — est) E *sit*, set ab ead. m. supers. *est*, Pb *esse.* — delige: tu doce) Sic interpunxi cum Ma, Mb, et D; ceteri *delige tu: doce*, praeter Mc, qui habet *delige*, *tum doce.* — diuisore) Ma *diuersore.* — corrupta) Pb et Pc *contenta.* — ego) D et C *ergo.* — potueris) χ3 *poteris*, Pa *potero.* — ut opinio mea) Pa *opinio in ea.* — quidem, per) Inter haec uu. in D supers. *ego*, ut ins.. — per quem) La cum gl. *Planci.* —

Estne) χ3 *Et ne.* — haec uera) χ (sic) *uera ista.* — placetne) E *placet si est.* — agi) C *agere.* — Num) Sic B et E; ceteri *Non.* — propius) Ma, D, et C *proprius.* — dissimulas) Pb *dissimulans.* — tergiuersaris) La *terga uersaris* cum gl. *tergiuersaris.* — insto) Ma *inisto.* — atque) T et χ3 om. — urgeo) La cum gl. *rogo*, Ma, Lc, et H *rogo*, C et T *urgeor.* — insector) E *insequor.* — inquam) Mc et ψ *unquam*, χ1 *in qua.* —

cius, tu ostendito, si poteris, uitium, ego, qua ratione tulerit, docebo. Nec erit haec alia ratio Plancio ac tibi [Laterensis]: nam ut, quas tribus tu tulisti, si iam ex te requiram, possis, quorum studio tuleris, explicare, sic ego hoc contendo, me tibi ipsi aduersario cuiuscumque tribus rationem poposceris redditurum.

XX. Set cur ego sic ago? quasi non comitiis iam superioribus sit Plancius designatus ae- 49
dilis. Quae comitia primum habere coepit consul cum omnibus in rebus summa auctoritate,
tum harum ipsarum legum ambitus auctor; deinde habere coepit subito praeter opinionem
omnium, ut ne si cogitasset quidem quispiam largiri, daretur spatium conparandi. Uocatae
tribus; latum suffragium; diribitae tabellae [renuutiatae]: longe plurumum ualuit Plancius;
nulla largitionis nec fuit nec esse potuit suspicio. Ain tandem? una centuria praerogatiua tan-
tum habet auctoritatis, ut nemo umquam prior eam tulerit, quin renuntiatus sit aut iis ipsis
comitiis consul, aut certe in illum annum: aedilem tu Plancium factum miraris, in quo non
exigua pars populi, set uniuersus populus uoluntatem suam declararit? cuius in honore non
unius tribus pars, set comitia tota comitiis fuerint praerogatiua? Quo quidem tempore, Late- 50

---

poteris) E, La, et Lb *potueris.* — Nec) χ1 *ne.* — haec) C et χ3 om. — Plancio) Ma om. — ac) Pa *atque.* — tibi, Laterensis) Sic B et E; ceteri *Laterensi.* —

ut) Pc et O om; Ma, Mb, Mc, Uict. a, La, Lb, Lc, Pa, Pb, D, C, S, T, χ1, et 3 *in.* — tulisti) D *contulisti.* — si iam) O *sic iam;* La *suam unum;* Lb, Lc, Pa, Pc, D, χ1, et 3 *suam;* ς *suas;* Ma, C, et H *sententiam suam;* Mc *suam sententiam;* F1 *sententiam.* — possis) La *utrum possis.* — quorum studio) La *quo studio*, D *studio quorum*, C *studiorum quorum.* — tuleris) χ1 om. — sic) Pb, Pc, et O *sicque.* — ego hoc) Pa om; Ma, Lc, et H *ego;* La et ψ *ego haec.* — tibi ipsi) Pa *ipsi tibi*, C et T *tibi.* — cuiuscumque) B, E, Pc, et χ3 *cuiusque.* —

C. XX. §. 49. ego) E et Br. om. — quasi) Pa *qua re.* — primum) Pa *primus*, F1 om. — habere coepit) La *cepit habere*, Lb *hinc cepit.* — cum) Ma, Mb, Lc, D, C, H, ς, et χ1 *tum.* — auctoritate) La *cum auctoritate* et sup. *auctoritate* scriptum *constantia;* Ma, Lc, et H *constantia;* ψ *auctoritate constantia.* — tum) La *cum*, Pb *tamen.* — harum) La *hac*, Pb, Pc, O, et C *earum.* — legum) χ3 om. —

omnium) B om; Ma, Lc, H, et ψ *hominum*, et sic fuit in D, set correctum. — ne) Ma om. — quidem) χ3 *quidam.* — quispiam largiri) E *largiri quispiam.* — daretur) χ1 *dedit.* — comparandi) Ma *imperandi*, D *operandi.* —

diribitae) Sic B et E; Pa *describitae;* C, T, et χ3 *rescriptae;* ceteri *descriptae.* — tabellae) Ego ex coni. addidi. — ualuit) Ma et ς *uoluit.* — esse potuit) Ma *potuit esse.* —

Ain) Sic B et E; ceteri *An.* — praerogatiua) La cum gl. *prerogata;* in D litterae *iu* punctis subnotatae; ψ et F1 *praerogata.* — eam) Ma *esse.* — quin) Pa *quam.* — sit aut) Sic B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br., C, H, ς, χ1, 3, ψ, F1, et 2; ceteri *sit, tu aut.* — iis) Sic B et Mc; D et C om; ceteri *his.* — ipsis) ς et F1 om. — consul) Sic B, E, Ma, Mb, La, Lc, D, G, C, H, ς, χ1, F2, et Br. in margine; in D tamen *aribus* supers.; ceteri *consularibus.* — certe) Pb, Pc, et O *certum.* — annum) F2 om; χ1 *animum.* — aedilem tu Plancium) Sic B, E, Mb, Mc, La, Lb, Pa, Pc, O, G, Br., C, χ1, 3, ψ, et F2; Pb *aedilem tum Plancium;* ceteri *aedilem Plancium.* — factum miraris) B, E, Mb, La, Lb, Pa, D, Br., ς, χ1, 3, et ψ *factum esse miraris;* Lc *esse factum miraris;* Ma *esse miraris factum.* — in quo) Pa *non quo.* — declararit) Lb *declarauerit.* —

non) Pa om. — unius) H *minus.* — comitia) La *amicitia* cum gl. *comitia.* — comitiis) Pith. om; non omittit E, quod ex Graeui uerbis uiri docti conlegerunt. — fuerint) B, E, Ma, Mb, La, Lc, Pa, H, S, ς, et χ1 *fuerit;* C et ψ *fuerunt.* — praerogatiua) Sic B, E, Ma, Mb, Mc, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, H, S, ς, χ1, Lall., Urs., et C super lin.; O *prorogata;* ceteri *praerogata.* —

§. 50. Laterensis, si id) Sic B et E; χ3 *at si id Laterensis;* ceteri *si id Laterensis.* —

rensis, si id facere uoluisses, aut si grauitatis esse putasses tuae, quod multi nobiles saepe fecerunt, ut, cum minus ualuissent suffragiis quam putassent, postea prolatis comitiis prosternerent se et populo Romano fracto animo atque humili supplicarent: non dubito, quin omnis ad te conuersura fuerit multitudo. Numquam enim fere nobilitas, integra praesertim atque innocens, a populo Romano supplex repudiata fuit. Set si tibi grauitas tua et magnitudo animi pluris fuit, sicuti esse debuit, quam aedilitas, noli, cum habeas id, quod malueris, desiderare id, quod minoris putaris. Equidem primum ut honore dignus essem, maxume semper laboraui; secundo ut existumarer; tertium mihi fuit illut, quod plerisque primumst, ipse honos: qui iis denique debet esse iucundus, quorum dignitati populus Romanus testimonium, non beneficium ambitioni dedit.

51 XXI. Quaeris etiam, Laterensis, quid imaginibus tuis, quid ornatissumo atque optumo uiro, patri tuo respondeas mortuo. Noli ista meditari, atque illut caue potius, ne tua ista querella dolorque nimius ab illis sapientissumis uiris reprehendatur. Uidit enim pater tuus Appium Claudium, nobilissumum hominem, uiuo patre suo, potentissumo et clarissumo ciui, C. Claudio, aedilem non esse factum, et eundem sine repulsa factum esse consulem; uidit hominem sibi maxume coniunctum, egregium uirum, L. Uolcatium, uidit M. Pisonem in ista aedilitate offensiuncula accepta summos a populo Romano esse honores adeptos. Auos uero tuus et P. Nasicae tibi aediliciam praedicaret repulsam, quo ciue neminem ego statuo in hac re publica fortiorem, et C. Mari, qui duabus aedilitatibus repulsus septiens consul est factus, et L. Caesaris, Cn. Octaui, M. Tulli: quos omnis scimus aedilitate praeteritos consules esse

---

esse putasses tuae) La *tuae esse putasses*, Lb et Lc *putasses esse tuae*, χ3 *putasses tuae.* — multi) Ma *inuiti.* — nobiles) Mb *homines* cum gl. *nobiles.* — ualuissent) χ3 *maluissent.* — prolatis) La cum gl. *collatis*, Lc et H *collatis.* — et) Ma, D, et H om, set D habet in marg. ut ins.. — atque humili — quin omnis) Pa om. — conuersura) Pc *conuersa*, C *censura.* — fuerit) Sic B, E, Ma, Mb, La, Lb, Lc, Pa, Pb, D, O, G, Br., C, H, S, ς, χ1, 3, et F1; in G margini ads. *se* adiecto *scilicet;* ceteri *se fuerit.* —

fere) Seruarunt B et E. — innocens) H *nocens.* — repudiata fuit) E *repudiata est.* — Sed — pluris fuit) D om, set habet in marg. ut ins.. — fuit) Lb *fuerit.* — sicuti) Sic B et E; ceteri *sicut.* — noli) Ma, Lc, D, et ψ *nolis*, set in D *s* punctis cinctum. — malueris, desiderare id, quod) Pb et Pc om. —

primum) La cum gl. *primo.* — existimarer) D *extimarer*, χ1 *existimer*, ψ *existimaret.* — quod) C *ut.* — primum est) Pa *primum fuit.* — iis) Pb, Pc, D, et χ1 *is;* Ma *huius.* — debet esse iucundus) Mc *iocundus esse debet;* C *debuit esse iucundus.* — dignitati) ψ *dignitatem.* — dedit) Ma et La *dederit.* —

C. XXI. §. 51. etiam) ς *enim.* — imaginibus) D *in magnibus.* — ista) Ma, Mb, Mc, La, et Lc *illa.* — atque) F1 *atqui.* — caue potius) Graeui mss. in U. L. *potius caue*, praeter F1, qui cum ceteris consentit. — querela) ς *querenda.* — reprehendatur) Mc *reprehendantur.* — Claudium) Mss. Graeui in U. L. et χ3 *Clodium.* — uiuo patre) Pb et Pc *uiuum patre.* — ciui) Sic B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br. a pr. manu, χ1, et 3; ceteri *ciue.* — Claudio) Pc, D, O, G, Br., et mss. Graeui *Clodio.* — hominem sibi — uidit) χ1 om. — Uolcatium) E *uolcacium*, C *Uoltacium.* — in ista) E et Prisc. p. 614. *ista in;* Pa *ista.* — offensiuncula) C *offensiuncula una.* — esse honores) Ma *honores esse.* — adeptos) χ3 *adepto.* —

P.) χ1 *pater.* — Nasicae) La *Nasica.* — praedicaret) ς *praedicare.* — ciue) D et χ3 *ciuem.* — aedilitatibus repulsus) Sic E; ς *aedilitatis acceptis;* ceteri *aedilitatis acceptis repulsis.* — est factus) La et Lb *factus est;* C *factus;* χ3 *esse factus.* — Cn. Octauii) Ma *gn. octauy*, C *Cn. Optauii.* — M. Tullii) Mc *et M. Tullii;* χ3 et Pith. om. —

factos. Set quid ego aedilicias repulsas conligo? quae saepe eiusmodi habitae sunt, ut iis, qui 52
praeteriti essent, benigne a populo factum uideretur. Tribunus militum L. Philippus, summa nobilitate et eloquentia, quaestor C. Caelius, clarissumus ac fortissumus adulescens, tribuni plebis P. Rutilius Rufus, C. Fimbria, C. Cassius, Cn. Orestes facti non sunt: quos tamen omnis consules factos scimus esse. Quae tibi ultro pater et maiores tui non consolandi tui gratia dicent, neque uero quo te liberent aliqua culpa, quam tu uereris ne a te suscepta uideatur, set ut te ad cursum istum tenendum, quem a prima aetate suscepisti, cohortentur. Nihil est enim, mihi crede, Laterensis, de te detractum: detractum dico? si mehercule uere quod accidit interpretari uelis, est aliquid etiam de uirtute significatum tua.

XXII. Noli enim existumare, non magnum quendam motum fuisse illius petitionis tuae, de qua, ne aliquid iurares, destitisti. Denuntiasti homo adulescens, quid de summa rei publicae sentires; fortius tu quidem quam nonnulli defuncti honoribus, set apertius quam uel ambitionis uel aetatis tuae ratio postulabat. Quamobrem in dissentiente populo noli putare 53
nullos fuisse, quorum animos tuus ille fortis animus offenderet: qui te incautum fortasse nunc tuo loco demouere potuerunt, prouidentem autem et praecauentem numquam certe mouebunt. An te illa argumenta duxerunt? Dubitatis, inquit, quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius? An una fieri potuerunt, si una tribus non tulissent? At

---

§. 52. repulsas) χ3 *repulsas esse.* — a populo) Pa *a populo Romano.* — factum) La, Pa, Pb, et χ3 *factum esse.* — C. Caelius) Sic Lc, Pb, ς, et ψ; Lb *Q. Cecilius;* ceteri *Q. Caelius.* — tribuni) La et ψ *tribunus.* — P.) Ma, Mb, Mc, La, Lb, Pa, Pc, D, O, et Ox. praeter ψ om. — Rutilius) Lb *Ruttilius.* — Rufus) Ma, Mb, Mc, Lc, D, O, et C *Ruffus.* — Fimbria) Mc *phimbria,* Lb et Pa *Fimbra.* — Cn. Orestes) Ma et Lc *gn. horestes;* Mb *Cn. Horestes;* Lb *et Gn. Orestes;* Pa, Pb, et Pc *Gn. Horrestes.* — factos scimus) E *scimus factos.* —

pater) χ1 et 3 *patres.* — maiores) E *maioris.* — tui, non) Ma *non.* — dicent) Sic B, E, Ma, Mb, Mc, Lb, Lc, Pa, Pc, D, O, G, Br., C, H, χ1, et 3; ceteri *dicerent.* — quo) Lb et Pa om. — cursum istum) E *istum cursum.* — tenendum) Lc *tendendum.* — cohortentur) Pa *cohorteretur.* — Nihil est — detractum: detractum) Lb et Pa om. — enim) C om. — detractum) B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lc, Pb, Pc, D, O, G, Br., C, H, S, T, χ1, 3, et ψ om. — mehercule) Sic B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lc, Pa, D, O, χ3, et ψ; ceteri *mehercules.* — uere) Pa *uero.* — de uirtute sign. tua) La *de uirtute tua significatum,* D *de tua uirtute significatum.* —

C. XXII. existimare) C *existimari.* — non magnum) Pa *magnum non.* — iurares) Ma *iurare,* C *iuuare.* — destitisti) Pc *destiti.* — rei publicae) E, Mc, La, Lc, Pb, Pc, C, T, et ψ *re p..* — apertius) Lb *aptius.* —

§. 53. populo) Lb om. — noli) ς *nulli.* — nullos) La *multos* cum gl. *nullos.* — tuus ille) La *ille tuus.* — fortis animus) Mc *animus fortis.* — incautum fortasse) C *in cunctum fortasse,* La *fortasse incautum.* — nunc) Mb *tunc,* Pa *arme.* — demouere) Ma *dimouere.* — prouidentem) C om, H *praeuidentem.* — autem) Sic B, E, La, Lb, et χ1; Lc *etiam;* C om; ceteri *ante.* —

An te) Pb *an,* Pc *anne,* χ1 *Ante.* — argumenta) Pa *erga,* Pc *argem.* — duxerunt) ς et χ1 *dixerunt.* — Dubitatis) Sic B, E, Mb, Mc, La, Lb, Pa, Pb, Pc, D, G, Br., C, H, T, ς, χ1, et 3; Ma *dubitatos;* ceteri *dubitabitis.* — coitio) La *cohortatio* cum gl. *coitio;* Ma, Mb, Lc, D, H, et ς *tortio,* set in D marg. adsc. *al' coicio;* C *contio,* sup. lin. a man. rec. *coecio;* χ1 *tertio;* χ3 *concio.* — Plotio) χ3 *Plancio.* — Plancius — potuerunt) Pa om. —

An una) Ma, Mb, et D *An uero,* La *'a' iam;* Lb et O *an non;* H *an uere;* C, ς, et χ1 *Anima;* χ3 *An.* — si) La, Lc, ς, et χ1 *sed.* — una) La *summa* cum gl. *una.* — tulissent) Mc et H *tulisset.* — At) Sic Mc, Lc, S, et ψ; ceteri *An.* —

nonnullas punctis paene totidem. Quippe cum iam facti prope superioribus comitiis declaratique uenissent: quamquam ne id quidem suspicionem coitionis habuerit. Neque enim umquam maiores nostri sortitionem constituissent aediliciam, nisi uiderent accidere posse, ut conpetitores
54 pares suffragiis essent. Et ais prioribus comitiis Aniensem a Plotio Pedio, Terentinam a Plancio tibi esse concessam; nunc ab utroque eas auolsas, ne in angustum uenirent. Quam conuenit, nondum cognita populi uoluntate hos, quos iam tum coniunctos fuisse dicis, iacturam suarum tribuum, quo uos adiuuaremini, fecisse; eosdem cum iam essent experti, quid ualerent, restrictos et tenacis fuisse? Etenim uerebantur credo angustias; quasi res in contentionem aut in discrimen aliquod posset uenire. Set tamen tu A. Plotium, uirum ornatissumum, in idem crimen uocando indicas, eum te arripuisse, a quo non sis rogatus. Nam quod questus es, pluris te testis habere de Uoltinia, quam quot in ea tribu puncta tuleris, indicas, aut eos testis

---

nonnullas) T *uero nullis*, $\chi 3$ *nonnullis*. — punctis) Ma, Lc, D, et H *puncti*. — paene) $\chi 1$ *uero*, F1 *fere*. —

iam facti) Pc *factis iam;* ed. Ox. *facti iam;* quem ordinem codd. Ox., cum nihil uarietatis enotatum sit, seruasse censendi essent, nisi editorem Ox. in conmemoranda uaria uerborum conlocatione neglegentem esse sciremus. — facti) E, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, C, H, ς, $\chi 1$, 3, et ψ *factis;* Ma *fractis*. — prope) Lb om, ς *pro se*. — declaratique) Mc et C *declaratisque*. —

id) $\chi 3$ om. — coitionis) E *comitiis;* Mc *cohitionis;* La *cohibitionis* cum gl. *tortionis;* Ma, Mb, Lc, D, H, et ς *tortionis*, set in D marg. adsc. *al' coicionis;* C *contionis* sup. lin. a man. rec. *coecionis;* $\chi 1$ *tertionis*. —

sortitionem) Ma, La, Lb, Lc, D, H, et $\chi 1$ *sortionem;* Pa *sestitionem;* F1 *consortitionem*. — constituissent) Ma et Lc *contulissent*. — accidere) Mc et Pa *accedere*. — competitores) Pa *competitiones*. — essent) Ma om. —

§. 54. ais) Mc *aliis*, Pa *ars*. — Aniensem) Lc, $\chi 1$, et ψ *Amensem*, $\chi 3$ *Anensem*. — a Plotio Pedio) Sic B et E; Mb *a populo A. Plotio;* Ma, Mc, Lb, Lc, D, et ς *a. potius plodio;* La et O *a potius Plodio*, set in La super *po* sc. *l*, ut esset *plotius;* ψ *a plotius plodio;* Pa *potius a Plodio;* Pb et Pc *potius Plodio;* $\chi 1$ *A. Potius Plodio;* $\chi 3$ et Br. *a Plotio Plodio;* G *a Pocio Plodio;* ceteri *a Plotio*. — Terentinam) Ma *terentianam*, C *Tarantinam*. — a) E, Ma, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, O, et H om; in Mb supers. ut ins.. — tibi) Lb *Lemoniam tibi*. — utroque) Pa *utro*. — eas auulsas) La *eas esse auulsas*, F1 *esse auulsas*. — ne) C *non*. —

conuenit, nondum cognita) Lb *nondum conuenit cognita*, C *cognitam nundum conuenit*, D *conuenit nundum cognita*, Pa *conuenit cognita*. — tum) Ma *tu*. — iacturam) Ma, Lc, et D *iactura*. — suarum) D *sua tum*, set supers. sup. *sua* a m. sec. *rum* ut ins.. — quo) La et ψ *quos*, C *qua*. — uos) C et H *nos*. — adiuuaremini) Ma *adiuuarem ui;* $\chi 1$ *adiuuarem ni;* Mb *adiuuaremur;* Mc *iuuarem;* La et ψ *iuuare admiremini*, set in La sup. extremam uerbi *iuuare* litteram *m* positum. — fecisse) ψ *infecisse*. — iam) Pa om. — quid) La, Lb, et Pa *qui*. —

quasi res) $\chi 3$ om. — contentionem) Lc, Pa, C, et H *concionem*. — posset uenire) E *possent uenire;* Lb et Pa *posse uenire;* La et ψ *posse euenire;* $\chi 3$ om. — Sed) Pc *si*. — tamen) Mb *cum* cum gl. *tamen;* Mc, Lc, ς, et $\chi 1$ *tum;* $\chi 3$ om. — tu) Ma et Pb om; Pc *tum*. — A. Plotium) Sic Mb a prima m. et Uict. a; E *a plotium;* Ma *amplocium;* Mb a m. sec. et ceteri *an Plotium*. — uocando) Sic B et E; La *uocandum putas;* ceteri *uocandum*. — indicas) Sic La; ceteri *iudicas*. — eum te) Sic B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br., C, H, T, ς, $\chi 1$, et 3; ceteri *an dicis eum te*. —

quod questus) C *conquestus*. — plures te testes) La *te plures testes*, $\chi 3$ *plures testes*. — Uoltinia) Uict. a, Pa, C, et $\chi 3$ *Uolitinia*. — quot) E, Mb, et $\chi 3$ *quod*, set in Mb supers. *al. quot*. — indicas) B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, D, C, et $\chi 1$ *iudicas*. —

te producere, qui quia nummos acceperint te praeterierint; aut te ne gratuita quidem eorum suffragia tulisse.

XXIII. Illut uero crimen de nummis, quos in circo Flaminio deprehensos esse dixisti, ca- 55
luit re recenti, nunc in caussa refrixit. Neque enim qui illi nummi fuerint, nec quae tribus, nec qui diuisor, ostendis. Atque is quidem eductus ad consules, qui tum in crimen uocabatur, se inique a tuis iactatum grauiter querebatur. Qui si erat diuisor, praesertim eius, quem tu habebas reum, cur abs te reus non est factus? cur non eius dampnatione aliquid ad hoc iudicium praeiudici conparasti?

Set neque tu haec habes, neque eis confidis. Alia te ratio, alia cogitatio ad spem huius opprimendi excitauit. Magnae sunt in te opes; late patet gratia; multi amici, multi cupidi tui, multi fauitores laudis tuae; multi huic inuident; multis etiam pater, optumus uir, nimium retinens equestris iuris et libertatis uidetur; multi etiam conmunes inimici reorum omnium, qui ita semper testimonium de ambitu dicunt, quasi aut moueant animos iudicum [suis testimoniis], aut gratum populo Romano sit, aut ab eo facilius ob eam caussam dignitatem quam uolunt
consequantur. Quibuscum me, iudices, pugnantem more meo pristino non uidebitis; non quo 56
mihi fas sit quicquam defugere, quod salus Planci postulet: set quia neque necessest, me id persequi uoce, quod uos mente uideatis; et quod ita de me meriti sunt illi ipsi, quos ego te-

---

te producere) Sic B et E; Pa *esse adducendos;* ceteri *te adducere.* — nummos) Pb et Pc *numeros.* — acceperint) C *acceperunt.* — te) χ3 om, utrum ante *praet.*, an ante *ne*, non adnotauit ed. Ox.. — praeterierint) Pb *praeterierunt.* — te ne) Lc *ne te ne.* — ne) La et ψ *non*, set in La supers. *ne.* — gratuita quidem eorum) Pa *quidem gratuita.* —

C. XXIII. §. 55. nummis) Pa *minimis*, ς *nummo.* — Flaminio) D *flamio.* — re) Pb *e re*, ψ *te*, Ma, Mc, et H om. — recenti) Pa *recente.* — nunc) Ma *non*, Lb *neque enim nunc.* — nunc in c. refrixit) Pa om. — in causa) χ3 *uicum.* — Neque) D et C *nec.* — qui) C om. — nummi) Pa *minimi.* — fuerint) C *fuerunt.* — quae) La cum gl. *qui.* — nec qui) Pb et Pc *ne qui.* — ostendis) Sic B, E, et Lb; F1 *ostenderas;* ceteri *ostenderis.* —

Atque) χ3 *At.* — is) D *his.* — eductus) Ma *deductus.* — tum) Pc *tuum.* — crimen) D *crimine.* — uocabatur) Ma et Mc *uocabantur.* — iactatum) La cum gl. *iacturam;* Ma, Lc, Pb, Pc, C, ς, et χ3 *iacturam;* Mb *iactari;* Pa *iactatus.* — diuisor) C *diuersor.* — abs te) H *ab isto.* — non) C *in.* — eius damnatione) La cum gl. *eiusdem natione.* —

neque tu) χ3 *utique.* — haec habes) Sic B et E; Ma *habet hoc;* ceteri *habes haec.* — neque eis) La, H, et ψ *neque tu eis;* Pb et Pc *nec in eis.* — confidis) Pa *considiis.* — Alia te) Ed. Ox. *Alia re*, notaturque *alia te* esse in ς, χ1, et 3. Ego nusquam quicquam aliut scriptum adnotatumue repperi. — huius) La et Lb *eius.* — opprimendi) Pa *obtinendi.* —

sunt in te) La *in te sunt.* — patet) Mc *patent*, D *pater*, set corr.. — multis) Ma *multos.* — nimium retinens) La *nimium fortis retinens.* — multi etiam) La et C *multi enim*, set in La sup. *enim* scriptum *etiam.* — reorum) B *reum;* E, Ma, Mc, La, Lb, Pa, Pb, Pc, D, O, C, ς, χ1, et 3 *rerum.* — omnium) F1 *ciuium.* — animos) Ma om. — iudicum) Seruarunt B, E, et ψ. — suis testimoniis) Pa *testimoniis suis*, Pb *siue testimoniis*, Pc *siue testimonio.* — aut) χ3 *cur*, utrum ante *grat.*, an ante *ab*, non adnot. ed. Ox.. — aut ab eo) Mb a prim. m. *ut ab eo*, a sec. *aut ab eo;* F1 *aut eo.* —

§. 56. iudices) χ3 *iudicibus.* — pugnantem) C *pugnare.* — more meo pristino) Sic B et E; Ma et Lc *meo pristino more;* ceteri *meo more pristino.* — quo) S et χ1 *quod.* — defugere) Sic S, ψ, et duo Lambb.; ceteri *effugere.* — quia) ς *qua.* — neque) Pa om, C *meque.* — est, me id persequi) Lc *est id consequi.* — quod uos) χ3 *quod ipsi quos uos.* — mente) Pa *morte.* — uideatis) D *uidetis.* — meriti sunt) E et F1 *meriti sint*, Mb *sunt meriti.* — ipsi) F1 om. —

stis uideo paratos, ut eorum reprehensionem uos nostrae prudentiae adsumere, meae modestiae remittere debeatis. Illut unum uos magnopere oro atque obsecro, iudices, cum huius, quem defendo, tum communis periculi caussa, ne fictis auditionibus, ne disseminato dispersoque ser-
57 moni fortunas innocentium subiciendas putetis. Multi amici accussatoris, nonnulli etiam nostri iniqui, multi communes obtrectatores atque omnium inuidi multa finxerunt. Nihil est autem tam uolucre quam maledictum; nihil facilius emittitur, [nihil] citius excipitur, latius dissipatur. Neque ego, si fontem maledicti reperietis, ut aut neglegatis aut dissimuletis umquam postulabo. Set si quid sine capite manabit aut [quid] erit eiusmodi, ut non extet auctor; qui audierit aut ita neglegens uobis esse uidebitur, ut, unde audierit, oblitus sit, aut ita leuem habebit auctorem, ut memoria dignum non putarit: huius illa uox uolgaris, AUDIUI, ne quid reo innocenti noceat oramus.

58 XXIV. Set uenio iam ad L. Cassium, familiarem meum, cuius ex oratione ne illum quidem Iuuentium tecum expostulaui, quem ille omni et uirtute et humanitate ornatus adulescens primum de plebe aedilem curulem factum esse dixit. In quo, Cassi, si ita tibi respondeam, nescisse id populum Romanum, neque fuisse qui id nobis narraret, praesertim mortuo Longino: non, ut opinor, admirere, cum ego ipse non abhorrens a studio antiquitatis me hic id ex

---

ut) Pa et χ3 *et.* — remittere) La et ψ *reiterare*, set in La supers. *remittere.* —

unum) Ma *enim.* — magnopere) D *magnò opere.* — iudices) D *uide.* — cum) Mb, Mc, La, Lb, Lc, C, χ3, et F1 *tum.* — quem) Pa *quoniam.* — communis) H *huius.* — ne) Lc *nec.* — fictis) χ3 *factis.* — auditionibus) La et ψ *auditoribus.* — sermoni) Ma *sermone.* — innocentium) Ma *innocentum.* —

§. 57. nonnulli) C *non multi.* — iniqui) La cum gl. *inimici*, Ma *inimici.* — atque) Pc, D, et C *ac;* Lc, O, et H *at*, Pb *hac.* — autem) Mb, D, C, ϛ, et F (sic) *enim.* — tam uolucre) ϛ *causa uolucre.* — emittitur) La cum gl. *enotatur*, H *enotatur.* — citius) Ma *certius.* — excipitur, latius) Sic E, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, C, H, S, T, ϛ, χ1, et 3; de B tacetur; ceteri *excipitur, nihil latius.* — ego) Mb *enim ego*, C *si ego.* — maledicti) C et H om. — ut aut negligatis) B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, C, H, T, ϛ, χ1, et 3 *ut negligatis.* — umquam postulabo) Mc, Pb, D, O, C, T, et χ3 *numquam postulabo.* —

si quid sine) Pa *si quis si.* — manabit) Pa, C, et ϛ *manebit.* — aut quid) Sic Ma, Mb, Mc, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, C, H, T, ϛ, et χ1; E et La *aut quod;* de B tacetur; χ3 *aut qui;* ceteri *aut si quid.* — eiusmodi) Pb et Pc *huiusmodi.* — ut non) Mc *ne non.* — aut) La *ita* cum gl. *aut.* — ita) Ma, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, C, H, T, ϛ, χ1, 3, et ψ *illa;* Mb et Uict. a *ille.* — ut, unde) Lc et ψ *aut unde.* — uulgaris) χ3 *uulgaris iudicii.* — audiui) Sic B, E, Pa, Pb, Pc, H, S, ψ, Br., Pal. 3, et G in marg.; ceteri *auditu.* — reo innocenti) E *innocenti reo;* χ1 *reo nocenti;* La, Lb, Pa, Pb, Pc, et χ3 *re innocenti*, set in La sup. *re* scriptum *reo.* —

C. XXIV. §. 58. iam) La et Lb om. — L.) Ma *lelium.* — familiarem) Ma, Mb, Mc, La, Lb, Pa, Pb, Pc, D, C, T, ϛ, χ1, 3, et ψ *ad familiarem*, set in Mb *ad* punctis subnotatum. — ex) ϛ *et.* — ne) C om. — Iuuentium) Uict. a *Iuuencium;* Ma, Mb, La, C, et H *iuuentum;* Pb et Pc *Iuuentitium;* D *uiuentium;* χ3 *iuuentum.* — expostulaui) Ma *expostulari.* — ille) Pb *illi.* — et uirtute et humanitate) E *et humanitate et uirtute.* — ornatus) Lb *adornatus.* —

ita) Ma, Lc, D, et χ1 *ista;* Mc *in ista;* Mb, Pb, Pc, C, ϛ, et χ3 *illa.* — respondeam) Pa *irrideam.* — nescisse id) H et ψ om; Pa *hoc nescisse;* Lc *nescisse.* — fuisse) χ1 *fuisset.* — fuisse qui id nobis) B *id fuisse qui nobis;* D *id fuisse qui id nobis*, set prius *id* tenui lineola perstrinctum; F1 *fuisse qui nobis.* — qui) C *quid.* — nobis) La *uobis* cum gl. *nobis.* — narraret) C *narret.* — Longino) E *longe.* — non, ut) F1 *non id.* — admirere) ψ *admirer;* F1 *admirabere.* — me hic id ex te primum) Pb et

te primum audisse confitear. Et quoniam tua fuit perelegans ac persubtilis oratio, digna equitis Romani uel studio uel pudore; quoniamque sic ab his es auditus, ut magnus honos et ingenio et humanitati tuae tribueretur: respondebo ad ea, quae dixisti, quae pleraque de ipso me fuerunt; in quibus ipsi aculei, si quos habuisti in me reprehendendo, tamen mihi non ingrati acciderunt. Quaesisti, utrum mihi putarem, equitis Romani filio, faciliorem fuisse ad 59
adipiscendos honores uiam, an futuram esse filio meo, qui esset familia consulari. Ego uero quamquam illi omnia malo quam mihi, tamen honorum aditus numquam faciliores optaui, quam mihi fuerunt. Quin etiam, ne forte ille sibi me potius peperisse iam honores, quam iter demonstrasse adipiscendorum putet, haec illi soleo praecipere, quamquam ad praecepta aetas non est grauis, quae ille a Ioue ortus suis praecepit filiis:

Uigilandumst semper; multae insidiae sunt bonis.

Nosti cetera; nonne? [id, quod multi inuideant] quae scripsit grauis et ingeniosus poeta

---

Pc *me hoc id primum;* Pa *me hic ex te id primum;* La *me id hic ex te primum;* Lc et H *me hic ideo ex te primum;* C et χ3 *me hoc id ex te primum;* H *me haec id ex te primum.* — confitear) E et Pc *confiteor;* ς *confiteri.* —

tua fuit) D *fuit tua.* — ac) E et Mc *et.* — equitis Romani) Pa *eo,* Mc *equitis contra quem agebas romani.* — uel pudore) χ3 om. — quoniamque) H *quoniam.* — es auditus) Ma *auditus,* C *exauditus.* — tribueretur) C *tribuetur.* — respondebo — acciderunt) C om. — respondebo) Ma *respondeo.* — quae pleraque) La et ψ *pluraque,* set in La supers. *quae pleraque;* Pa, Pb, Pc *quae pluraque.* — de ipso me) Sic B, E, C, H, S, T, et χ3; Pa *de ipso fines;* ceteri *de ipso fine.* — fuerunt) T *fuerint.* — aculei) Mc *citulei.* — reprehendendo) Ma, Lc, D, et χ3 *reprehendo.* — tamen) χ3 *tam.* — non ingr. acc.) La *ingrati non fuerunt,* set sup. *fuerunt* scriptum *acciderunt.* —

§. 59. mihi putarem) C *mihi putauerim,* F1 *putarem mihi.* — faciliorem) Pa *facilius.* — ad adipiscendos) Lb et D *adipiscendos,* χ1 *adipiscendo.* — qui esset) B, E, Ma, Mb, La, Lb, Pa, Pb, D, C, H, S, T, et ψ *quia esset.* — familia) E *e familia.* — consulari) F1 *consulari paterna,* Mc *consulari paterne.* — tamen — quam mihi) Pb et Pc om. — tamen honorum ad. numquam fac.) Sic ego corr.; B *tamen numquam illi facilioris honorum aditus;* E *tamen honorum aditus numquam illi facilioris;* ceteri *tamen illi honorum aditus numquam faciliores.* —

ne) χ3 om. — ille) La cum gl. *illi,* Lc *illi.* — demonstrasse) Pa *demonstrarem.* — putet) Pa *patet.* — soleo) C *soli.* — ad) C om. — aetas non est grauis) Sic E et C; B *aetas non est gnarus;* Ma, Mb, Lb, Lc, D, G, Br. a prima m., χ1, et Pith. *aetas non est gnatus,* set in Mb supers. *l' gnati;* La *aetas non est ti.* cum gl. sup. *ti* scripta *gnatus;* Pa *aetatis non gnatus;* Pb, Pc, O, et Lambb. *aetas non est generatas;* ς *aetas non est a Ioue gnatus;* ψ *aetas non est gnata;* H *aetas non est* uacuo relicto post haec uerba spatio; G in marg. et ceteri *aetas non est gnati.* —

quae ille) B, E, Ma, Lb, Lc, Pc, D, H, ς, et χ1 *quare ille;* La *quae quia ille* cum gl. *quare ille;* Mb *quae ille,* set sup. *quae* scriptum *quare;* Mc *quae qr ille;* O *quod ille.* — a Ioue) Lb *ab Ioue,* ς om. — praecepit) Ma et ς *praecipit.* — est) La et ψ *esse,* set in La supers. *est.* — bonis. Nosti) Sic Uict. a; E, Ma, Mb, Mc, Lb, D, O, G, Br., C, ς, χ1, et 3 *bonis nostris;* Pa *nostris bonis;* Lc *bonis uestris;* La, Pb, et Pc *bonis uiris,* set in La sup. *uiris* scriptum *nostris;* S *bonis;* de B tacetur; ceteri *bonis. Nostis.* — cetera) Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br., S, ς, χ1, et 3 *ceteraque;* C *et ceteraque.* —

nonne id) Sic B, E, Mc, La, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br., C, S, T, et mss. Graeui; Ma, Mb, Lb, Lc, et H *non id;* ceteri *non te id.* — multi) La *nosci* cum gl. *multi.* — inuideant) E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, C, H, S, T, ς, χ1, et 3 *uideant;* de B tacetur; quidam mss. Gr. *uident.* — quae) C *quia.* — grauis et) Sic E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, O, G, Br., ς, χ1, 3, et ψ; de B tacetur; D *grauis et ille;* F1 *grauis est;* C *grauis aedilis et;* ceteri *grauis ille et.* — poeta scri-

[scripsit], non ut illos regios pueros, qui iam nusquam erant, set ut nos et nostros liberos
60 ad laborem et ad laudem excitaret. Quaeris, quid potuerit amplius adsequi Plancius, si Cn. Scipionis fuisset filius. Magis aedilis fieri non potuisset, set hoc praestaret, quod ei minus inuideretur. Etenim honorum gradus summis hominibus et infumis sunt pares, gloriae dispares.

XXV. Quis nostrum se dicit M'. Curio, quis C. Fabricio, quis C. Duilio parem? quis Atilio Calatino, quis Cn. et P. Scipionibus, quis Africano, Marcello, Maxumo? tamen eosdem sumus honorum gradus quos illi adsecuti. Etenim in uirtute multi sunt ascensus, ut is gloria maxume excellat, qui uirtute plurumum praestet; honorum populi finis est consulatus; quem magistratum iam octingenti fere consecuti sunt; horum, si diligenter quaeres, uix decumam partem reppereris gloria dignam. Set nemo umquam sic egit, ut tu: Cur iste fit consul? quid potuit amplius, si L. Brutus esset, qui ciuitatem dominatu regio liberauit? honore nihil amplius, laude multum. Sic igitur Plancius nihilominus quaestor est factus et tribunus plebis et aedilis, quam si esset summo loco natus; set haec pari loco orti sunt innumerabiles alii
61 consecuti. Profers triumphos T. Didi et C. Mari, et quaeris, quid simile in Plancio; quasi

---

psit, non ut) Mc *poeta ut non.* — qui iam) Pa *quia.* — erant) C *erat.* — et ad laudem) Sic B et E; ceteri *et laudem.* — excitaret) Ma *incitaret.* —

§. 60. potuerit) Mc et $\chi 3$ *poterit.* — Cn.) $\chi 3$ *gnei.* — fuisset filius) Lc *filius fuisset.* — hoc) ς om. — praestaret) Sic B, E, Lb, et Uict. a; La et ψ *praestare potuisset;* ceteri *praestare.* — ei minus) Ma et Lc *minus ei,* Mc *et minus.* — honorum gradus) D *gradus honorum,* C *honorum graccus.* — hominibus) Lb et $\chi 1$ *honoribus.* — infimis) C *in summis.* — dispares) C *disparties.* —

C. XXV. M'. Curio) Sic e coni.; libri *M. Curio.* — C. Fabricio) ψ *Q. Fabricio.* — C. Duilio) Sic e coni.; B *Duellio;* Uict. a *P. Dulio;* Pa *P. Duelio;* D *p. duclio;* ceteri *P. Duellio.* — quis Atilio — Scipionibus) T om. — Atilio) E *atillio;* Ma, Lb, Pa, Pb, Pc, et C *Attilio;* $\chi 3$ *Attillio.* — Calatino) Lc *catilino,* D *colatino,* $\chi 3$ *Callacio,* C om. — Maximo) C om. — tamen) Seruarunt B et E. — sumus) E, Ma, Lb, Br. a man. sec., et ς *summos;* La, D, $\chi 1$, 3, et ψ *summus,* set in La supers. *summos.* — assecuti) C *assequuntur.* —

Etenim) Sic B, E, et Lc; C *Est;* ceteri *Est enim.* — in uirtute) T om. — multi sunt) Sic B et E; La *multi;* Ma et Eybius om; ceteri *multis.* — ascensus) La, Pa, Pc, et O *assensus,* set in La supers. *ascensus.* — is) Pa *iis,* T *his.* — gloria maxime) E *maxime gloria.* — excellat) Pa *excellit.* — qui) Pa *quae.* — iam) Mc et Pa om, La post *fere* conlocat. — consecuti) La *secuti.* — quaeres) Sic B, E, et La; Pa *quaeris;* ceteri *quaeras.* — reppereris) Sic ς; B, E, Ma, Mb a pr. man., La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br., S, T, $\chi 1$, 3, ψ, et Pall. *reperis;* Mb a m. sec. et H *reperies;* C *reperieris;* Gr. mss. *reperias;* Mc *requiris.* —

nemo) Lc *ne.* — umquam) Pa *antequam.* — fit) E, Mc, ς, et ψ *sit.* — potuit) D *petit.* — L.) La *Iulius.* — ciuitatem) Pb et Pc *ciuitate.* — liberauit) Pa *libauit.* — laude multum) La *laude dignum multum.* — Sic igitur — est factus) Pa om. — quaestor) ς *consul.* — haec) Ma *hy,* La, Pa, et ψ *hoc,* Lb *hi.* — consecuti) Lb *consecuti sunt.* —

§. 61. Profers) Ma *profer,* Lb *pretores.* — Didi) Sic B et E; Uict. a et $\chi 1$ *Gracchi;* Lb *Manlii;* ceteri omittunt partim cum lacuna, ut Ma, Mb, Lc, Pa, Pb, Pc, O, G, et Lallem., partim sine lacuna, ut Mc, La, D, Br., C, H, S, T, ς, $\chi 3$, et ψ. — Marii) Pa *Marcii.* —

uero isti, quos conmemoras, propterea magistratus ceperint, quod triumpharant, et non, quia conmissi sunt iis magistratus, [in quibus] re bene gesta triumpharint. Rogas, quae castra uiderit: qui et miles in Creta hoc inperatore et tribunus in Macedonia [militum] fuerit, et quaestor tantum ex re militari detraxerit temporis, quantum in me custodiendum transferre maluerit. Quaeris, num disertus? immo, id quod secundumst, ne sibi quidem uidetur; num iuriscon- 62
sultus? quasi quisquam sit, qui sibi hunc falsum de iure respondisse dicat. Omnes enim istiusmodi artes in iis reprehenduntur, qui, cum professi sunt, satisfacere non possunt, non in iis, qui afuisse ab istis studiis confitentur. Uirtus, probitas, integritas in candidato, non linguae uolubilitas, non ars, non scientia requiri solet. Ut nos in mancipiis parandis quamuis frugi hominem, si pro fabro aut pro tectore emimus, ferre moleste solemus, si eas artis, quas in emendo secuti sumus, forte nesciuerit; sin autem emimus, quem uilicum inponeremus, quem pecori praeficeremus, nihil in eo nisi frugalitatem, laborem, uigilantiam esse curamus: sic po-

---

magistratus ceperint) Sic B, E, et duo Lallemandi, nisi quod B et E conpendio usi sunt pro uerbo *magistratus* hoc: *magg.*, quo E et alibi usus est; Mb et Uict. a *magistratus gesserint;* Lc in margine *magistratus adepti sint;* Ma, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, G, et H *magis* (tum uacuum spatium) *quod;* Mc et ψ *magis laude fuerunt digni;* Lb *magis non ciues laude fuerint digni;* Urs. *magistratibus fuerint digni;* Br., S, ς, χ1, et 3 *magis quod;* C *magisque;* ceteri *magis laude fuerint digni.* —

triumpharant) Sic B, E, Lb, O, G, Br., χ1, 3, duo Lallemandi, et F1; La *triumpharint*; C *triumpharent*; ceteri *triumpharunt.* — et) Ma *At*, Lc et H *an.* — et non — triumpharent) C om. — quia) χ1 *qua.* — magistratus) Ma et D *magistratibus.* — in quibus) Urs. *in iis.* — re bene) ς *res bene.* — triumpharint) Sic Urs. in libro suo dicit scribi; Pa *triumpharunt*; Pb *triumpharant*; ceteri *triumpharent.*—

uiderit) Pa *uideret.* — qui et miles) Mc et C *qui miles*, T *qui nullus.* — imperatore) Lb, T, et ς *in patre*, C *in parte*, χ3 om. — tribunus) Uict. a *tribuno.* — in Macedonia militum) Lb *militum in Macedonia.* — tantum) Lc *tamen.* — ex re militari) χ3 om. — temporis) Pb *temporum*, La et χ3 om, set in La supers.. — in) χ1 om. — maluerit) D *noluerit*, χ3 *maluerunt.* —

§. 62. num) La et ψ *non*, D *unde.* — disertus) E *disertus sit*; de B tacetur; La *desertus* (i supers.) cum gl. *discretus*; Lc *discretus*; Mc, Pb, Pc, et D *desertus;* C et H *disertui.* — secundum) La *falsum* cum gl. *secundum*; Lb *sciendum.* — iurisconsultus) Pa *iuris consulatus.* — quisquam) La et ψ *quispiam*, set in La supers. *quisquam.* — hunc) Mc *huc*, Pb *habet.* — falsum) Mb *factum*, Ma, Lc, D, et H *falso.* —

istiusmodi) C *istius mundi*, et sic in D uidetur fuisse, set correctum; χ1 *huiusmodi.* — in iis repreh.) Lb *reprehenduntur in his*, ψ *nihil reprehenduntur.* — reprehenduntur — in iis) χ3 om. — professi sunt) Sic B, E, La, Lb, Pc, D, O, G, Br., C, et Eybius, in La tamen sup. *sunt* scriptum *fuerint;* Pb *professi fuerunt;* ceteri *professi fuerint.* — non in iis) Mb *non iis*, La et ψ *nisi in iis.* — qui abfuisse) B et E *qui se abfuisse.* — istis) Sic B, E, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br., C, H, χ3, et ψ; S et T *istius;* ceteri *his.* — confitentur) Lb et χ3 *profitentur.* —

integritas) χ3 om. — candidato) D cum gl. *competitore.* — uolubilitas) χ1 et 3 *nobilitas.* — non ars) χ3 om. — frugi) D cum gl. *utilem.* — fabro) Mc *facto.* — pro) Pc om. — tectore) Sic B, E, G, Br. a pr. manu, et C; Br. a m. sec., G in margine, et ceteri *textore.* — emimus) La cum gl. *accepimus;* Ma, Lc, et D in margine *adcepimus;* ψ (*al.*) *accepimus;* χ3 *eminus.* — nesciuerit) E *nesciunt*, Pa *nescierit*, Pb *nesciuerunt*, C *nescierint*, F1 *nesciuit.* —

sin) Pb, Pc, et C *si.* — autem) T om. — emimus) La et χ3 *e minus.* — uilicum) Sic B, D, et F1; ceteri *uillicum.* — pecori) χ3 *pectori.* — frugalitatem) D *fragilitatem.* — curamus) χ1 *curaremus.* —

pulus Romanus deligit magistratus quasi rei publicae uilicos; in quibus si qua praetereast ars, facile patitur; sin minus, uirtute eorum et innocentia contentus est: quotus enim quisque disertus, quotus quisque iuris peritus est, ut eos numeres, qui uolunt esse? quodsi praeterea nemo dignus, quidnam tot optumis et ornatissumis ciuibus est futurum?

63 XXVI. Iubes Plancium de uitiis Laterensis dicere; nihil potest, nisi eum nimis in se iracundum [putabis] fuisse. Idem ecfers Laterensem laudibus; facile patior, id te agere multis uerbis, quod ad iudicium non pertineat, et id te accussantem tamdiu dicere, quod ego defensor sine periculo possim confiteri. Atqui non modo confiteor, summa in Laterense ornamenta esse, set te etiam reprehendo, quod ea non enumeres, alia quaedam inania et leuia conquiras. Praeneste fecisse ludos. Quid? alii quaestores non fecerunt? Cyrenis liberalem in publicanos, iustum in socios fuisse. Quis negat? set ita multa Romae geruntur, ut uix ea, quae fiunt in
64 prouinciis, audiantur. Non uereor, ne mihi aliquid, iudices, uidear adrogare, si de quaestura mea dixero. Quamuis enim illa floruerit, tamen eum me postea fuisse in maxumis inperiis arbitror, ut non ita mihi multum gloriae sit ex quaesturae laude repetendum; set tamen non uereor, ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quaesturam aut clariorem aut gratiorem fuisse.

---

deligit) Mc *deliget*, La, Lc, Pa, H, et ψ *delegit*, Pb et Pc *diligit.* — magistratus) Mb et Uict. a *ad magistratus;* Mc *ingratus;* Pa *senatus magistratus.* — si qua) Pc, D, et O *si quae*, χ3 *si que.* — est ars) Pa *ars est.* — sin) Mc, D, C, et χ3 *si.* — eorum) E *forum.* —

disertus) D *desertus.* — numeres) C *numeros.* — uolunt) Lb et F1 *nolunt.* — praeterea) H *propterea.* — nemo dignus) Sic ego corr.; B et E *nemo est honore dignus;* Mc, La, et ψ *honore dignus nemo est;* Lb *honore nemo dignus est;* Pb, Pc, D, O, C, ς, χ1, et 3 *honore dignus;* ceteri *honore dignus nemo.* — quidnam) Mc om, D et C *quid iam.* — tot) C om. — et) D *aut.* — ciuibus) Lb *uiris ciuibus.* — est) La cum gl. *esse*, C *esse.* —

C. XXVI. §. 63. Nihil) Lb, Pa, Pb, et Pc *Nil.* — nisi eum — iracundum) Lambinus in libris uett. sic fere scriptum se repperisse ait: *nisi nimis eum auraeundum*, et in nonnullis *incarendum putabis fuisse.* — nisi) D om, set habet supers. ut ins.. — eum) Ma, Mc, Lc, D, H, S, χ1, et 3 *cum.* — nimis) Mc *nihil nimis*, S et χ1 *mimis.* — in se) Ma om, C *esse.* — putabis fuisse) La *fuisse putabis*, Pal. 2 *putabit fuisse*, S et χ1 *putabit esse.* — ecfers) B *ut fers.* — Laterensem) D et C *Laterense.* —

patior, id) La *id patior.* — quod) Pc et χ3 *quo.* — ad) χ1 om. — non) Pb et Pc om. — dicere) ς *dicerer.* — quod) La *quam* cum gl. *quod.* — defensor) E *defensori.* — possim) Ma, Pa, Pb, Pc, D, et C *possum.* — Atqui) Ma, Mb, et Lc *Atque.* — te) Mb et ς om, set in Mb supers.. — etiam) Pa om, χ3 *eciam non neque.* — enumeres) Ma, Mb, et Lc *numeres.* — alia) D *aliqua.* —

Praeneste) E *pranestae*, Pa et ς *Praenestre*, χ3 *pernosce.* — fecisse) Ma *fuisse.* — non fecerunt) Sic Lb; ceteri *nonne fecerunt.* — liberalem) La *libertate* cum gl. *liberalem*, ψ *libertatem*, χ1 *liberalis.* — socios) Mb et ς *sociis.* — sed) D *si.* — multa Romae) La *Romae multa.* — ut uix ea — audiantur) Pa om. —

§. 64. Non uereor — dixero) A habet. — mihi aliquid) Ma *aliquid mihi.* — uidear) Mc *uerear.* — adrogare) Sic A, B, et E; ceteri *arrogasse.* — enim) D om, set habet supers.. — floruerit) D, G, Br., et χ3 *floruit*, set in Br. margini ads. *alii floruerit.* — tamen) χ3 *causam.* — eum) Ma, Mc, La, Lb, D, χ3, et ψ *cum;* Pa om. — me postea) Mc *postea me.* — maximis imperiis arbitror) Sic B, E, et Lc; Mb, Uict. a, et S *maximis rebus arbitror;* ceteri *maximis arbitror.* — ita mihi multum gloriae sit) Sic B et E; Pa *mihi multum sit ita;* ceteri *ita mihi multum sit.* — dicere) Lc om. — ullius) Mc et χ1 *illius.* — aut clariorem aut gratiorem) Sic B et E; ceteri *aut gratiorem aut clariorem.* —

Uere mehercule hoc dicam: sic tum existumabam, nihil homines aliut Romae nisi de quaestura
mea loqui. Frumenti in summa caritate maxumum numerum miseram; negotiatoribus comis,
mercatoribus iustus, mancipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus eram uisus in omni officio
diligentissumus; excogitati quidam erant a Siculis honores in me inauditi. Itaque hac spe de- 65
cedebam, ut mihi populum Romanum ultro omnia delaturum putarem. At ego cum casu die-
bus iis itineris faciendi caussa, decedens e prouincia, Puteolos forte uenissem, cum plurumi et
lautissumi in iis locis solent esse: concidi paene, iudices, cum ex me quidam quaesisset, quo
die Roma exissem, et num quidnam esset noui. Cui cum respondissem, me a prouincia de-
cedere: etiam mehercule, inquit, ut opinor, ex Africa. XXVII. Huic ego iam stomachans
fastidiose, immo ex Sicilia, inquam. Tum quidam, quasi qui omnia sciret: Quid? tu nescis,
inquit, hunc Syracusis quaestorem fuisse? Quid multa? destiti stomachari, et me unum ex
iis feci, qui ad aquas uenissent. Set ea res, iudices, haut scio an plus mihi profuerit, quam 66
si mihi tum essent omnes gratulati. Nam posteaquam sensi populi Romani auris hebetiores,
oculos acris atque acutos, destiti quid de me audituri essent homines, cogitare; feci, ut postea

---

mehercule) Sic B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, D, O, Br., C, H, T, ς, χ1, et 3; ceteri *mehercules.* — hoc) Mc *hoc fuisse*, set *fuisse* punctis subnotatum. — sic tum) D et χ3 *sic cum*, C *si.* — nihil) Lc *nil*, C *tunc nihil.* — homines aliud) Pb et Pc *aliud homines*, F1 *homines.* —

Frumenti) La et ψ *frumentum*, set in La supers. *frumenti.* — max. num.) Ma *maximumerum.* — miseram) ς *misericordiam*, ψ *miserum.* — negotiatoribus) Lb *negotiationibus*, C om, F1 *mercatoribus.* — comis) La *comes* cum gl. *comis.* — mercatoribus) F1 *negotiatoribus.* — mancipibus) Sic E; La, Pa, et ψ *municipiis*, set in La supers. *municipibus;* de B tacetur; ceteri *municipibus.* — omnibus) Pa *omnibus, omnibus.* — uisus) E *usus.* — in omni) La, Lb, et Pa *omni in.* — quidam) La et χ3 *quidem.* — Siculis) C *Siculo.* — honores in me inauditi) Sic B et E; ceteri *honores inauditi.* —

§. 65. decedebam) Pa et ς *decebam*, C *docebam.* — mihi) Mc *nihil.* — ultro) χ3 *ultra.* — putarem) χ3 *putaui.* — causa) La *gratia* cum gl. *causa.* — decedens) ς *dicens.* — e) Lb, C, et χ1 *ex.* — Puteolos) La cum gl. *Puteolis*, ψ *Puteolis*, Ma *puteolo.* — forte) Mc *fortasse.* — et) C *etiam.* — lautissimi) La *sanctissimi* cum gl. *lautissimi*, χ3 *laudacissimi.* — in iis locis solent esse) Sic B et E; La *esse solent in iis locis;* Lb *ut solet esse in iis locis;* Lc *soleut etiam in iis locis;* ceteri *solent esse in iis locis.* — me) Pa om. — Roma) Mb et Mc *romam.* — exissem) χ3 *exisset.* — num quidnam) Sic B et E; ceteri *numquid in ea.* — esset) Pa *esse.* —

respondissem) χ3 *respondisset.* — me a) Sic C, H, S, T, ς, et χ3; E, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, χ1, et ψ *mea e;* Mc *mea est;* ceteri *me e.* — etiam) Mc *et.* — mehercule) Sic B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, D, O, C, T, ς, et χ3; ceteri *mehercules.* —

C. XXVII. Huic) Ma *hic.* — iam) H om. — fastidiose) Pa *studiose*, Pa *fastiose.* — immo) ψ *nemo* (*al. imo*). — ex) Ma *in ex* — Tum quidam) χ3 *cum quidem.* — quasi) B om. — qui) C *qui iam.* — nescis) ψ *scisne.* — inquit, hunc) C *cum*, ψ *inquit? Nunc.* — Syracusis quaestorem) E *quaestorem syracusis.* — Syrac.) χ (sic) *Syracusi.* — quaestorem) χ3 *quaestore.* —

§. 66. Sed ea res — gratulati) A habet. — ea) Ma om. — plus mihi profuerit) A *pluris mihi fuerit.* — mihi tum) Lc *tum mihi*, Pc *mihi tu.* — omnes) La, D, et ψ om. — gratulati) Sic A, B, et E; ceteri *congratulati.* — populi R.) Sic Lb; B *populo Romano;* E *·p· ·R·;* ceteri *populum Romanum.* — oculos acris atque acutos) Sic ego corr.; B et E *oculos autem esse acris atque acutos;* Ma, Lc, D, et H *oculos acres habere;* χ3 *oculos acres acutos habere;* ceteri *oculos acres atque acutos habere.* —

destiti) Pb et χ3 *destitisti*, D et ς *dedisti.* — quid de me) La *quid me.* — feci — uiderent) H om. —

cotidie praesentem me uiderent; habitaui in oculis; pressi forum; neminem a congressu meo neque ianitor meus neque somnus absterruit. Ecquid ego dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem umquam otiosum? Nam quas tu commemoras, Cassi, legere te solere orationes, cum otiosus sis, has ego scripsi ludis et feriis, ne omnino umquam essem otiosus. Etenim M. Catonis illut, quod in principio scripsit Originum suarum, semper magnificum et praeclarum putaui, clarorum uirorum atque magnorum non minus oti, quam negoti rationem extare oportere. Ita si quam habeo laudem, quae quanta sit nescio, parta Romaest, quaesita in foro; meaque priuata consilia publici quoque casus conprobauerunt, ut etiam summa res publica mihi domi fuerit gerenda et urbs in urbe seruanda.

67 Eadem igitur, Cassi, uia munita Laterensist, idem uirtutis cursus ad gloriam; hoc facilior fortasse, quod ego huc a me ortus et per me nixus ascendi; istius egregia uirtus adiuuabitur commendatione maiorum. Set ut redeam ad Plancium, numquam ex urbe is afuit nisi sorte, lege, necessitate; non ualuit rebus isdem, quibus fortasse nonnulli; at ualuit adsiduitate, ualuit obseruandis amicis, ualuit liberalitate; fuit in oculis; petiuit ea usus ratione uitae, qua minuma inuidia noui homines plurumi eosdem honores consecuti.

---

praesentem me) Sic E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Pa, Pb, D, et O; de B tacetur; ceteri *me praesentem.* — forum) Sic S et T; ceteri *eorum.* — a congressu) E ·*a*· *congressum.* — ianitor meus) C *iam iter meum.* — somnus) D, C, et χ3 *sonus.* — absterruit) Ma et Le *abstruit;* Uict.a *abstrusit;* La *absterruit* cum gl. *abstinuit;* ς *absternit.* —

Ecquid) Sic B, La, Lb, Lc, H, S, T, ς, χ1, 3, et ψ; ceteri *Et quid.* — cui) C *cum.* — fuerit) Mc *fuit.* — ne otium) Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, C, H, ς, χ1, 3, et ψ *negotium.* — quidem umquam) Pb *nunquam,* Pc *unquam,* Ma *numquam quidem,* Mb, Mc, D, et C *quidem nunquam.* — otiosum) D *occisum* superscripto *o.* —

otiosus) ψ *occisus.* — ludis et feriis) Mc, Pb, et ψ *rudis et feriis;* Ma, La, Lb, Pa, Pc, D, O, C, ς, χ1, et 3 *rudis et ferus.* — otiosus) D *occiosus,* ψ *occisus.* — suarum) Ma, Lc, et H om. — putaui) ς *putauit.* — clarorum) D *clariorum.* — uirorum) E *hominum.* — uirorum atque magn.) Pb et Pc *atque magnorum uirorum.* — atque) T *at.* — quam negotii) Pb, Pc, et O om. — rationem exstare) Mc *extare rationem,* Pa *extare,* C *ratione exstare.* —

Ita) E *Itaque,* χ3 *Iam.* — foro) La et Mc *foro est.* — meaque) χ3 *mea.* — quoque) H *que.* — ut etiam) Mb *etiam ut.* — res publica) Mb *res* (i superscr.) *p.;* Lb, Pa, Br., D, C, et F1 *rei p.;* Ma et G *r. p.*. —

§. 67. Eadem — ascendi) A habet. — munita Laterensi) La *Laterensis inuncta* cum gl. *munita.* — Laterensi) E, Mc, Lc, C, H, ς, χ3 et ψ *Laterensis;* T *Laterenensis.* — uirtutis) E *uirtuti.* — hoc) La *hec* cum gl. *hoc.* — hoc fac.) Pa *facilior hoc.* — per me nixus) Pb, Pc, et O *pernixus.* — nixus) Br. *nissus,* χ3 *iussus.* — istius) Lb *illius,* χ3 *iustius.* — adiuuabitur) χ3 *adiuuabatur.* — ex urbe is afuit) Sic B (falso Orellius *is ex urbe afuit* scribere dicit); ceteri *ex urbe abfuit,* nisi quod La pro *ex* habet *ab* cum gl. *ex* et D *affuit* scribit. — sorte) Sic B, E, Mc, La, Lb, Pb, Pc, O, et G; idem pro uarietate supers. in F1; ceteri *forte.* — lege) F1 *legis* cum gl. *lege.* — necessitate) La et ψ *necessitatis,* Lc *necessitudine,* set in marg. ab ead. m. *necessitate* scriptum. —

iisdem) La et C *his,* D et χ3 *hiis.* — ualuit assiduitate — amicis, ualuit) Lc *ualuit seruandis amicis, at ualuit assiduitate, ualuit.* — ualuit (ante *obs.*)) Sic B et E; Pb *ac ualuit,* Pc *et ualuit;* ceteri *at ualuit,* nam H, qui *at* om, errore tantum ante sequens *ualuit* posuit. — obseruandis) Sic e coni.; B et E *adseruandis;* ceteri *seruandis.* — ualuit) H *at ualuit,* χ1 *ualuit in.* — in) χ3 *mihi.* — oculis; petiuit) B *oculis. fuit. petiuit.* — ea) Seruarunt B, E, et S. — usus) Sic ego corr.; libri *est usus,* nisi quod T *est uisus.* — ratione uitae, qua) Sic B et E; T *Rome qua;* ceteri *ratione, qua.* — plurimi) D *plurimum,* C *plurimos.* — eosdem h. consecuti) Sic Lb, Pa, Pb, Pc, et O; B et E *sunt eosdem h. consecuti;* Ma *eosdem h. sunt consequuti;* C *eosdem h. consecutos;* ceteri *eosdem h. consecuti sunt.* —

XXVIII. Nam quod ais, Cassi, non plus me Plancio debere, quam bonis omnibus, quod iis aeque mea salus cara fuerit: ego me debere bonis omnibus fateor. Set etiam ii, quibus ego debeo, boni uiri et ciues, comitiis aediliciis aliquid se meo nomine debere Plancio dicebant. Uerum fac me multis debere, et in iis Plancio: utrum igitur me conturbare oportet, an ceteris, cum cuiusque dies uenerit, huic nomen, quod urget, nunc, cum petitur, dissoluere? quamquam dissimilis est pecuniae debitio et gratiae. Nam qui pecuniam dissoluit, statim non habet id, quod reddidit, qui autem debet, aes retinet alienum; gratiam autem et qui refert habet, et qui habet, in eo ipso, quod habet, refert. Neque ego nunc Plancio desinam debere, si hoc soluero; nec minus ei redderem uoluntate ipsa, si hoc molestiae non accidisset. Quae- 69
ris a me, Cassi, quid pro fratre meo, qui mihist carissumus, quid pro meis liberis, quibus nihil potest esse iucundius, amplius quam quod pro Plancio facio facere possim; nec uides, istorum ipsorum caritate ad huius salutem defendendam maxume stimulari me atque excitari. Nam neque illis huius salute, a quo meam sciunt esse defensam, quicquam est optatius, et

---

C. XXVIII. §. 68. omnibus) D et C *hominibus.* — quod — omnibus) ς et χ1 om. — iis) Pb et Pc *is.* — aeque) Lb om. — mea salus cara) Lc *cara salus mea.* — salus cara) Ma *cara salus.* — cara fuerit) Mb om, set a m. sec. supers.. — fuerit) Lb om. — bonis omnibus fateor) Mc *bonis omnibus fateor bonis*; D *omnibus bonis fateor*; La et χ3 *hominibus omnibus fateor.* — etiam) C om. — ii) Sic Mb, Mc, et aliquot Pall.; ceteri *hi.* — comitiis aediliciis) Sic E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, et O; de B tacetur; ceteri *aediliciis comitiis.* — aliquid) Pb *ad.* — se meo) Mss. in Gr. Uarr. Lectt. *meo se* habere dicuntur; eodem modo in Ox. scriptum extare, ex silentio ed. Ox., qui *meo se* edidit, concludi posset. — debere Plancio) E *plancio debere.* —

multis) D *de multis.* — et) La *ut.* — conturbare) La cum gl. *contribuere*, H *contribuere*, idemque in marg. Mb scriptum; ς *turbare.* — oportet) Pa *oporteret*, χ3 om. — ceteris) χ1 *caeteri.* — cum cuiusque) Ma *cuiusque*, Mc *cuiuscunque.* — uenerit) Ma *uenerint*, La et ψ *uenerit satisfacere.* — huic) Sic ego corr.; libri *hoc.* — nomen) Mc *nomen si licet debitoris*; La, ψ, et F2 *nomen debitoris*; D *nomen debitō*; Pb, H, et χ3 *nomine.* — quod urget) Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, C, H, T, χ1, 3, ψ, et F2 *quo urget.* — nunc) Lb om. — cum petitur) Ma, Mb, Mc, La, Lb, Pa, Pb, Pc, D, O, C, H, χ1, 3, ψ, F1, et 2 *competitor*; Pith. *cumpetitor.* —

Quamquam — gratiae) A habet; Nonius p. 203,24. Merc. *Nam alia est debitio pecuniae, alia gratiae.* — pecuniae) A *fortunae.* — debitio) Pb *debitae.* — habet) ς *haberet.* — id) Ma om. — debet) Mc om. — aes) Sic B, Ma, Lc, D, C, H, S, χ1, ψ, Urs., optuma A. Gellii exemplaria I, 4., et Mb et La a m. secunda; χ3 om; ceteri *is.* — gratiam autem — habet, refert) A habet. — gratiam autem) La *gratiam habet autem.* — et qui habet, in) A om. — ego) χ3 *enim.* — debere) Pb et Pc *habere.* — ei) Mb, ς, et F1 om, set in Mb supers.; Ma, Lc, H, et ψ *et ei*; χ3 *et.* — molestiae) Mc *molesti*, Ma, C, χ1, et F1 *moleste.* —

§. 69. mihi est) Lb *est mihi.* — nihil potest esse iuc.) B, E, Ma, Mb, Mc, et D *nihil mihi potest esse iuc.*; in La super *esse* scriptum *mihi*; Lc, Pb, Pc, G, Br., S, ς, χ1, 3, et ψ *nihil potest mihi esse iuc.*; Pa *mihi nihil potest esse iuc.*; T *nihil potest mihi ioc..* — quam quod pro) Sic B, E, et Lc; ceteri *quam pro.* — facio) Mc et χ1 om. — possim) La cum gl. *possem*, ψ *possem*, Mc et Pb *possum*, χ3 om. — istorum ipsorum) D *ipsorum istorum.* — caritate) C *caritatem*, ψ *temporum caritas.* — defendendam) Pa *deferendam*, χ3 *defendam.* — me atque) Lc et H *meque*, C *meque*, *atque.* —

illis) ς *illius.* — salute) D *salutem.* — sciunt) Mb cum gl. *sciam.* — defensam) C *offensam.* — quicquam) D *quicquid.* — est) χ3 *esse.* —

ego ipse numquam illos aspicio, quin, quom per hunc me iis conseruatum esse meminerim, huius meritum in me recorder. Opimium dampnatum esse conmemoras, seruatorem ipsum rei publicae; Calidium adiungis, cuius lege Q. Metellus in ciuitatem sit restitutus: reprehendis meas pro Plancio preces, quod neque Opimius suo nomine liberatus sit neque Q. Metelli Calidius.

XXIX. De Calidio tibi tantum respondeo, quod ipse uidi: Q. Metellum Pium consulem praetoriis comitiis, petente Q. Calidio, populo Romano supplicasse, cum quidem non dubitaret et con-
70 sul et homo nobilissumus patronum illum et suum et familiae suae nobilissumae dicere. Quo loco quaero ex te, num id in iudicio Calidi putes, quod ego in Planci facio, aut Metellum Pium, si Romae esse potuisset, aut patrem eius, si uixisset, non fuisse facturum. Nam Opimi quidem calamitas utinam ex hominum memoria posset euelli! Uolnus illut rei publicae, dedecus huius inperi, turpitudo populi Romani, non iudicium putandumst. Quam enim illi iudices, si iudices et non parricidae patriae nominandi sunt, grauiorem potuerunt rei publicae infligere securim, quam cum illum e ciuitate eiecerunt, qui praetor finitumo, consul domestico
71 bello rem publicam liberarat? At enim nimis ego magnum beneficium Planci facio, et, ut ais, id uerbis exaggero; quasi uero me tuo arbitratu, et non meo gratum esse oporteat. Quod

---

ipse) La *ipsos* cum gl. *ipse.* — illos asp.) Pa *aspicio illos.* — quin, cum per) Sic B et E; Pb *quis per,* Pc *quid per,* ς *quin,* ceteri *quin per.* — iis) Sic B et Mc; D et Br. *hiis*; ceteri *his.* — conseruatum) Ma *seruatum,* La *conseruandum* cum gl. *conseruatum.* — esse) Ma om, non E, qui adgnoscit. — huius) Sic B, E, Ma, Mb, La, Lb, Lc, Pa, Pb, D, O, G, Br., C, H, S, ς, χ1, 3, et ψ; Uict. a *et huius*; ceteri *huiusque.* — meritum) Sic B, E, Ma, Mb, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, Uict. a, D, O, G, Br., S, T, ς, χ1, et 3; ceteri *meriti.* — recorder) C *recordare,* χ3 *recordor.* —

Opimium) Pa *Optimum,* χ3 *Opinium.* — esse comm.) Pa *commemoras esse.* — seruatorem) La *saluatorem* cum gl. *seruatorem.* — ipsum) La, Mc, D, ψ, et Br. in marg. *ipsius.* — rei publicae) Lc om. — Calidium) Ma, Mc, Lb, Pb, Pc, et O *Callidium,* et sic constanter; Lc *Calidum,* postea modo *Calidium* modo *Callidium* scribens; χ1 *Callidum.* — Q. Metellus) Ma *M. metellus,* C *Q. Metello.* — in ciuitatem) La, Pa, Pb, Pc, C, χ3, et ψ *in ciuitate.* — quod) Pa *quodsi.* — neque Opimius) Sic B, E, et C; Pa *nec Optimus*; D et χ3 *nec Opinius*; ceteri *nec Opimius.* — nomine) χ3 om. — liberatus) Pa *libatus.* — sit) D *fuit.* — neque Q. Metelli) Sic B; E *neque metelli*; Ma *nec M. metelli*; ceteri *nec Q. Metelli.* —

C. XXIX. tibi tantum) Mc et Pb *tantum tibi,* Pc *tamen tibi,* O *tibi tamen,* C et χ3 *tibi non.* — ipse) Mb om, set supers. ut ins.. — uidi) Ma et Mb *iudices uidi,* ψ *Iud..* — Q.) Mb *m'.* — Pium) Mc *ipsum.* — consulem) F1 om. — petente Q.) E *petenteque.* — populo R.) La *romano populo,* C *populum R..* — dubitaret) Pb et Pc *dubitarem.* — illum et) Sic e coni.; E *esse illum*; ceteri *illum esse.* — suae) B et E om. — dicere) Pc *deesse.* —

§. 70. num) Pb, Pc, et χ3 *non,* D *unde,* set in marg. *alii num.* — id) Lb ante *putes* conlocat. — quod) Pa *quo.* — Plancii) B, La, D, C, ψ, et F1 *Plancio,* set in La supers. *Plancii*; χ3 *Plancium.* — fuisse) ς *fuisset.* — hominum) La *omnium* cum gl. *hominum.* — posset) D *potuisset.* — populi R.) Pa om. — est) C om. —

illi) E om, set ab eadem m. supers. ut ins.. — et) Ma et H om. — patriae) χ3 om. — potuerunt) Lb *potuerint.* — infligere) D et C *infringere.* — securim) Pa *securius.* — quam) Ma, Mb, Lc, D, H, ς, et χ1 om. — illum) C om. — eiecerunt) Pa *necarunt.* — qui — liberarat) T om. — liberarat) Ma om. —

§. 71. ego) Lc om. — magnum ben.) Pb et Pc *beneficium magnum.* — Planci) Sic e coni. Lamb.; libri *Plancio.* — facio) Seruarunt B, E, C, H, S, et T; Mc *iacto s. me debere*; eadem uerba O in margine habet; pariter Gruterus mss. quosdam ad oram, quosdam in contextu habere monet: *iacto scilicet me debere.* — id) D *de,* Pa *his,* F1 om. — exaggero) C *exagrego,* ς *aggero.* —

istius tantum meritum, inquit? an quia te non iugulauit? immo uero, quia iugulari passus non est. Quo quidem tu loco, Cassi, etiam purgasti inimicos meos, meaeque uitae nullas ab illis insidias fuisse dixisti. Posuit hoc idem Laterensis. Quamobrem de isto paulo post plura dicam; de te tantum requiro, utrum putes odium in me mediocre inimicorum fuisse: quod fuit ullorum umquam barbarorum tam inmane ac tam crudele in hostem? an fuisse in iis aliquem aut famae metum aut poenae, quorum uidisti toto illo anno ferrum in foro, flammam in delubris, uim in tota urbe uersari? nisi forte existumas, eos idcirco uitae meae pepercisse, quod de reditu meo nihil timerent. Et quemquam putas fuisse tam excordem, qui uiuis his, stante urbe et curia rediturum me, si uiuerem, non putaret? Quamobrem non debes is homo et is ciuis praedicare, uitam meam, quae fidelitate amicorum conseruata sit, inimicorum modestia non esse adpetitam.

XXX. Respondebo tibi nunc, Laterensis, minus fortasse uehementer, quam abs te sum 72
prouocatus, set profecto nec considerate minus nec minus amice. Nam primum illut fuit asperius, me quae de Plancio dicerem mentiri et temporis caussa fingere. Scilicet homo sapiens excogitaui, quamobrem uiderer maxumis benefici uinclis obstrictus, cum liber essem et solutus. Quid enim? mihi ad defendendum Plancium parum multae, parum iustae necessitudines erant

---

te non) Mc *non te.* — iugulauit) C et T *uigilauit.* — immo) D *uno*, set marg. ads. *alii imo uero.* — iugulari) C *uigilari.* —

tu) χ3 *in.* — meaeque) La cum gl. *neque*, Lc et C *neque*, Lb et ψ *meque.* — nullas) La cum gl. *ullas*, Lb *nonnullas*, Lc *ullas.* — ab illis) Lc *ab istis*, Pa om. — Posuit) La *Potuit* cum gl. *posuit.* — de isto paullo post) E *paulo post de isto.* — plura) Ma, Lc, D, et H om. — te) Pa *re.* — tantum) Lc *tamen.* — utrum) Ma *Uterum.* — putes) Pb *putas.* — odium in me) La *in me odium.* —

in me mediocre — ullorum) Pb, Pc, et O om. — ullorum umquam) Sic B, E, Pb, Pc, et duo Lallemandi, nisi quod Pb et Pc *ullorum* omittunt; ceteri *ullorum* (Ma *illorum*) *tantum? requiro, utrum putes odium unquam*, nisi quod in C, T, χ1, 3, Pal. 2, 6, S. Uictoris, et Grut. oculorum aberratione omissa sunt haec uerba: *odium in me mediocre inimicorum fuisse. quod fuit ullorum tantum? requiro, utrum putes.* Gruterus quidem ultuma *utrum putes* non rettulit inter uerba, quae monuit in suis mss. omissa esse, set id sine dubio errore factumst. Patet enim librarium quendam a uerbis superioribus *utrum putes* ad repetita illa aberrasse. Gruteri notam male Graeuius et Garatonius interpretati sunt. —

ac) Ma *aut.* — tam) χ3 *atque.* — fuisse) Mc om. — iis) C *his.* — toto illo) Ma, Lc, H, et ψ *toto fere.* — forte) Seruarunt B et E. — existimas) Ma *estimas*, Mc *existimes.* — meae) D *me.* — pepercisse, quod) Mc *pepercisse clam quidem sed magnifice de se ipso quod.* — nihil timerent) Sic B et E; ceteri *non timerent.* — Et quemquam) Ma, Mb, et Lc *Et quem*, T *Et quamquam.* — excordem) D cum gl. *insanum.* — his) C om. — urbe et curia) Ma et Lc *curia et urbe*, Pb, Pc, O, et C *urbe curia.* — rediturum) D, C, et ψ *redditurum.* —

debes) Mc, Pb, Pc, S, T, χ3, et ψ *debet.* — is — is) Mc *his* — *his*, D *hiis* — *hiis.* — et) Pa om. — amicorum) Pa *amicos.* — conseruata) Ma, Pb, et Pc *seruata*, Lc *obseruata.* — modestia) B, E, Ma, Mb, Mc, La, ψ, Br., et Gr. mss. *molestia;* Pa om; χ1 *molestiam;* ς *modestiam.* — non esse) Pa om. —

C. XXX. §. 72. Respondebo) La, Pa, et ψ *Respondeo.* — nunc, Later.) Mb *Laterensis nunc.* — minus) Mc om. — prouocatus) Ma *uocatus.* — nec cons.) Lb *non considerate.* — nec minus) Ma et D om, La *neque minus.* — illud fuit) E *fuit illud.* — me, quae) Pa *nequae*, D *meque.* — dicerem) La om, ψ *dicere.* — uiderer) C et χ3 *uiderem*, Pa *iudices.* — beneficii) Lb et χ3 *beneficiis.* — uinclis) Sic E; de B tacetur; ceteri *uinculis.* — obstrictus) Pb et Pc *abstrictus.* — solutus) F1 *absolutus.* —

parum multae) Pb, Pc, et χ3 om. — erant) C *essent.* —

familiaritatis, uicinitatis, patris amicitiae? quae si non essent, nererer credo, ne turpiter facerem, si hoc splendore et hac dignitate hominem defenderem. Fingenda fuit mihi uidelicet caussa peracuta, ut ei, quem mihi debere oporteret, ego me omnia debere dicerem. At id etiam gregarii milites faciunt inuiti, ut coronam dent ciuicam et se ab aliquo seruatos esse fateantur: non quo turpe sit, protectum in acie ex hostium manibus eripi (nam id accidere nisi forti uiro et pugnanti comminus non potest,) set onus benefici reformidant, quod permagnumst,
73 alieno debere idem quod parenti. Ego, cum ceteri uera beneficia, etiam minora dissimulent, ne obligati esse uideantur, eo me beneficio obstrictum esse ementior, cui ne referri quidem gratia posse uideatur? An hoc tu, Laterensis, ignoras? qui cum mihi esses amicissumus, cum uel periculum uitae tuae mecum sociare uoluisses, cum me in illo tristi et acerbo luctu atque discessu non lacrumis solum tuis, set animo, corpore, copiis prosecutus esses, cum meos liberos et uxorem me absente tuis opibus auxilioque defendisses, sic mecum semper egisti, te mihi remittere atque concedere, ut omne studium meum in Cn. Planci honore consumerem, quod
74 eius in me meritum tibi [etiam] ipsi gratum esse dicebas. Nihil autem me noui, nihil temporis caussa dicere, nonne etiam illa testis est oratio, quaest a me prima habita in senatu? in qua cum perpaucis nominatim egissem gratias, quod omnes enumerari nullo modo possent, scelus autem esset quemquam praeteriri, statuissemque eos solum nominare, qui caussae no-

---

uicinitatis) C *in ciuitatis.* — patris) Lb *patriae.* — patris — uererer) T om. — uererer credo) „Duodecim uerba desunt hic in Bauarico, in quibus *uererer* est.“ *Garatoni.* — uererer) Sic E, Pb, O, C, H, S, et ψ; ceteri *uereor.* — credo) χ1 om. — hoc — dignitate) C om. — fuit mihi) E, Ma, Mc, et Lc *mihi fuit.* — uidelicet) Sic B, E, C, H, S, T, ς, et χ3; ceteri *iudices.* — mihi debere oporteret) La *mihi oportere deberet*, Lc *debere mihi oporteret*, Pb et Pc *mihi debere oportebat.* —

At id — fateantur) A habet. — id etiam) La et Lb *etiam id.* — gregarii) ψ *egregii.* — inuiti) Lc *inuite.* — ciuicam) E *cuiquam*, C *cui eam*, χ3 *cuneam.* — ab aliquo seru.) Ma et Lc *seruatos ab aliquo.* — fateantur) C *fateamur.* — quo) C *quod.* — sit, protectum) Pb et Pc om, D *sit proiectum.* — in acie) Lc *in aciem.* — ex hostium manibus) Sic B et E; La *manibus hostium;* ceteri *hostium manibus.* — eripi) χ3 *arripi.* — id) Mb om, set ab ead. m. supers.. — nisi forti uiro) Ma *nisi fortuito*, D *mforti*, C *nisi forti.* — pugnanti) ς *oppugnanti*, χ1 *compugnanti.* — cominus) Mc, C, et ψ *quo minus*, D *eo minus.* — est) Ma om. — idem) χ3 *id.* —

§. 73. uera) Ma, D, et χ1 om, H *uiri.* — etiam) Mc, C, et H *et.* — obstrictum) C *instructum.* — ementior) Sic B, E, Mb, Mc, La, Pb, Pc, O, G, Br., ς, χ1, 3, et F1; Ma, Lb, D, et H *mentior;* Pa *mentio;* C *amentior;* ceteri *ementiar.* — cui) C *cuius.* — ne) ψ *me.* — referri) ς *referre.* — posse) Pa om. — uideatur) χ1 *uideant.* — ignoras) C om. — uitae tuae) Mc *in te tuum.* — et) La *ac* cum gl. *et.* — corpore) Mb *et corpore*, χ3 *corde.* — esses) Pc *copiis.* — absente) Ma *absentem.* — opibus) D *operibus.* —

te mihi) E *tu mihi.* — studium meum) E *meum studium*, χ1 *studium.* — honore) Sic B, E, Mc, La, Lb, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br., C, H, χ3, et ψ; ceteri *honorem.* — in me meritum) C *immeritum.* — etiam ipsi gratum) Sic B, E, Pa, C, H, S, T, et ψ; Pb, Pc, et D *gratum etiam;* ceteri *etiam gratum.* — esse) Ma *fore*, C *etiam esse.* — dicebas) Pb *dicebam.* —

§. 74. nihil temporis) La, H, et ψ *uel temporis*, χ3 *temporis.* — nonne) Pb *in me.* — etiam illa) Ma *illa etiam,* Pa om. — illa testis est) E *est illa testis.* — testis) ς *tristis.* — perpaucis) Mc et C *pro paucis.* — egissem) Ma, Lc, H, et ψ *egissemus*, C *egisse.* — omnes) Pb et Pc om, C *eas.* — enumerari) Pa et ς *enumerare.* — scelus autem esset) Pa *scelus esse solet autem.* — esset) Ma *esse.* — praeteriri) C et χ3 *praeteriti.* — solum) Lb *non solum*, H om. — nominare) Ma, Mb, Lc, et ψ *nominari*, set in Mb super *i* positum *e.* — causae nostrae) E *nostrae causae*, C *esse nostros.* —

strae duces et quasi signiferi fuissent: in iis Plancio gratias egi. Recitetur oratio, quae propter rei magnitudinem dicta de scriptost; in qua ego homo astutus ei me dedebam, cui nihil magnopere deberem, et huius tanti offici seruitutem adstringebam testimonio sempiterno. Nolo cetera, quae a me mandata sunt litteris, recitare; praetermitto, ne aut proferre uidear ad tempus aut eo genere uti litterarum, quod meis studiis aptius quam consuetudini iudiciorum esse uideatur.

XXXI. Atque etiam clamitas, Laterensis: Quousque ista dicis! nihil in Cispio 75
profecisti; obsoletae iam sunt preces tuae. De Cispio mihi igitur obicies, quem ego de me bene meritum quia te teste cognoram, te eodem auctore defendi? et ei dices Quousque, quem negas quod pro Cispio contenderim inpetrare potuisse? Nam istius uerbi Quousque haec poterat esse inuidia: datus est tibi ille; condonatus ille; non facis finem: ferre non possumus; ei quidem, qui pro uno laborarit et ipsum id non obtinuerit, dici Quousque, inridentis magis est quam reprehendentis; nisi forte ego unus ita me gessi in iudiciis,

---

in iis) Sic ego corr.; libri *in his.* —

Recitetur) Sic B, E, Ma, et Uict. a; Pb *recitetur quae;* ceteri *reciteturque.* — propter) Ma *preter.* — rei) Sic B et E; ceteri *eius.* — dicta) C et ψ *dictu.* — de scripto) Ma et Mb *descripto;* E, Mc, La, Lb, Pb, Pc, O, C, ψ, et F2 *descripta;* Pa *scripta.* — ego) Pa om. — astutus) La *astrictus* cum gl. *astutus.* — me dedebam) Sic E, Lc, Pb, et χ3; B *me debam;* Ma, Mb, Mc, La, Lb, Pa, Pc, D, O, C, S, T, ς, χ1, ψ, et Grutt. *me debeam;* Uict. a *me dedam;* H *me debebam,* et sic F1, set alterum *b* puncto subnotatum; Urs. *me debere dicam.* — cui) Pa *ciui.* — nihil) Lc *nil.* — magnopere) D *magno opere.* — et) Pb et Pc *eius,* O *et eius.* — tanti officii) E *officii tanti.* — adstringebam) Sic B, E, C, H, S, T; Ma *abstringam;* Mc *constringam;* ceteri *astringam.* —

Nolo — recitare) A habet. — quae) Lc *quaeque.* — mandata sunt litteris) Ma *litteris dicta sunt;* Lc, D, et H *dicta sunt litteris.* — praetermitto, ne) S *praetermitto illa ne.* — uidear) E om. — ad tempus) Lambinus nonnullos codd. uett. *ad* omittere dicit. — eo) Ma om, C *ego.* — genere) Mc *genere forte phisico.* — uti litt.) Ma *litterarum uti.* — aptius) C *apertius.* — quam) Pa om. —

C. XXXI. §. 75. clamitas) E, ς, et χ3 *calamitas,* set in E *a* ante *l* puncto subnotatum. — dicis) E *iudices.* — in Cispio) Ma, Lb, et Lc *in scipio;* Mb, La, Pb, Pc, D, et O *in Sciprio;* C, H, S, T, χ1, 3, et ψ *Sciprio;* Mc *in cypro;* Pa *in Scipro;* F1 *de Sciprio.* — profecisti) La *proficisci* cum gl. *profecisti.* — obsoletae) Sic B; ceteri *absolutae.* — iam sunt) E *sunt iam.* —

Cispio) Ma, Lb, et D *scipio;* Mb, La, Lc, Pb, Pc, O, C, H, T, et ψ *Sciprio;* Mc *cyprio;* Pa *Sipro.* — mihi igitur — pro Cispio) Mc om. — mihi igitur) Sic B et E; Ma, Mb, La, Lb, Lc, Pb, Pc, D, O, Br., F1, et 2 *mihi uidetur;* G *mihi iir;* ceteri *mihine tu.* — quia) E *qua.* — teste) Pb, Pc, D, et O *testem.* — cognoram) Sic B; ceteri *cognoueram.* — dices) Ma *dicas.* — Quousque) Ma om. — quem negas — Quousque) Pa et D om, set in D margini ads. ut ins.. — quem) La *me* cum gl. *quem,* F2 *quid.* — Cispio) Ma et Lb *scipio;* Mb, La, Pb, Pc, O, C, H, T, ς, χ1, 3, et ψ *Sciprio;* Lc *scripio;* D *cirpio;* F2 *Cyprio.* — contenderim) Sic B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pb, D, G, Br., ς, χ1, 3, ψ, F1, 2, et unus Lallemandi; ceteri *contenderit.* — potuisse) E et D *potuissem.* —

Nam — finem) A habet. — Quousque) C om. — haec poterat) A *poterat haec,* Pa *poterat.* — est tibi ille) B *est ille tibi;* Pa *est ille;* D *est tribulle.* — condonatus ille) A om; Ma *condempnatus ille;* La et ψ *condemnatus est ille,* set in La supers. *condonatus;* Pb et Pc *ille* om. — qui pro uno) Pb *qui, pro quo uno.* — et) E, Mc, La, Lb, Pa, Pb, Pc, O, C, ς, et χ3 om, set in La supers.. — ipsum id) E, La, Lb, Pa, et D *id ipsum;* Ma, C, T, et χ3 *id* om. — non) Ma et Pb om. — obtinuerit) Pb *oportinuerit.* — ita me) C *ista me.* —

ita et cum his et inter hos uixi, is in caussis patronus, is in re publica ciuis et sum et semper
76 fui, solus ut a te constituar, qui nihil a iudicibus debeam umquam inpetrare. Et mihi lacru-
mulam Cispiani iudici obiectas. Sic enim dixisti: U i d i e g o t u a m l a c r u m u l a m. Uide,
quam me uerbi tui paeniteat. Non modo lacrumulam, set multas lacrumas et fletum cum sin-
gultu uidere potuisti. An ego, qui meorum lacrumis me absente conmotus simultates, quas
mecum habebat, deposuisset meaeque salutis non modo non oppugnator, ut inimici mei pu-
77 tarant, set etiam defensor fuisset, huius in periculo non significarem dolorem meum? Tu au-
tem, Laterensis, qui tum lacrumas meas gratas esse dicebas, nunc easdem uis inuidiosas uideri.

XXXII. Negas tribunatum Planci quicquam adtulisse adiumenti dignitati meae; atque hoc loco, quod uerissume facere potes, L. Racili, fortissumi et constantissumi uiri, diuina in me merita conmemoras. Cui quidem ego, sicut Cn. Plancio, numquam dissimulaui me plurumum debere, semperque prae me feram: nullas enim sibi ille neque contentiones, neque inimicitias, neque uitae dimicationes nec pro re publica nec pro me defugiendas putauit. Atque utinam, quam ego sum in illum gratus, tam licuisset per hominum uim et iniuriam populo Romano ei gratiam referre! Set si non eadem contendit in tribunatu Plancius, existumare debes, non

---

ita et cum) Ma, Mb, Lc, Pa, D, H, et ς *ita cum.* — et inter hos) Mb om, set habet in margine. — hos) D et C *eos.* — is in) E *in his*, Pb, Pc, C, ς, et ψ *his in.* — ciuis et) Pa om. — nihil) Mc *mihi.* — a) χ3 *in iudicio et a.* — debeam) Ma *deam.* — umquam) Mc et Pb *nunquam.* —

§. 76. lacrimulam) Pa *lacrimans.* — Cispiani — Non modo lacr.) Ma om, set habet in margine. — Cispiani) Ma et D *Crispam;* Mb, La, Pb, Pc, O, ς, χ1, 3, et ψ *Crispiani;* Lb *scipioni;* Lc *crispanii;* Mc *cypriam;* C *Sciprianam.* — Sic enim — tuam lacrimulam) A habet. — tuam lacrimulam) E *lacrimulam tuam.* — Uide, quam — lacrimulam) Pb om. — quam me uerbi) B et E *quam uerbi.* — tui) Mc om. —

modo) χ3 om. — fletum) Mc *fletus.* — singultu) C *singluctu.* — habebat) χ3 *habebam.* — deposuisset) Pb et Pc *disposuisset.* — meaeque) Ma, Mb, Uict. a, Lc, H, ς, et χ1 *meae;* D *meque.* — salutis) Ma, Lc, D, et H *salutis et.* — non oppugnator) Lb, Pa, et ψ *oppugnator*, La et Mc *ut oppugnator*, C et χ3 *ut.* — putarant) E, Ma, Mb, Lb, Lc, Pa, Pc, D, C, H, T, χ1, et 3 *putarent.* — in periculo) Ma om, Lc et H *periculo.* —

in periculo) in E post haec uerba secuntur statim ea, quae leguntur §. 78. *esse gratum crimineris — ne uix possim gratus uideri.* Tum post *uideri* secuntur quae huc pertinent sine interpunctione *non significarem dolorem meum? — mea causa esse facturos.* Post ea secuntur uerba *quod me. sed haec ego meis ponderibus.* —

non) χ3 *Nam.* — significarem dolorem meum) Sic B et E; ceteri *dolorem meum significarem.* —

§. 77. tum) Mc *cum.* —

C. XXXII. attulisse) Mc *tribuisse.* — dign. meae) Pb et Pc *meae dignitati.* — L.) E *lucii.* — Racilii) T *Lacullei.* — uiri) La om. — Cui quidem) E *qui me quidem.* — sicut Cn. Plancio) Sic e coni.; libri *sicut in Plancio* praeter χ3, qui *sic in Plancio.* — prae me feram) E *praeferam*, T *feram.* — sibi ille) Pa *ille sibi.* — neque) C om. — inimicitias — dimicationes, nec) T om. — nec pro re p.) Pb et C *neque pro re p..* — nec pro me) C om. — defugiendas) Ma et F1 *fugiendas*, Lb, Pa, et C *diffugiendas.* — putauit) C *putaui.* —

utinam) Mc *nunc*, χ3 *uter.* — gratus) χ1 *ingratus.* — tam) Pa *tum.* — uim) χ3 *uita.* — populo R.) Sic B; E, D, G, Br., Lallemandi, et aliquot mss. Gruteri *·p· R·*, set in Br. duabus *i* litteris eadem m. superpositis notae illae explicantur; Pb *praetoris;* Pith. *rei p.;* ceteri *populi Romani.* — referre) Sic e coni.; libri *referri.* —

existimare) D *extimare*, C *aestimare.* —

huic uoluntatem defuisse, set me, cum tantum iam Plancio deberem, Racili beneficiis fuisse contentum. An uero putas idcirco minus iudices mea caussa facturos, quod me esse gratum 78
crimineris? An, cum patres conscripti illo S. C., quod in monumento Mari factumst, quo mea salus omnibus est gentibus commendata, uni Cn. Plancio gratias egerint, (unus enim fuit de magistratibus defensor salutis meae, cui senatus pro me gratias agendas putauit) ei ego a me referendam gratiam non putem? Atqui haec cum uides, quo me tandem in te animo putas esse, Laterensis? ullum esse tantum periculum, tantum laborem, tantam contentionem, quam ego non modo pro salute tua, set etiam pro dignitate defugerem? Quo quidem etiam magis sum, non dicam miser: nam hoc quidem abhorret a uirtute uerbum: set certe exercitus: non quia multis debeo, leue enim onus benefici gratia, set quia saepe concurrunt [propter] aliquorum bene de me meritorum inter ipsos contentiones, ut eodem tempore in omnis uerear ne uix possim gratus uideri. Set ego meis ponderibus examinabo, non solum quid 79
cuique debeam, set etiam quid cuiusque intersit, et quid a me cuiusque tempus poscat.

---

sed me — contentum) A habet. — cum tantum iam) Sic A, B, et E; La, D, et C *cum;* ceteri *cum iam.* — Racilii) E et Lb *marcii racilii;* Pb, Pc, D, O, G, et Br. *marci racilii;* Ma, Mb, Mc, La, Lc, Pa, et mss. Gr. in U. L. *M. racilii.* — beneficiis) A et D *beneficii.* —

§. 78. An) Pb *ac,* Pc *at.* — idcirco minus iudices) Sic B et E, nisi quod inter *minus* et *iudices* addunt *libenter;* La et ψ *iudices idcirco non minus;* Lc et H *iudices non minus;* Pa *idcirco minus;* ceteri *iudices idcirco minus.* — mea) Mb, ς, et χ3 *in ea.* — facturos) E *esse facturos.* — gratum) χ3 *gratus.* — crimineris) E *criminaris,* Pb *criminis.* —

patres conscripti) Sic E, ·p· c· scribens; B *patres;* H *populi Romani;* ceteri *populus Romanus.* — illo S. C. — factum est) A habet. — Marii) La *martii* cum gl. *marii,* Pa *Marcii.* — factum est) Pa *factum.* — omnibus) C, H, S, et T *omnium.* — est) D *esse,* H et ψ *esset.* — commendata) Pb, Pc, et O *commendanda.* — egerint) Sic Garatonius corr., utrum e coniectura, an ex B, non adnotauit; libri *egerit.* — enim) χ3 *ei.* — fuit) Ma, Lc, et H om. — aut promagistratibus) quae uerba plerique libri post *de magistratibus* addunt, Ma, Mb, Mc, Pb, C, H, S, T, ς, χ1, et ψ om. — ei ego) La *ego ei.* — a me) H et ψ *nunc.* —

Atqui) Sic B, La, G in margine, et Ox.; ceteri *atque.* — haec cum) Sic B et E; Ma, Mb, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br., ς, χ1, et 3 *cum,* set in Br. a m. sec. supers. *eum,* et in G margini ads. *cum eum;* Mc *eum;* H *tum;* ceteri *eum cum.* — uides) Mc *uidens.* — in te animo) Sic B et E; ceteri *animo in te.* — putas) C *putes.* — esse) Pa om. — ullum) La cum gl. *nullum;* H, χ1, ψ, et F1 *nullum.* — esse tantum) Pa *tantum,* Pb et Pc *tantum esse.* — non) F1 om. — tua) D *mea.* — defugerem) B et E *defugerim;* La *defenderem* cum gl. *defugerem;* C *difugerem.* —

Quo quidem — exercitus) A habet. — etiam magis) Pb et Pc *magis etiam.* — miser) ς, χ1, et 3 *miser natura.* — nam hoc) B, Pa, Pb, D, et T *nam;* Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, O, C, H, S, ψ, et Grutt. *natura;* Urs. *nam id.* — uerbum) Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, C, H, S, T, ς, χ1, et Grutt. *uerbi.* — leue) Ma, D, et ς *lene.* — enim onus) B, E, et G *enim est onus.* — concurrunt) Sic B et E; ceteri *concurrit.* — bene) Seruarunt B et E. — de me) Ma *in me;* χ3 *de.* — ipsos) Pa, χ3, et ψ *ipsas.* — contentiones) Lb *contentores.* — ut eodem) Pb et Pc *in eodem.* — in omnes) Lc et H om. — ne uix) Mc *ut uix.* —

§. 79. Sed ego meis) Sic Lb et ψ; B *sed ego haec meis;* E *sed haec ego meis;* H et Lc *sed hoc meis;* ceteri *sed ego hoc meis,* nisi quod Lambinus ad marginem in libris uett. nonnullis *hoc* abesse monuit. — examinabo) Pb et Pc *examinabar.* — etiam) Ma et χ3 om. — cuiusque) ς et χ1 *cumque.* — et quid) Ma *et qui.* — a me) Mc *a me quid.* — poscat) Mc *postulat.* —

XXXIII. Agitur studium tuum, uel etiam, si uis, existumatio, laus [aedilitatis]; at Cn. Planci salus, patria, fortunae; saluom tu me esse cupisti; hic fecit etiam ut esse possem. Distineor tamen et diuellor dolore, et in caussa dispari offendi te a me doleo; set medius fidius multo citius meam salutem pro te abiecero, quam Cn. Planci salutem tradidero contentioni
80 tuae. Etenim, iudices, cum omnibus uirtutibus me adfectum esse cupio, tum nihil est quod malim, quam me et gratum esse et uideri. Haec est enim una uirtus non solum maxuma, set etiam mater uirtutum omnium reliquarum. Quid est pietas, nisi uoluntas grata in parentes? qui sunt boni ciues, qui belli, qui domi de patria bene merentes, nisi qui patriae beneficia meminerunt? qui sancti, qui religionum colentes, nisi qui meritam dis inmortalibus gratiam iustis honoribus et memori mente persoluunt? Quae potest esse iucunditas uitae sublatis amicitiis?
81 quae porro amicitia potest esse inter ingratos? Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus, ubi altus aut doctus est, cum grata recordatione in mente uersetur? Cuius opes tantae esse possunt aut umquam fuerunt, quae sine multorum amicorum officiis stare possint? quae certe, sublata memoria et gratia, nulla extare possunt. Equidem nihil tam proprium hominis existumo, quam non modo beneficio, set etiam beneuolentiae significatione adligari; nihil porro tam inhumanum, tam in-

---

C. XXXIII. existimatio) C *extimatio.* — aedilitatis) Sic B, E, Ma, Mb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, et G; ceteri *aedilitas,* nisi quod in La *aedilitatis* supers.. — aedilitatis — salus) T om. — at) Pb *ac.* — Cn. Plancii) Lb *gneo Plancio.* — fortunae) T *fortuna.* — cupisti) Pb om. — hic) Lb et C *hoc.* — fecit etiam) Lc et F (sic) *etiam fecit.* — esse) Ma om. —

Distineor) Mc *Amice grauiterque distineor;* D *destineor;* F1, C, et Br. in marg. *distrahor*, set C in marg. *uel distineor.* — tamen) Ma *tum.* — citius) ς *cuius.* — abiecero) Sic E, La, et Pb, set in La supers. *obiecero;* Pa *obiecto;* ceteri *obiecero.* —

§. 80. cum) χ3 om. — uirtutibus me) E *me uirtutibus,* Pa *uirtutibus.* — aff. esse) Pb et Pc *esse affectum.* — cupio) Sic B, E, Mc, La, Lb, Pa, Pb, Pc, O, G, Br., T, ς, et χ3, set in La supers. *cupiam,* et in G et Br. margini ads. *cupiam;* ceteri *cupiam.* — tum nihil) Sic B, E, Ma, Mb, Mc, La, O, G, Br., Pucc., C, T, ψ, et Eybius; Pa *nihil tamen;* ceteri *tamen nihil.* — est) Ma et Lc *cuipiam est;* D *est cupiam;* set *cupiam* punctis subnotatum. — malim) χ3 *mali.* — et gratum esse) E *et esse gratum;* de B tacetur; Lb *gratum esse.* —

Haec est enim) E *Est enim haec;* Lb, D, et C *Haec est;* Pa *Haec enim.* — una) T om. — uirtutum omnium) Mc et La *omnium uirtutum,* Lc *uirtutum.* — Quid est pietas) E om. — uoluntas) χ3 *uoluptas.* — qui patriae) χ3 *patriae.* — religionum) E *religione;* Ma, Pa, et D *religionem.* — meritam) Pa et C *merita.* — et) C om. — memori mente persoluunt) Adfert Prisc. p. 857. — mente) C *mentem.* — persoluunt) D *soluunt,* set margini ads. *alii persoluunt.* — iuc. uitae) E *uitae iocunditas.* —

§. 81. est) Ma et ς *enim.* — nostrum) χ3 *uestrum.* — cui non locus) C *cuius locus non.* — l. ille mutus, ubi) Sic ego corr.; B *l. ipse mutus ille, ubi;* E *l. ipse ille mutus, ubi;* Ma, Mb, Lc, Pa, et D *l. ille mutus ipse, ubi;* Lb *l. ille mutus ipse, uir;* La *ille l. mutus, ubi ipse;* ceteri et Eybius *l. ille mutus, ubi ipse.* — altus) Sic Prisc. p. 857.; libri *alitus* praeter Pb et Pc, qui *alicuius.* — aut) Br. *atque.* — est) E om. — cum) C om. — uersetur) Mc, D, et C *uersatur,* F1 *uersentur.* —

tantae) C *tanto.* — possunt) Lc *possint.* — aut umq. fuerunt) χ3 om. — quae) Lb *qui.* — stare possint) Pa *possint stare,* Lb *stare possit,* D *stare possunt.* — quae — possunt) C et χ3 om. — nulla) B, E, La, Lc, et Pa *nullae.* — exstare) Mc *stare.* — nihil) Sic B et E; ut uidetur, etiam Ox.; ceteri *nil.* — hominis) χ3 *homini.* — modo) Mc *meo.* — significatione) La et ψ *omni significatione.* — tam inh., tam inm., tam ferum) Eybius *tam inane, tam ferum.* —

mane, tam ferum, quam committere, ut beneficio non dicam indignus, set uictus esse uideare. Quae cum ita sint, iam succumbam, Laterensis, isti tuo crimini, meque in eo ipso, in quo 82
nihil potest esse nimium, quoniam ita tu uis, nimium gratum esse concedam; petamque a uobis, iudices, ut eum beneficio conplectamini, quem qui reprehendit in eo reprehendit, quod gratum praeter modum dicat esse. Neque enim illut ad neglegendam meam gratiam debet ualere, quod dixit idem, uos nec nocentis nec litigiosos esse, quo minus me aput uos ualere oporteret; quasi uero in amicitia mea non haec praesidia, si quae forte sunt in me, parata semper amicis esse maluerim quam necessaria. Etenim ego de me tantum audeo dicere, amicitiam meam uoluptati pluribus quam praesidio fuisse; meque uehementer uitae meae paeniteret, si in mea familiaritate locus esset nemini nisi litigioso aut nocenti.

XXXIV. Set hoc nescio quomodo frequenter in me congessisti, saneque in eo creber fui- 83
sti, te idcirco in ludos caussam conicere noluisse, ne ego mea consuetudine aliquid de thensis misericordiae caussa dicerem, quod in aliis aedilibus ante fecissem. Nonnihil egisti hoc loco: nam mihi eripuisti ornamentum orationis meae; deridebor, si mentionem thensarum fecero, cum tu id praedixeris; sine thensis autem quid potero dicere? Hic etiam addidisti, me id-

---

ferum) C *ferreum.* — comm.) χ3 *omittere.* — non) Lb et Pa *ne.* — dicam) χ3 *dico.* —

§. 82. iam) C om. — isti) Ma et O *isto.* — tuo crimini, meque in eo) Sic B et E; Mc, Lb, Pa, Pb, Pc, O, G, Br., C, S, et ψ *tuo ori nimioque in eo;* Lc et H *tuo ori nimio in eo;* Ma, Mb, et D *tuo nimio in eo*, set in Mb et D *ori* inter *tuo* et *nimio* supers. ut ins.; La *tuo ori nimio quam summisso in eo;* T, ς, χ1, et 3 *tuo ori in eo;* F1 *tuo ori nimiumque in eo;* denique Gruterus de lectione, quam posuit, *tuae orationi, in eo,* haec monuit: „Lectio recens est; habetque Uictorius [imo Naugerius] *isti tuo uerbo.* at antiquior *isti tuo ore nimio, in quo:* quomodo et Pall. decem, Grut., et S. Uictoris, nisi quod in iis amplius copula, *nimioque.*" —

nihil) Mb et Lc *nil.* — quoniam — nimium) Pb et C om. — tu) Lb om, χ3 *ut.* — gratum) Sic B, E, Lb, Pa, Pb, Pc, O, D, C, et χ3; ceteri *me gratum.* — a) χ3 om. — reprehendit — reprehendit) Ma *reprehendunt* — *reprehendunt.* — in eo reprch.) Mc et C om. — gratum) C *gratiam.* — dicat) Ma *dicant.* —

enim illud ad) Sic B et E; H, ς, et ψ *enim id ad;* ceteri *enim ad.* — negligendam) H, ς, et ψ *negligentiam.* — litigiosos) χ1 *religiosos.* — uero) Lb *uos.* — si quae) Sic B et E; ceteri *si qua.* — esse mal.) Ma *uoluerim esse*, Lc *maluerim esse.* — Etenim ego) La *Et ego enim.* — de me tantum) Ma *te de me tantum*, Lb *tantum de me.* — uoluptati) La *uoluntati.* — praesidio) Pb *praesidiis.* — meque) ς *neque.* — nemini) Pith. om. —

C. XXXIV. §. 83. Sed — creber fuisti) A habet. — hoc) A et E *haec.* — quomodo) D et χ3 *quo.* — creber) Pa *creberque.* — te) Pa *teque.* — in ludos) Sic B, E, Lc, et Urs.; Ma, Mb, Pb, Pc, G, Br., S, T, ς, χ1, 3, ψ, unus Lallem., Pith., Pal. 2, 6, et Grut. *illusos;* H *deficit illusos;* D *in loco;* C *in locis;* ceteri *in locos.* — causam) Pal. 6 *tamen*, T *tum.* — coniicere) La, Lc, H, S, ψ, Pal. 6, et Pith. *conuincere;* D *conuicere;* T *conficere.* — noluisse) Ma, D, et Pith. *uoluisse;* Mc, Pb, Pc, T, et Pal. 6 *noluisti;* Pa *noluisses.* — ne ego) E *nec ego.* — mea) Ma, La, Lc, et H *in mea.* — causa) Lb *causam.* — ante) F1 om. —

egisti hoc loco) La *hoc loco egisti.* — deridebor) Ma et H *derideor*, Lc *deridebar.* — thensarum) Pc, χ3, et ψ *thesaurum*, C *thenseum.* — sine) C *sed sine.* — thensis) χ3 *tensis.* — autem) C om. — Hic — possem dicere) A habet. — etiam) Lb *autem.* — addidisti) E *addisti.* —

circo mea lege exilio ambitum sanxisse, ut miserabiliores epilogos possem dicere. Non nobis
84 uidetur cum aliquo declamatore, non cum laboris et fori discipulo disputare? Rhodi enim, inquit, ego non fui: me uolt fuisse; set fui, inquit, (putabam in Uaccaeis dicturum) bis in Bithynia. Si locus habet reprehensionis ansam aliquam, nescio cur seueriorem Nicaeam putes, quam Rhodum; si spectanda caussast, et tu in Bithynia summa cum dignitate fuisti et ego Rhodi non minore. Nam quod in eo me reprehendisti, quod nimium multos defenderem, utinam et tu, qui potes, et ceteri, qui defugiunt, uellent me labore hoc leuare! Set fit uostra diligentia, qui in caussis ponderandis omnis fere repudiatis, ut ad nos pleraeque confluant, qui
85 miseris et laborantibus negare nihil possumus. Admonuisti etiam, quod in Creta fuisses, dictum aliquod in petitionem tuam dici potuisse; me id perdidisse. Uter igitur nostrumst cupidior dicti? egone, qui quod dici potuit non dixerim, an tu, qui etiam ipse in te dixeris?

---

mea lege) Pa *mea laude lege.* — exilio ambitum sanxisse) Sic A; B, E, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br., C, H, S, χ1, 3, et ψ *ex illo ambitu traxisse;* Ma *ex illo traxisse;* Mb *et isto ambitu traxisse*, set supers. *ex illo;* ceteri *ex isto ambitu traxisse.* — miserabiliores) H et ψ *miserabiles.* — possem) D *posses.* —

Non nobis) Mc *Num uobis.* — uidetur) Sic B, E, et Pc; ceteri *uideor.* — non cum) Mc, Lb, D, C, T, χ3, ψ, plures Pall., et mss. Gr. *non causa;* La et F1 *non cum causa.* — laboris et fori) Mb cum gl. *labore et foro;* Mc *laboris consueto aduersario s. et fori.* — discipulo) Seruarunt B et E. —

§. 84. Rhodi — uult fuisse) A habet. — inquit) Ma, Mb, Lc, H, S, ς, et χ1 om. — ego) Seruarunt A, B, et E. — inquit, putabam) Sic B, E, Ma, Mb, Mc, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br., Ox. (nisi quod χ1 *putabam* om), Pith., F2, et omnes Pall. a prima manu; La *inquit Uace putabam;* F1 *inquit, Nicaeis, putabam*, et sic aliquot Pall. a m. secunda. — Uaccaeis) Sic Lambb., S, et ς; E *uacea eis;* B, Lb, Lc, Pb, Pc, D, O, G, Br., S, ς, et Pall. *Uacceis*, set in Lc margini ab ead. m. ads. *niceis*; Ma *bacteis*; Mc, C, et ψ *uaccis*; La *naceis* cum gl. *niceis*; Pa *uacteis*; T et χ3 *uacreis*; χ1 *uacciis*; F1 et 2 *Uaceris*; Mb, Uict. a, et H *niceis*, set in Mb supers. *uaceis*; etiam Gr. mss. quidam *niceis* habere dicuntur; Iannoctius in mss. esse ait *Uacerratis.* — Bithynia) E *bythinia* et sic infra; Ma, Mb, et Mc *bithinia* et sic infra; D et C *Bithimiam*; T *Bithimia.* —

ansam) Ma *asam*; G *ausam*; Mc, La, Lb, Pb, Pc, D, Br., C, ς, χ3, ψ, Cler., et F2 *causam.* — nescio) D om, set habet in marg. ut ins.. — seueriorem) Pb *seniorem.* — Nicaeam) E *niceam*; Mc *nitram*; La et ψ *Uiceam*, set in La supers. *Niceam*; D *uitam*, set in marg. *alii niceam*; C *in terra*; ς *Uaccaeam.* — spectanda) La cum gl. *expetenda*; H *expetenda*; Ma et Lc *expectanda.* — et tu in) Mc *et in*; La *si in* cum gl. *et tu*; Pc *et tum in*; D *et cum.* —

Nam quod) χ3 *Namque.* — in eo me — leuare) A habet. — multos) D *multum.* — defenderem) Sic A, B, E, H, et La a m. secunda; ceteri *defenderim.* — utinam) Mc *nunc.* — et tu) D *etiam tu.* — qui pot.) ψ *quid potes.* — defugiunt) La *diffugiunt.* — uellent) χ3 *uellet.* — hoc) Ma, Lc, et H *isto.* — Sed fit) Ma *sed fuit*, D *sed sit*, Pb *si sit*, Pc *si sic.* —

diligentia) La cum gl. *negligentia*; Ma et ψ *negligentia.* — qui in causis) B et E *qui causis.* — fere) Mc *uere.* — ad nos) Ma *ad uos.* — pleraeque) La *plerique*, idemque recentior manus in G superscripsit. — qui) C *qui nos.* — negare nihil) Sic E; de B tacetur; La, Lb, χ1, et ψ *nihil denegare*; ceteri *nihil negare.* —

§. 85. Admonuisti) A *Admonefecisti.* — Admonefecisti — potuisse) A habet. — dictum aliquod) Sic A, B, E, La, Pa, Pb, Pc, C, ς, et ψ; T *dictum*; ceteri *dictum aliquid.* — in) T *aut.* — petitionem tuam) Sic B et E; A *petitione tum*; Ma, Lc, et H *petitione*; Pa *tua petitione*; ceteri *petitione tua.* — me id perdidisse) T et χ3 om. — Uter) D *Ut*, C *Utinam.* — nostrum) C et T *noster.* — dicti) E *dic tu.* — potuit) F1 *potuerit.* — tu) Ma om. — in te) E *inter*, Ma *in re.* —

Te aiebas de tuis rebus gestis nullas litteras misisse, quod mihi meae, quas ad aliquem misissem, obfuissent; quas ego mihi obfuisse non intellego, rei publicae uideo prodesse potuisse.

XXXV. Set haec leuiora; illa uero grauia atque magna, quod meum discessum, quem 86
saepe defleras, nunc quasi reprehendere et subaccussare uoluisti. Dixisti enim, non auxilium mihi, set me auxilio defuisse. Ego uero fateor hercule, quod uiderim mihi auxilium non deesse, idcirco me illi auxilio pepercisse. Qui enim status, quod discrimen, quae fuerit in re publica tempestas illa, quis nescit? Tribunicius me terror, an consularis furor mouit? decertare mihi ferro magnum fuit cum reliquiis eorum, quos ego florentis atque integros sine ferro uiceram? Consules post hominum memoriam taeterrumi atque turpissumi, sicut et illa principia et hi recentes rerum exitus declararunt, quorum alter exercitum perdidit alter uendidit, emptis prouinciis a senatu, a re publica, a bonis omnibus defecerant; qui exercitu, qui armis, qui opibus plurumum poterant cum quid sentirent nesciretur, furialis illa uox, nefariis stupris religiosis altaribus effeminata, secum et illos et consules facere acerbissume personabat;
egentes in locupletis, perditi in bonos, serui in dominos armabantur. At erat mecum sena- 87
tus, et quidem ueste mutata, quod pro me uno post hominum memoriam publico consilio susceptumst; set recordare, qui tum fuerint consulum nomine hostes, qui soli in hac urbe senatum senatui parere non sirint, edictoque suo non luctum patribus conscriptis, set indicia luctus

---

Te aiebas — obfuissent) A habet. — Te) Ma, Mb, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, O, D, C, H, T, ς, et ψ *Tu.* — nullas) Mc *in illas*, χ3 *ullas.* — mihi) T *inde.* — meae) Ma, Lc, et D *meas.* — quas ad) Lb *quas*, Pa *quod.* — obfuissent) E *offuissent*, et sic statim; Pa *abfuissent.* — prodesse potuisse) Pb et Pc *potuisse prodesse.* —

C. XXXV. §. 86. Sed haec) Sic Ma, Lc, et H; Pa *sed haec sunt;* ceteri *sed sunt haec.* — grauia) Sic B et E; ceteri *grauiora.* — meum) χ1 *in eum.* — quem) D *in quem.* — saepe) C *semper.* — subaccusare) C et χ3 *accusare.* — me) C *mehercule.* — fateor hercule, quod) Sic ego corr.; B, E, Ma, Mb, Lc, Pb, Pc, D, O, G, Br., H, S, T, ς, et χ3 *fateor me, quod*, set in Br. et G marg. ads. *hercule* adiuncta nota uocis *scilicet;* Mc *fateor me hercule silicet quod;* La *fateor mehercle quod;* ceteri *fateor mehercule, quod.* — idcirco me illi) Br., T, et χ3 *idcirco illi;* num B etiam *me* omittat, ex Garatoni uerbis, quae haec sunt: „Cum Lamb. legendum est *fateor me*, et repetitum *me* infra delendum, Bauar. et duobus Britann. suadentibus." certo intellegi nequit; E certe cum ceteris non omittit. —

Qui) Mc, T, χ3, et F1 *quis.* — nescit) Ma *nescierit*, C *nescis*, D *nescitur*, set *ur* litterae expunctae. — me) χ1 *ne.* — mouit) D *mouitur*, set *ur* expunctae. — reliquiis) B, E, Ma, Mc, Lb, et D *reliquis.* — ego) C om. — teterrimi) Mb *deterrimi*, Pa *tenerrimi.* — sicut) C *sic.* — declararunt) La cum gl. *declarant*, Ma, Lc, et Pa *declarant.* — quorum — uendidit) A habet. — a sen.) Lb *ab senatu.* — a re p.) χ3 *r. p.*. — a bonis omnibus) Ma *ab omnis omnibus*, Lb *ab omnibus bonis.* — exercitu) Sic B, E, et H; ceteri *exercitibus.* — plurimum) Pb, Pc, et O *plurimis*, χ3 *pluribus.* — sentirent, nesciretur) Pb et Pc *nescirent sentiretur.* — illos et consules) Ma, Mb, Mc, La, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br., C, H, S, T, ς, χ1, 3, et Gruteri codd. *illos consules.* — acerbissime) S *acerbissimos.* — in locup.) La et ψ *illocupletes.* — in dom.) Pa *non dominos.* —

§. 87. At erat) Sic ego corr.; libri *Aderat.* — mecum) Ma *cum me.* — hominum) χ3 om. — memoriam) Ma, Lc, et H *memoriam iam.* — parere) ψ om. — non) Pb et Pc *ne.* — sirint) Sic ego corr.; B et E *sierint;* Ma et Mb a pr. manu *sinerent;* Mc, Pb, et Pc *sciuerint;* Lb *sinuerint;* Lc *siuerunt;* D *sinuerunt;* Mb a m. sec. et ceteri *siuerint.* — suo) B om. — patribus consc.) Mc *p. dictus. C.*, Lb *patres conscripti*, ψ *patres conscripsit.* — indicia luctus) Sic E; de B tacetur; C et T *luctus iudicia;* ceteri *luctus indicia.* —

ademerint. At erat mecum cunctus equester ordo; quem quidem in contionibus saltator ille Catilinae consul proscriptionis denuntiatione terrebat. At tota Italia conuenerat; cui quidem belli intestini et uastitatis metus inferebatur.

XXXVI. Hisce ego auxiliis studentibus atque incitatis uti me, Laterensis, potuisse confiteor; set erat non iure, non legibus, non disceptando decertandum: nam profecto praesertim tam bona in caussa numquam, quo ceteri saepe abundarunt, id mihi ipsi auxilium meum defuisset: armis fuit, armis, inquam, fuit dimicandum; quibus a seruis atque a seruorum ducibus
88 caedem fieri senatus et bonorum, rei publicae exitiosum fuisset. Uinci autem inprobos a bonis, fateor fuisse praeclarum, si finem tum uincendi uiderem, quem profecto non uidebam. Ubi enim praesto fuissent mihi aut tam fortes consules, quam L. Opimius, quam C. Marius, quam L. Flaccus, quibus ducibus inprobos ciuis res publica uicit armatis, aut si minus fortes, attamen tam iusti, quam P. Mucius, qui arma, quae priuatus P. Scipio sumpserat, ea Ti. Graccho interempto iure optumo sumpta esse defendit? Esset igitur pugnandum cum consulibus; nihil amplius dico, nisi illut: uictoriae nostrae grauis aduersarios paratos, interitus nullos ul-
89 tores uidebam. Hisce ego auxiliis salutis meae si idcirco defui, quia nolui dimicare, fatebor, id quod uis, non mihi auxilium, set me auxilio defuisse; sin autem, quo maiora studia in me bonorum fuerunt, hoc iis magis consulendum et parcendum putaui: tu id in me reprehendis, quod Q. Metello laudi datumst, hodieque est et semper erit maxumae gloriae? quem, ut potes

---

ademerint) Ma, Mb, Mc, Lc, et H *ademerunt;* La *ademerit* cum gl. *ademerunt.* — At erat) Sic ego corr.; libri *Aderat.* — cunctus) D om, χ3 *cunctus senatus.* — quem quidem — terrebat) A habet. — in contionibus) A om; Ma, La, Lc, Pb, Pc, D, C, T, ς, et χ3 *in contentionibus.* — proscript.) ς *perscriptionis,* ψ *praescriptionis.* — terrebat) ψ3 (sic) *terrebutur.* —

C. XXXVI. Hisce) Mc *His certe.* — non iure) Lb *in iure.* — numquam) C *nusquam.* — quo) C *que.* — saepe) Seruarunt B et E. — abundarunt) Mb, La, et Pa *abundarent,* set in La supers. *abundarunt;* ψ *abundare.* — ipsi) B, Ma, Mb, La, Pa, Pb, Pc, D, G, Br., H, ς, χ1, 3, et ψ *ipsum,* set Br. a m. sec. *ipsi,* idque G in marg. habet; C om. — meum) Ma, Lc, et H om. — defuisset) Ma *fuisset.* — inquam, fuit) Mc *fuit inquam.* — atque a seru.) Ma, La, Pb, et Pc *atque seruorum;* Lb *ac seruorum.* — rei p.) Ma *re. p..* —

§. 88. Uinci) Pa *uici.* — si) E om. — tum) Sic B, E, G, Br., C, et χ3; ceteri *eum.* — uincendi) Ma *incendii.* — uiderem) G in marg. pro uarietate *uiderim.* — quem profecto non uidebam) B, E, Lb, Pa, G, et Pith. om, set in G margini ads. *quem profecto non uidebam.* — praesto fu. mihi) E *mihi praesto fuisset.* — fuissent) Sic Lc et ψ; ceteri *fuisset.* — fortes consules) Sic e coni.; libri *fortis consul.* — L.) Ma et Lb om. — Opimius) Mb *Opimus,* Pa *Opinius.* — uicit) ς *uidit.* — attamen) La cum gl. *aut tantum;* Lc *aut tamen.* — sumpserat) B et E *ceperat.* — Ti.) Ma *tyb.,* Mb *T.,* Mc *Tiberio,* D *tyberio.* — Graccho) Ma et Mb *gracco,* Mc *gracho.* — interempto) Pa om. — iure) E et Pa *uiro,* Pc *uitae.* —

cum) Pb et Pc om, O et χ3 *ut.* — amplius dico) E *dico amplius;* La, C, et ψ *aliud dico,* set in La sup. *aliud* scriptum *amplius.* — ultores uidebam) Sic ego corr.; E et Lamb. codd. antiqui *esse ultores uidebam;* ceteri *ultores esse uidebam.* —

§. 89. nolui) C *uolui.* — fatebor) T et χ3 *fateor.* — bonorum) Lb *bona.* — hoc) χ3 *huius.* — iis) Mc, Pa, Pb, et D *is.* — reprehendis) Pb et Pc *reprehendisti.* — maximae) E *maxime.* — potes) χ3 *putes.* —

ex multis audire, qui tum adfuerunt, constat inuitissumis uiris bonis cessisse, nec fuisse dubium, quin contentione et armis superior posset esse. Ergo ille cum suum, non cum senatus factum defenderet, cum perseuerantiam sententiae suae, non salutem rei publicae retinuisset, tamen, quom illut uoluntarium uolnus accepit, iustissumos omnium Metellorum et clarissumos triumphos gloria et laude superauit, quod et illos ipsos inprobissumos ciuis interfici noluit, et ne quis bonus interiret in eadem caede prouidit; ego tantis periculis propositis cum, si uictus essem, interitus rei publicae, si uicissem, infinita dimicatio pararetur, committerem, ut idem perditor rei publicae nominarer, qui seruator fuissem?

XXXVII. Mortem me timuisse dicis. Ego uero ne inmortalitatem quidem contra rem pu- 90
blicam accipiendam putarem, nedum emori cum pernicie rei publicae uellem. Nam qui pro re publica uitam ediderunt, licet me desipere dicatis, numquam mehercule eos mortem potius quam inmortalitatem adsecutos putaui. Ego uero si tum illorum inpiorum ferro ac manu concidissem, in perpetuum res publica ciuile praesidium salutis suae perdidisset. Quin etiam si me uis aliqua morbi aut natura ipsa consumpsisset, tamen auxilia posteritatis essent inminuta, quod peremptum esset mea morte id exemplum, qualis futurus in me [retinendo] fuisset sena-

---

ex multis aud.) Ma et Lc *audire ex multis.* — tum) Mc et Pb *tamen.* — constat, inu. uiris bonis) Sic B et E; nam Ox. cum B et E consentire, ex silentio ed. Ox., qui sic, ut ego, scripsit, male concludas; ceteri *inu. uiris constat bonis.* — inuitissimis) Sic B, E, C, H, S, et T; ceteri *inuictissimis.* — cessisse) Ma *cexisse*, D *cecisse.* — nec) La *neque.* —

non cum) Pb et C *non.* — senatus) χ3 om. — cum) χ3 *et.* — tamen, quom) Sic e coni.; B, E, La, Lb, Pa, ς, χ3, et F2 *tamen ob illam, quod;* Mb *tamen ob illam constantiam, quo;* Uict. a *tamen ob illam constantiam, qua;* unus cod. Lamb. et Pucc. *tamen ob illam, qua,* post *accepit* addentes *constantiam;* Mc *tum ob illam, quo;* H *ob illam, quo;* ceteri *tamen ob illam, quo.* — illud) La *ille.* — uoluntarium) Pb et Pc *uoluntarius.* — accepit) Mc et C *acceperit.* — iustissimos — superauit) A habet. — iustissimos) Ma, Mb, Uict. a, Lc, D, et χ1 *iustissimus*, ψ *iustissimis.* — Metellorum) Mb et Uict. a *Metellorum habitus est.* — gloria et laude) Sic e coni. Garat.; C *gloriae et laude;* ceteri *gloriae laude.* — illos) χ3 om. — noluit) Mc, C, et ς *uoluit.* — ne quis) La, Lb, et ψ *ne aliquis.* — ego — timuisse dicis) Mb et ς om, set in Mb marg. ads. ut ins.. — propositis) Pa *propositus.* — si uic.) C *et si uicissem.* — uicissem) G in marg. *uicerim.* — pararetur) La *putaretur* cum gl. *pararetur,* Pa *parerelur.* — comm.) La *committeretur* cum gl. *committerem.* — idem) D et C *ipse.* — perditor) Mc *proditor.* — nomin.) La cum gl. *nominaretur*, H *nominaretur,* C *nominarem.* —

C. XXXVII. §. 90. Mortem) Pb et Pc om. — putarem) Pa *putaui.* — nedum) Lb *necdum.* — pro re p.) Ma *prope p.*, H *porro rei p.*, Pa om. — ediderunt) Sic B, E, et Pa; La, Lb, Lc, C, S, ψ, F1, Pith., et Eybius *dederunt;* ceteri *dediderunt*, quod rec. Gruterus, monens: „Necesse habui istud recipere, abiecto *reddiderunt*, quod restaret in editt. uetustioribus, firmaretque tota cohors codicum Pall., item S. Uict. et Grut.". — licet) Pa *nisi.* — desipere) Pa *deserere.* — dicatis) ς *dicitis.* — mehercule) Pb, Pc, et O *mehercules.* — potius quam) Pa *quam potius.* — adsecutos) H et ψ *consecutos.* — putaui) Ma, Lc, et D *putarem*, χ3 *putauit.* —

tum) Mc, Pc, D, et C *cum*, χ3 *tam.* — ac) La et ψ *aut.* — in perp.) Mb et Mc *imperpetuum.* — suae) F1 om. — si me uis) χ3 *si uis.* — tamen) Mc *cum.* — essent imm.) Ma *imminuta*, Lc *imminuta essent.* — imminuta) C *immunita*, La et ψ *immutata*, set in La supers. *imminuta.* — peremptum) La cum gl. *prereptum.* — esset) Ma, Pa, et H *esse*, χ3 om. — futurus) Ma post *fuisset* ponit. — in) C om. —

tus populusque Romanus. An, si umquam uitae cupiditas in me fuisset, ego mense Decembri
mei consulatus omnium parricidarum tela conmossem? quae, si uiginti quiessem dies, in alio-
rum uigiliam consulum reccidissent. Quamobrem si uitae cupiditas contra rem publicamst tur-
91 pis, certe multo mortis cupiditas mea turpior fuisset cum pernicie ciuitatis. Nam quod te in
re publica liberum es gloriatus, id ego et fateor et laetor et tibi etiam in hoc gratulor; quod
me autem negasti, in eo neque te neque quemquam diutius patiar errare.

XXXVIII. Nam si quis idcirco aliquid de libertate mea deminutum putat, quod non ab
omnibus eisdem, a quibus antea solitus sum dissentire, dissentiam, primum, si bene de me
meritis gratum me praebeo, non desino incurrere in crimen hominis nimium memoris ni-
miumque grati; sin autem aliquando sine ullo rei publicae detrimento respicio etiam salutem
tum meam tum meorum: certe non modo non sum reprehendendus, set etiam si ruere uel-
92 lem, boni uiri me ut id ne facerem rogarent. Res uero ipsa publica si loqui posset, ageret
mecum, ut, quoniam sibi seruissem semper, numquam mihi, fructus autem ex sese non, ut
oportuisset, laetos et uberes, set magna acerbitate permixtos tulissem, ut iam mihi seruirem,
consulerem meis; se non modo satis habere a me, set etiam uereri, ne parum mihi pro eo,
93 quantum a me haberet, reddidisset. Quid, si horum ego nihil cogito, et idem sum in re pu-

---

senatus — cupiditas fuisset) Ma om. — senatus populusque R.) Mb *S. P. Q. R.*. —

si) C *si me.* — umquam u. cup. in me) Sic B et E; La *me umquam uitae cupiditas*, set sup. *me* scriptum *in me;* ceteri *umquam in me uitae cupiditas.* — mense) C *mensi.* — mei) Pa *me*, Pc *num.* — conmossem) E et Pa *commouissem*, idemque in F1 alia manus, set aeque uetusta adscripsit. — uiginti) Mb *XX.*, O *ex XX.* — quiessem dies) E *quidem dies essent;* La *quiescissent dies*, set supers. *quiessem.* — uigiliam) Sic B, E, Ma, Mc, La, Lc, Pa, Pc, D, G, Br., χ_1, 3, ψ, Pith., F2, Lambb., Gruteriani, et Mb a m. secunda; Lb et Pb *uigilia;* Mb a pr. manu et ceteri *iugulum.* — reccidissent) χ3 *recidisset.* — turpis) C *turpe.* — mortis) Pb et Pc *magis.* — mea) Ma *in ea*, Pb *mea morte*, Pc *mea mortis.* — cum) Ma *tum.* —

§. 91. quod te in re p. liberum es gloriatus) Sic ego corr.; B et E *quod te esse in re p. liberum es gloriatus;* Lb, Pb, Pc, et O *quod esse te in re p. liberum es gloriatus;* Mc, La, Pa, et C *quod esse te in re p. liberum gloriatus es;* D *quod te in re p. liberum gloriatus es;* T, ς, et χ1 *quod esse te in re p. liberum esse gloriatus es;* ceteri *quod te in re p. liberum esse gloriatus es.* — in re p.) ψ *in rem p.*. — et fateor) Ma *fateor.* — in hoc) Lb *in hoc loco*, C om. — gratulor) La, Lb, et ψ *congratulor.* — negasti) Pa *rogasti.* —

C. XXXVIII. libertate) Mc, La, C, et ψ *dignitate*, set in La supers. *libertate.* — deminutum) Mc, La, Pb, Pc, D, O, C, et ψ *diminutum*, set in La supers. *deminutum.* — a quibus) Ma et C *quibus.* — antea) ψ *ante.* — solitus sum diss.) Pb et Pc *dissolutus sit assentire*, nisi quod Pc pro *sit* habet *sic.* — primum) C *primus.* — si) χ3 *sibi.* — bene de me meritis) Mc *de me bene meritis*, F1 *bene de meritis.* — me praebeo) Pa *praebeo.* — in) La cum gl. *etiam*, Ma, H, et ψ *etiam*, D *etiam in.* — memoris) χ3 *meroris*, Pc *merorum.* —

autem aliquando) Sic B et E; ceteri *aliquando* ante *salutem* conlocant. — etiam) Lc et H om, D *et.* — non modo non sum) Lb *non modo sum.* — id ne) D *ne id.* — ne) La et χ1 *non*, set in La supers. *ne.* —

§. 92. uero) Pa *enim.* — seruissem) Mc *fuissem.* — fructus) χ3 om. — autem) H om. — et uberes) Mc *exuberes.* — permixtos) C *permixtos fuisset.* — ut) Ma om. — consulerem) C *consulem*, D *consul' est*, set marg. ads. *alii consulerem.* — se) χ3 *sed.* — ne) Mc et Pb *ut.* — quantum) Sic B et E, nisi quod antique *quamtum* scribunt; Ma, Mb, Uict. a, Lc, et H *quod;* ceteri *quod tum.* — a me) T et χ3 om. —

§. 93. Quid) B, Ma, Mb, La, Lb, C, Br., H, et T *Quod.* — ego) χ3 om. —

blica, qui fui semper: tamenne libertatem requires meam? quam tu ponis in eo, si semper cum iis, quibuscum aliquando contendimus, depugnemus. Quod est longe secus: stare enim omnes debemus tamquam in orbe aliquo rei publicae, qui quoniam uersatur, eam deligere partem, ad quam nos illius utilitas salusque conuerterit.

XXXIX. Ego autem Cn. Pompeium, non dico auctorem, ducem, defensorem salutis meae: nam haec priuatim fortasse officiorum memoriam et gratiam quaerunt: set dico hoc, quod ad salutem rei publicae pertinet: ego eum non tuear, quem omnes in re publica principem esse concedunt? ego C. Caesaris laudibus desim, quas primum populi Romani, nunc etiam senatus, cui me semper addixi, plurumis atque amplissumis iudiciis uideam esse celebratas? Tum hercule me confitear non iudicium aliquod habuisse de rei publicae utilitate, set hominibus amicum aut inimicum fuisse. An, cum uideam nauem secundis uentis cursum te- 94
nentem suum, si non eum petat portum, quem ego aliquando probaui, set alium non minus tutum atque tranquillum, cum tempestate pugnem periculose potius, quam illi salute praesertim proposita obtemperem et paream? Ego uero haec didici, haec uidi, haec scripta legi; haec de sapientissumis et clarissumis uiris et in hac re publica et in aliis ciuitatibus monumenta nobis [litterae] prodiderunt, non semper easdem sententias ab eisdem, set quascumque rei publicae

---

fui semper) La, Lb, et Pa *semper fui.* — tamenne libertatem) ψ *tamenne tu libertatem.* — requires) Ma et H *requiras*, D *inquires.* — qui quoniam uersatur) Pb et Pc *qui fui semper tamenne libertatem quoniam uersetur.* — uersatur) Sic B, E, et Pa; ceteri *uersetur.* — deligere) B, Mb, La, Pb, Pc, C, et H *diligere;* Ma *eligere.* —

C. XXXIX. Pompeium) Ma *pom.*, H *Pompeio.* — ducem, defens.) La *defensorem, ducem*, Pa *sed ducem, defensorem*, Ma *ducum defensorem*, ς *defensorem.* — et gratiam quaerunt) B *quaerunt et gratiam.* — quaerunt) La cum gl. *quaerit*, Lc et H *quaerit.* — dico hoc) E *hoc dico.* — ad) Pa om. — pertinet — re p.) Pb, Pc, O, et ς om. — cum) Pa *enim.* — re p.) Lb et ψ *rem p..* —

C.) Pc *G.*, Ma *L..* — desim) Pa et C *desum.* — quas) La *cui* cum gl. *quas*, Lb, Pa, Pb, G, Br., C, et χ3 *qui.* — primum — addixi) Pa *primum nunc etiam populi Romani cui senatus semper me addixi.* — populi R.) H *populus Romanus.* — nunc — semper) C *non me cui semper senatus.* — etiam) Lb *est.* — addixi) La cum gl. *obligaui*, Pb, Pc, et O *addisti*, χ3 *addi.* — uideam) Mc *uideram.* — celebratas) C *celebratum.* — hercule me) Pa *mehercule*, D *ercule me.* — me confitear) Ma *me confiteor*, La et Lb *confitear me.* — rei p. utilitate) E *utilitate rei p..* — hominibus) Ma et χ3 *omnibus.* —

§. 94. secundis) D *seris*, set marg. ads. *alii secundis.* — tenentem) Ma om. — si) Pa *sed.* — non eum petat) Ma, Mb, et Lc *non ea eum petat*, et sic *ea* etiam in La sup. *eum* script.; ς et χ1 *non ea eum petat;* Pa *non conpetat.* — ego) F1 om. — probaui) E *probari.* — atque) Lc *ac.* — illi) E *illius.* — salute) C *salutem.* — proposita) C *propositam.* — paream) C *peream.* — paream. Ego uero) Sic B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, D, G, et Ox.; ceteri *paream. Neque enim inconstantis puto, sententiam tamquam aliquod nauigium atque cursum ex rei publicae tempestate moderari. Ego uero;* in G tamen margini adscripta, quae omittit, uerba sunt cum hac praescriptione: *Idem pro Cornelio Balbo.* —

haec) C *hoc.* — didici) Mb om, set a m. sec. additum; χ3 *dici.* — haec) C *hoc.* — haec sc. legi) Pa *haec legi scripta*, C om. — et clar.) Pa *atque clar..* — aliis) C *aliis multis.* — nobis litterae) Ma et Lc *litterae nobis.* — prodiderunt) La cum gl. *prodiere*, Lc *prodidere.* — easdem) ψ *per easdem.* — eisdem) Sic E, Ma, Mb, Mc, Lb, Lc, D, O, C, et H; de B tacetur; ceteri *iisdem.* — publicae) Ma om. —

status, inclinatio temporum, ratio concordiae postularet, esse defensas. Quod ego et facio, Laterensis, et semper faciam, libertatemque, quam tu in me requiris, quam ego neque dimisi umquam neque dimittam, non in pertinacia, set in quadam moderatione positam putabo.

95 XL. Nunc uenio ad illut extremum, quod dixisti, dum Planci in me meritum uerbis extollerem, me arcem facere e cloaca lapidemque e sepulchro uenerari pro deo; neque enim mihi insidiarum periculum ullum neque mortis fuisse. Cuius ego temporis rationem explicabo breui, neque inuitus: nihil enim ex meis est temporibus, quod minus peruagatum, quodque minus aut mea conmemoratione celebratum sit aut hominibus auditum atque notum. Ego enim, Laterensis, ex illo incendio legum, iuris, senatus, bonorum omnium cedens, cum mea domus ardore suo deflagrationem urbi atque Italiae toti minaretur, nisi quieuissem, Siciliam petiui animo, quae et ipsa erat mihi sicut domus una coniuncta et obtinebatur a C. Uergilio; quocum me uno uel maxume cum uetustas, tum amicitia, cum mei fratris conlegia, tum rei publicae

96 caussa sociarat. Uide nunc caliginem temporum illorum. Cum ipsa paene insula mihi sese obuiam ferre uellet, praetor ille, eiusdem tribuni plebi contionibus propter eandem rei publicae caussam saepe uexatus, nihil amplius dico, nisi: me in Siciliam uenire noluit. Quid dicam?

---

inclinatio) Ma, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, C, H, T, ς, χ1, 3, ψ, Pith., et F1 *indignatio;* Mb et Uict. a *conditio,* set in Mb a m. sec. supers. *al. indignatio.* — temporum) T *temporis.* — defensas) Sic B et E; Pb et Pc *defendas;* ceteri *defendendas.* —

Quod) Lc *quas.* — libertatemque) Pa, C, et H *libertatem.* — quam tu in me) Sic B et E; ceteri *quam in me.* — ego) Mb et ς om. — umquam) χ3 om. — pertinacia) Pa et D *pertinentia.* — positam) La *posita.* —

C. XL. §. 95. uenio) Mc *uero.* — quod) B et E *in quo.* — dixisti) C *dixi.* — Plancii) Pa *Plancium.* — meritum) C *meritis.* — me) χ3 om. — e) Sic B et E; ceteri *ex.* — cloaca) Pa *cleata,* Pc *claica.* — lapidemque) Ma, Mb, Lc, D, H, ς, χ1, et ψ *lapidem.* — e) Mc *et e,* Lb *ex.* — ullum) χ3 *nullum.* — neque inu.) Mc *atque inuitus.* —

Nihil) Ma, Mb, et D *Nil.* — ex meis est temp.) E *est ex meis temp.*, Pa *ex meis temp..* — quod mi.) Pb et Pc *quid minus.* — peruagatum) Lamb. libros quosdam *peruulgatum* habere ad marginem notauit. — mea conm. celebratum) Mc, La, C, ς, χ1, et ψ *mea celebratione commemoratione celebratum,* set in La sup. *celebratum* scr. *commemoratum,* et in C *is* super *e* positum; H *mea celebratione commemoratione commemoratum;* Ma, Mb, Lc, et D *mea celebratione commemoratum;* S *mea commemoratione commemoratum.* — celebratum) χ3 *celebratur.* —

Ego enim) Ma *Etenim,* Lb *Ego.* — ex) Pb om. — iuris, senatus) Ma, Mb, Lc, et D *senatus iuris.* — cedens) Pa *cedes.* — cum) Mc et C *tum.* — urbi) Mc et C *urbis.* — quieuissem) χ1 *quaesissem,* Pb et Pc *quaesiuissem.* — Siciliam) Ma *syciliamque.* — ipsa) Ma et C om. — erat) ς om. — obtinebatur) La et ψ *opprimebatur,* set in La supers. *obtinebatur;* T *obtinebam.* — C. Uergilio) Sic B et E; ceteri *C. Uirgilio.* — quocum) C et H *quo tum.* — cum) Sic B, E, Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, O, H, et T; ceteri *tum.* — uetustas, tum) Sic E; B, Ma, Lb, Lc, Pa, D, O, G, C, H, S, ς, χ1, 3, ψ, et Br. a pr. manu *uetustatum;* La, Pb, et Pc *uetusta tum;* Mc *uetustatam;* ceteri *uetusta.* — cum mei) Sic E, La, Lb, Pa, et G; Pb et Pc *tum meis;* ceteri *tum mei.* — collegia) χ3 *collega.* — tum) La et Pc *cum.* — rei publicae causa) Sic B et E; ceteri *res publica.* — sociarat) La *sociaret* cum gl. *sociarat,* C *sociaret,* χ3 om. —

§. 96. Uide) La et χ3 *Uidi,* set in La supers. *uide.* — nunc) B om; Mb *num.* — praetor) Ma, Mb, La, Lb, Lc, Pb, Pc, D, C, H, T, ς, et χ1 *pater.* — eiusdem) C *eius de.* — tribuni) La *tribunus,* χ1 *tribus.* — eandem) χ1 *eam.* — nisi) H om. — in) χ1 om. —

C. Uergilio, tali ciui et uiro, beneuolentiam in me, memoriam communium temporum, pietatem, humanitatem, fidem defuisse? Nihil, iudices, est eorum; set quam tempestatem nos uobiscum non tulissemus, metuit ut eam ipse posset opibus suis sustinere. Tum consilio repente mutato iter a Uibone Brundusium terra petere contendi: nam maritumos cursus praecludebat hiemis magnitudo.

XLI. Cum omnia illa municipia, quae sunt a Uibone Brundusium, in fide mea, iudices, 97
essent, iter mihi tutum multis minitantibus magno cum suo metu praestiterunt; Brundusium
ueni, uel potius ad moenia accessi: urbem unam mihi amicissumam declinaui, quae se uel po-
tius excindi, quam e suo conplexu ut eriperer, facile pateretur. In hortos me M. Laeni Flacci
contuli: cui cum omnes metus, publicatio bonorum, exilium, mors proponeretur, haec perpeti,
si acciderent, maluit quam custodiam mei capitis dimittere. Huius ego et parentis eius pru-
dentissumi atque optumi senis, et fratris et utriusque filiorum manibus in naui tuta ac fideli
conlocatus eorumque preces et uota de meo reditu exaudiens Dyrrhachium, quod erat in fide
mea, petere contendi. Quo cum uenissem, cognoui, id quod audieram, refertam esse Grae- 98
ciam sceleratissumorum hominum ac nefariorum, quorum inpium ferrum ignisque pestiferos
meus ille consulatus e manibus extorserat; qui antequam de meo aduentu audire potuissent,
cum tantum abessent aliquot dierum uiam, in Macedoniam ad Plancium quaestorem perrexi.

C. Uergilio) Sic B et E; Prisc. p. 766. *de C. Uirgilio;* La *C. Uirgilio* cum gl. *Uirginio;* ceteri *C. Uirgilio.* — uiro) D *uiri.* — pietatem) Mc et C om. —

iudices) Sic B, E, Pc, et C; ceteri *uidelicet.* — nos) χ3 *uos.* — uobiscum) Lb, C, et ψ *nobiscum.* — ut) C *utique,* sup. lin. a manu rec.. — ipse) D et C *ipsam.* — posset) Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, H, ς, χ1, 3, et ψ *non posset.* — opibus) La *operibus* cum gl. *opibus.* — sustinere) Ma, Mc, et D *substinere,* Mb *sustentare.* — Tum) D *Cum.* — a Uibone) E *aui bonae;* C et S *a Dibone,* χ (sic) *a Lubone.* — Brundusium) B, E, et Lb *Brundisium.* — terra — maritimos) χ3 om. — petere) C *patere.* — contendi) Ma *concedi.* — praecludebat) La cum gl. *praecluderat,* Pa *praecluderat,* H *praecluserat.* —

C. XLI. §. 97. illa) Mc, Lb, et F1 om. — sunt) Ma om. — Uibone) C *Dibone.* — iudices) Lc et H om. — iter mihi tutum) Ma, Mb, La, Lc, D, H, et S *tunc iter tutum;* Pb, Pc, T, et χ3 *tunc michi tutum;* C, χ1, et ψ *tum iter tutum;* Mc *cum iter tutum;* Br. *tunc iter mihi tutum;* G *tunc* cum gl. *utrum.* — minitantibus) Pa *itinerantibus.* — suo) Ma *summo.* — moenia) Pa *me maxime.* — accessi) B om. —

quam e) La et Lb *quam ex,* ς *quae est.* — me) La om. — M.) Pb et Pc om. — Laeni) Sic E; Ma, Mb, Lc, Pa, Pc, D, O, et C *Leni;* ceteri *Laenii.* — contuli) Pa om. — omnes) Sic Mb et Lc, set in Mb sup. *e* positum *i;* ceteri *omnis.* — mors) Lb et Pa om. — proponeretur) Ma et C *praeponeretur.* — si) χ3 *si haec.* —

Huius) B *Cuius.* — ego, et) χ3 *ergo ut.* — atque) Pa *et.* — et fratris) Seruarunt B et E. — naui) B, E, Ma, Mb, Mc, Pa, Pb, Pc, D, et O *naue;* cum uolg. consentit Priscianus p. 766. Putsch.. — ac) D *atque.* — fideli) Mc *fidei.* — Dyrrhachium) Ma *durachyum,* Mb *dyrachium,* La *Durrachium,* et sic hi tres infra, Mc et Pa *dirachium,* Lc, D, C, et χ3 *Durachium.* —

§. 98. cognoui) Pb et Pc *contendi.* — refertam) Mb *referctam.* — Graeciam) C *Graciam,* D *gerentiam,* set corr. a m. sec.. — sceleratissimorum) Ma *sceleratorum.* — hominum) La et ψ *uirorum,* set in La supers. *hominum.* — impium) Pb et Pc *omnium.* — ignisque) Sic B, Mb, Mc, et Pc; ceteri *ignesque.* — extorserat) H *extorserit.* — de) Pa om. — cum tantum) Sic Mc et Lc; B et E *cum tamen;* La *tum cum;* ceteri *cum tum.* — aliquot) Sic B, E, C, H, S, T, et ψ; ceteri *aliquorum.* — ad) Ma om. — Plancium quaestorem) Sic e coni. Manuti; Lb *Plancium quoque;* Pa *Plancium;* ceteri *Planciumque.* —

Hic uero simul atque me mare transisse cognouit: (audi, audi, atque adtende, Laterensis, ut scias, quid ego Plancio debeam, confiteareque aliquando, me quod faciam et grate et pie facere; huic autem, quae pro salute mea fecerit, si minus profutura sint, obesse certe non oportere:) nam simulac me Dyrrhachium adtigisse audiuit, statim ad me lictoribus dimissis, insi-
99 gnibus abiectis, ueste mutata profectus est. O acerbam mihi, iudices, memoriam temporis illius et loci, cum hic in me incidit, cum conplexus est conspersitque lacrumis, nec loqui prae maerore potuit! o rem cum auditu crudelem tum uisu nefariam! o reliquos omnis dies noctisque eas, quibus iste a me non recedens Thessalonicam me in quaestoriumque perduxit! Hic ego nunc de praetore Macedoniae nihil dicam amplius, nisi eum et ciuem optumum semper et mihi amicum fuisse, set eadem timuisse quae ceteros; Cn. Plancium fuisse unum, non qui
100 minus timeret, set si acciderent ea, quae timerentur, mecum ea subire et perpeti uellet. Qui, cum ad me L. Tubero, meus necessarius, qui fratri meo legatus fuisset, decedens ex Asia uenisset easque insidias, quas mihi paratas ab exulibus coniuratis audierat, ad me animo amicissumo detulisset: in Asiam me ire propter eius prouinciae mecum et cum meo fratre necessitudinem conparantem non est passus; ui me, ui me, inquam, Plancius et conplexu suo retinuit, multosque mensis a capite meo non discessit abiecta quaestoria persona comitisque sumpta.
101 XLII. O excubias tuas, Cn. Planci, miseras! o flebilis uigilias! o noctis acerbas! o custodiam etiam mei capitis infelicem! si quidem ego tibi uiuos non prosum, qui fortasse mortuus

---

me mare) E et Ma *mare me.* — transisse) D *traxisse*, set corr.. — scias) Pa *sciam.* — quid) χ1 *qui.* — confiteareque) E *confitearque*, Mc et C *consideraque*, Pa et T *confiteare.* — me, qu. faciam, et) Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pa, D, O, et Ox. *qu. faciam me et.* — huic autem, quae) Sic E; de B tacetur; D *huicque;* ceteri *huic, quae.* — sint) E, Mb, et ς *sunt*, C *essent.* —

simulac me) F1 *simul atque me.* — attigisse aud.) Mb et Mc *audiuit attigisse.* — lictoribus) Ma, Mb, et Mc *littoribus*, C *litoribus.* — abiectis) Lc et ψ *adiectis.* — profectus) T *profecta.* —

§. 99. O) χ3 om. — iudices) D *uide*, C om. — hic) La et ψ *mihi.* — in me) Lb et Pa *me.* — cum) Seruarunt E, Ma, Mb, La, Lb, Lc, Pb, Pc, D, G, Br., C, H, S, T, ψ, F1, et Pucc.. — conspersitque) F1 *adspersitque.* — nec) χ3 *ne.* — maerore) Lb *amore.* — o rem — nefariam) χ3 om. — cum) Mc, Pa, C, H, et F1 *tum.* — o reliquos) Mc *Ore in quas.* — reliquos) Ma, Pa, Pb, Pc, χ1, et Br. a m. prima *reliquas.* — iste a me) F1 *a me iste.* — Thessalonicam — perduxit) A habet. — Thessalonicam) Pa *Tesalonicham.* — quaestoriumque) La cum gl. *quaestanumque*, Ma, Mb, Lc, D, et O *quaestanumque*, Mc et C *quaestorium.* — perduxit) Lb et ψ *produxit*, T *perduxi*, Pb *perdixit.* —

nunc) Ma *non.* — praetore Macedoniae) La *Macedoniae praetore*, χ3 *praetore Macedone.* — nihil) Lc *nil.* — eum) Ma *eum fuisse* non omittens *fuisse* post *amicum*, Lc *eum fuisse* omittens deinde *fuisse.* — amicum) Ma *amicissimum.* — fuisse) Lc et H om. — sed eadem — fuisse) T et χ3 om. — non) χ1 om. — subire) C *subiret*, χ (sic) *sentire.* — uellet) E *uelle.* —

§. 100. Qui) Ma *quod.* — ad me) D *a me*, C *a me et.* — Tubero, meus) Pb *Tuberonis.* — Asia) Pb et Pc *alia.* — quas) χ1 om. — coniuratis) La cum gl. *coniurationis*, H et ψ *coniurationis.* — audierat) H om, ψ *auderet.* — ad me animo) Sic B et E; ceteri *animo.* — ire) S. Uictoris *ire parantem.* — mecum) Sic Ma, Mb, Mc, F2, et Pal. 1.; La *meuim;* C, H, S, et T *me tum;* ceteri *metum.* — et) Pb, Pc, O, et T om. — necessitudinem) Uict. a *necis insidias.* — comparantem) Uict. a *comparatas*, F2 *comperantem*, D *cooperantem*, Lambb. *comparatam.* — ui me, ui me) Sic Mb, Lc, et F1; Ma *Ubi me ui me;* La *ui me* cum gl. *ui me;* ceteri *ui me.* — abiecta) ς *abiecit.* — quaestoria) Mb *quaestoris*, C om. — comitisque) Ma *comitysque*, ς *comitiisque.* —

C. XLII. §. 101. tuas) C om. — Cn. Plancii) D *gnee plantii.* — etiam) Pa *et*, C, T, et χ3 om. — si quidem — profuissem) A habet. — ego — mortuus) C om. — ego) Lb om. — uiuus) χ3 *minus.* —

profuissem: memini enim, memini, neque umquam obliuiscar noctis illius, cum tibi uigilanti,
adsidenti, maerenti uana quaedam miser atque inania, falsa spe inductus, pollicebar: me, si
essem in patriam restitutus, praesentem tibi gratias relaturum; sin autem uitam mihi fors ad-
emisset, aut uis aliqua maior reditum peremisset, hos, hos (quos enim ego tum alios animo
intuebar?) omnia tibi illorum laborum praemia pro me persoluturos. Quid me aspectas? quid
mea promissa repetis? quid meam fidem inploras? nihil tibi ego tum de meis opibus pollice-
bar, set de horum erga me beneuolentia promittebam; hos pro me lugere, hos gemere, hos
decertare pro meo capite uel uitae periculo uelle uidebam; de eorum desiderio, luctu, querel-
lis cotidie aliquid tecum simul audiebam; nunc timeo, ne nihil tibi praeter lacrumas queam
reddere, quas tu in meis acerbitatibus plurumas ecfudisti. Quid enim possum aliut nisi mae- 102
rere, nisi flere, nisi te cum mea salute conplecti? Salutem tibi idem dare possunt, qui mihi
reddiderunt. Te tamen, exurge quaeso, retinebo et conplectar, nec me solum deprecatorem
fortunarum tuarum, set comitem sociumque profitebor; atque, ut spero, nemo erit tam crudeli
animo tamque inhumano, nec tam inmemor non dicam meorum in bonos meritorum, set bo-
norum in me, qui a me mei seruatorem capitis diuellat ac distrahat. Non ego meis ornatum

---

profuissem) La cum gl. *defuissem*, Ma, H, et ψ *defuissem*, Pa *profuisset*, T *fuissem*. — enim) Ma om, Pb *etiam*. — memini) Pa om. — neque) Pa *nec*, Pb et Pc *ne*. — obliuiscar) Ma, Mb, D, H, ς, et χ_1 *obliuiscor*. — noctis) Ma, Mb, La, Lb, Lc, Pa, Pc, D, O, G, ς, χ_1, et ψ *tuae noctis;* Mc et χ_3 *meae noctis;* Br. *mea noctis;* Pb *me noctis*. — uigilanti) C *uigilatim*. — maerenti) Mb et Lc *merenti*, ψ *meriti*. — uana) Lc et H *uaria*. — quaedam) Lb *quidem*. — miser) La, D, C, et ψ *misera*, Mc *miseria*. — inania) C et H *inani*. —

patriam) Ma, Mb, Mc, La, Lb, Lc, Pb, Pc, D, χ_1, et ψ *patria*. — gratias) Sic B et E; Lb *gloriam;* ceteri *gratiam*. — sin) T *si*. — autem) E *aut;* C *mihi*. — uitam) Ma et ς om. — fors) Sic B, E, Pa, C, H, S, et T; ceteri *sors*. — uis) D *uix*. — reditum) Pb et Pc *reditu*. — hos) Pb et F1 om. — enim ego) Ma *ego enim*, Mb *enim ego*, H *ego*. — alios) C, T, et χ_3 *aliquos*, H *alio*. — omnia) La cum gl. *et*, Lc et H *et omnia*. — pro me) D, C, et χ_1 *per me*. — persoluturos) Lb, Pb, et Pc *soluturos*. —

Quid) Pb et Pc *quod*. — aspectas) Mb et Pa *expectas*, set in Mb correctum a m. secunda. — mea promissa) χ_3 *me in fidem*. — tibi) Ma, Lc, D, et H om. — tibi ego) La *ego tibi*. — sed de horum) Sic E; B, Ma, Mb, La, Lb, Lc, Pa, Pb, Pc, D, O, G, Br., C, H, T, ς, χ_1, et F1 *sed eorum;* ceteri *sed horum*. — beneuolentia) Sic B, E, Ma, Mb, et Lc; ceteri *beneuolentiam*. — hos gemere) ς om. — pro meo capite) La om, set sunt supers.. — uel) Pa *et*. — uitae) ψ *iure*. — de horum) Sic B et E; ceteri *de eorum*. — desiderio) C *considero*. — luctu) D *luctum*. — nihil tibi) E *tibi nihil*, Lb et Pa *nihil*. — praeter) La et ψ *propter*. — acerbitatibus) La *necessitatibus* cum gl. *acerbitatibus*. — plurimas eff.) La et Lb *effudisti plurimas*. —

§. 102. aliud) χ_3 *aliquid*. — nisi flere) Mc om. — cum mea salute) Ed. Ox. *cum salute mea*. — Salutem — reddiderunt) A habet. — iidem) Mc *quidem*. — mihi) D et C *me*. — Te tamen, exurge) Sic B, E, Pb, et duo Lallemandi; Lb, Pa, Pc, et G *Nec tamen exsurge;* χ_3 *Nec exsurge tamen;* Mc, La, D, et Br. *Huc tamen exurge*, set in Br. *huc* a m. rec. est; F1 *huc tandem exsurge;* ceteri *Huc exsurge tamen*. — tuarum) Pa et C om, χ_1 *mearum*. — comitem sociumque) Pa *socium comitemque*. — profitebor) Ma *profiteor*. — ut) La et ψ om. — tamque) Ma *nec tam*, Mb *atque*. — nec) La, Lc, et H *neque*. — tam) Mb et ς om. — immemor) H *memor*. — non dicam meorum) Sic B et E; forsitan sic etiam Ox.; certe sic ed. Ox., qui nihil uarietatis enotauit; Ma *non dicam eorum;* D *eorum non dicam;* ceteri *meorum non dicam*. — capitis) Pa *mei capitis*, H om. — ac distrahat) La cum gl. *atque detrahat*, Lc *atque detrahat*, Ma *atque distrahat*. —

beneficiis a uobis deprecor, iudices, set custodem salutis meae; non opibus contendo, non auctoritate, non gratia, set precibus, set lacrumis, set misericordia; mecumque uos simul hic
103 miserrumus et optumus obtestatur parens, et pro uno filio duo patres deprecamur. Nolite, iudices, per uos fortunas, per liberos uostros, inimicis meis, iis praesertim, quos ego pro uostra salute suscepi, dare laetitiam gloriantibus, uos iam oblitos mei salutis eius, a quo mea salus conseruatast, hostis extitisse; nolite animum meum debilitare tum luctu, tum etiam metu commutatae uostrae uoluntatis erga me; sinite me, quod uobis fretus huic saepe promisi, id a
104 uobis ei persoluere. Teque, C. Flaue, oro et obtestor, qui meorum consiliorum in consulatu socius, periculorum particeps, rerum quas gessi adiutor fuisti, meque non modo saluom semper, set etiam ornatum florentemque esse uoluisti, ut mihi per hos conserues eum, per quem me tibi et his conseruatum uides. Plura ne dicam, tuae me etiam lacrumae inpediunt uostraeque, iudices, non solum meae; quibus ego magno in metu meo subito inducor in spem, uos eosdem in hoc conseruando futuros, qui fueritis in me, quoniam istis uostris lacrumis de illis recordor, quas pro me saepe et multum profudistis.

---

iudices) D *uide*, χ3 *iudicibus*. — mecum — deprecamur) A habet. — mecumque) A, Ma, Mb, D, C, et H *mecum*. — hic) Seruarunt A, B, E, Pa, C, H, S, et T. — et opt.) Pa *optimus*. — duo) Mc et χ3 *duos*. —

§. 103. per uos fortunas, per liberos uestros) Sic e coni.; B et E *per uos per fortunas*, *per liberos uestros;* forsitan etiam Ox.; certe sic ed. Ox., qui nihil uarietatis enotauit; ceteri *per uos per fortunas uestras, per liberos*. — iis) Sic Mc; D om; ceteri *his*. — uestra) D *nostra*. — laetitiam) Pb, Pc, O, G, et Br. *licentiam*. — uos) Ma, Mb, Lc, D, ς, et χ1 om. — salutis eius) Sic B, E, Ma, Mb, La, Lb, Lc, Pa, Pc, G, Br., D, C, H, S, T, et χ3; ceteri *salutisque eius*. — exstitisse) Pa *extulisse*. — meum) Lb om. — tum luctu) Ma, Lb, Pc, et O *cum luctu*. — tum) Pc *cum*. — etiam metu) C *ueste*, ψ *etiam*. — commutatae) Lc *commutare*. — uestrae) C *metu*. — uoluntatis) ψ *uoluntates*. — fretus) Pa *fructus*. — saepe prom.) Ma *promisi saepe*. — uobis) Lb *nobis*. —

§. 104. C. Flaue) Sic e coni.; Lb *Cassi Flaui;* ceteri *C. Flaui*. — consulatu) χ1 *senatu*. — quas) Pa *quas ego*. — gessi) Ma *gexi*. — hos) Pc *os*, D et C *cos*. — eum) Mc *cum*. — et) C om. — conseruatum) La et ψ *seruatum*, ς *consulatum*. — uides) C *esse uides*. — tuae me etiam) La et Lc *tuae etiam me*, Pb et Pc *tu me etiam*, C *tuae me et*. — meo) Mc om. — eosdem) D et C *in eosdem*. — qui) Pb om. — fueritis) C *futuris*. — de illis recordor) La *recordor de illis*. — et) C om. — profudistis) χ1 *profudisti*, χ3 *profugistis*. —

COMMENTARIUS.

CAP. I.

§. 1. *In mea salute custodienda*) Cicero ex urbe pulsus cum in Macedoniam se contulisset, beneuole a Plancio quaestore Dyrrhachi exceptus et Thessalonicam in quaestorium perductus contra inimicorum insidias defensus est. Cfr. Epp. ad Diu. XIV, 1. ad Att. III, 14. 22. et huius orat. C. XLI. §. 98 sq..

Eius honori) Mire errat Wolffius, qui uerbo *honoris* tribunatum pl. significari putat, quem gessit Plancius Cn. Cornelio Lentulo Marcellino et L. Marcio Philippo coss. an. u. c. 698.; cfr. Proleg. Lib. III. C. I. §. 2.. Nam de aedilitate curuli loqui Ciceronem, cum totius loci sententia uerbisque, *eandemque rem aduersariam esse in iudicio Cn. Plancio, quae in petitione fuisset adiutrix*, tum maxume uerbo *uiderem* intellegitur, quod, cum oppositum sit uerbo *audirem*, a Cicerone apparet non alio posse sensu usurpatum esse, quam ut praesentem se, cum Cn. Plancius honorem illum peteret, fuisse significaret. Nondum autem redierat, cum Plancius tribunatum pl. petebat; cfr. C. X. §. 26.: *Etenim si ante reditum meum Cn. Plancio se uolgo uiri boni, cum hic tribunatum peteret, ultro offerebant: cui nomen absentis honori fuisset, ei meas praesentis preces non putas profuisse?* Uide ibidem §. 24. 25.. — Ceterum tenendumst, singulari significatione, de qua nemodum hominum doctorum monuit, uerbum *honoris* hic usurpatum esse. Non enim, quod uolgo significare ipse Cicero Brut. C. LXXXI. §. 280. dicit, *praemium uirtutis iudicio studioque ciuium delatum ad aliquem*, significat, set *delationem praemi uirtutis ad aliquem*. Hoc enim tantummodo Cicero potest dicere, uidisse se multos id studere perficere, ut Plancius quem petebat magistratum consequeretur. Eodem sensu uerbum illut his usurpatum locis est: C. VIII. §. 20. *quid ego de me, de fratre meo loquar, quorum honoribus agri prope dicam ipsi montesque fauerunt?* C. IX. §. 23. *qui ordo quanto adiumento sit in honore, quis nescit?* ibid. §. 24. *Quis est ergo, qui neget, ordinis eius studium fuisse in honore Planci singulare?* C. XI. §. 27. *ne tu in ea uita, de qua iam dicam, tot et tanta adiumenta huic honori fuisse mirere.* C. XII. §. 29. *cuius quantam honoris huius cupiditatem fuisse creditis, cum uidetis luctus societatem?* C. XX. §. 49. *cuius in honore non unius tribus pars, set comitia tota comitiis fuerint praerogatiua?* C. XXX. §. 73. *sic mecum semper egisti, te mihi remittere atque concedere, ut omne studium meum in Cn. Planci honore consumerem.* II. in Rullum C. XXXVII. §. 103. *pro certo polliceor hoc uobis atque confirmo, me esse perfecturum, ut iam tandem illi, qui*

honori inuiderunt meo, tamen nos uniuersos in consule deligendo plurumum uidisse fateantur. Quo loco si u. *honoris* uolgari significatione Cicero usurpasset, non *inuiderunt*, cum modo iniisset consulatum, set *inuident* dixisset.

Honori uiderem esse fauitores) Non sine caussa Cicero et hic *fauitorem esse alicui* dixit et pro Scauro p. 24. ed. Mai. sec.: *deorum inmortalium numen inplorare potero, qui semper extiterunt huic generi nominique fautores.*

Fauitores) B *fauitores*, idemque mox *huic acc. esse fauitores.* Tamen in eodem uerbo c. 23. nihil uarietatis notatur. Hoc si ab ipso Tullio non fuit (neque enim fuisse contendo) certe ab homine antiquitatis studioso subiectum fuit. Uide Dousam ad Lucilium p. 417.. Ne Sallustius quidem usurpauit, aput quem *fautor* sine uarietate bis legitur, Iug. CIII, 7. Fragm. III, 13.. GARATONIUS. Cum certum sit, a librariis rariores uerborum formas et antiquiores sublatas potius quam inlatas in ueterum scriptorum monumenta esse, sine dubitatione Bauarici scripturam recipiendam duxi, praesertim cum codicis illius a Grammatico recensiti nullum extet uestigium.

Meorum temporum memoriam suffragari) Populum Romanum mea tempora, id est exilium recordantem fauere.

Quom autem audirem, meos partim inimicos partim inuidos huic acc. esse fau., eandemque rem adu. esse in iud. Cn. Plancio, quae in pet. f. adiutrix: — benefici sempiterna) Nemo uidit interpretum, egregia arte Ciceroneum in ipso exordio beneuolos sibi iudicum animos reddere studere. Quos quamquam sibi inimicissumos, et ob id ipsum aduersarios esse Planci caussae, quod is suam salutem custodiuisset, certo sciebat, id quod ex Cap. XV. intellegi licet, tamen sic eos adloquitur, ut quod sciebat, inimicos sibi esse, id audisse se tantum nec credere ullo pacto posse simulet, cum omnes beneuolam in se uoluntatem eo ostenderint, quod in patriam se reuocandum olim censuerint. Itaque et sibi eos debere amicos esse et Plancio ostendit, qui, id quod uoluissent, effecerit, ut incolumis in patriam redire potuerit. Captare uero beneuolentiam eorum eo maxume studet, quod inmortale appellat beneficium, quod in comitiis de restitutione sua habitis suffragia eorum tulerit, eiusque benefici in omne tempus memorem se fore ait. — Ex his facile apparet, quam temere Ernestius pro *aduersariam esse* scribendum *aduersariam fore* putarit, adnotans: „Nam quomodo potuit dicere, *esse aduersariam,* cum iudicium nondum esset, et cum ipse post dicat, iudices esse omnis talis, a quibus nihil timeat?" Nimirum non uidit Ernestius, *in iudicio* esse dictum pro *aput iudices*, ut in membro opposito *in petitione* dictum pro *aput populum Romanum.* Audiuerat Cicero, ut ait, iudices a Laterense delectos ob eam ipsam caussam infensos Plancio esse, ob quam dicit populum Romanum ad eum aedilitatem detulisse. Itaque minume uti tempore futuro potuit. Non minus recte paulo ante dictum *accussationi esse fauitores;* quibus in uerbis qui pro *fauitores* ex paucissumorum eorumque pessumorum codicum auctoritate *fauturos* legendum putarunt, eos mirumst non animaduertisse, Ciceronem, cum habitae iam essent accussatorum orationes, non ita loqui potuisse, ut adiutum iri ab inimicis accussationem, set ita debuisse, ut adiuuari eam ab iis diceret. Postremo tantum abest, ut repetitio uerborum *esse fauitores,* quae Lambino displicuit, quicquam habeat offensionis, ut studiose et apte quaesita a Tullio intellegatur.

Dolebam — texisset) Adfert A. Gellius N. A. IX, 12..

Infestior) Sensu passiuo hic dici, monuerunt Gellius l. l. et Nonius Marcellus p. 129. ed. Par. 1614..

§. 2. *Conspectus et consessus*) Cfr. II. in Uerr. L. I. C. VII. §. 19. *quis tam nouarum rerum, iudiciorum, iudicumque cupidus, qui non conspectu consessuque uostro conmoueretur?*

Summum meritum) Quod peiores codices habent, *suum meritum*, alienumst ab hoc loco propterea, quod de uno eodemque omnium, qui delecti erant, iudicum merito Cicero loquitur. Erat autem hoc, quod eum in comitiis de reditu eius habitis suffragiis suis reuocandum declararant. Itaque in sequentibus etiam non *beneficiorum* set *benefici* dictumst. *Suum* autem si legeretur, singula singulorum iudicum in Ciceronem merita extitisse statuendum esset, id quod eo minus statui potest, quo magis Cicero cap. XV — XIX. ignotos sibi iudices et inhumanos et crudelis esse quamuis tecte ostendit.

Aput eos) Aput iudices.

Me ipsi) Sic etiam sine codd. auctoritate pro uolgato *me ipsum* scribendum fuisse Garatonius monuit. Caussa, quam non satis perspexit Wolffius, qui idem indicauit, haec est. *Me ipsum* si dixisset Cicero, manifesto se alii opposuisset, cuius salus minus quam sua iudicibus curae fuisset. Atqui de alio, quem potius quam Ciceronem saluom uelle potuerint, cogitari plane non potest. Itaque requiritur *me ipsi*, quo declarat orator se non uereri, ne illi ipsi, quibus salus sua cara olim fuerit, Plancio nunc propter custodiam salutis suae infesti sint.

Saluom uidere) Guilielmio et Ernestio suspectum fuit *uidere*, quia Cicero semper *saluom uelle aliquem* dicat. Garatonio non ineptum uidetur, monenti: „Habet enim hanc uim, ut horum iudicum erga se studium uehementissumum ostendat fuisse, qui non quieuerint, nisi cum saluom uiderunt.“ Cum a Plancio, qui id tantum fecerat, ut exul ab insidiis inimicorum tutus esset, Cicero salutem suam et uitam seruatam diceret, optumo iure potuit eos, qui suffragiis suis reuocandum eum declarauerant, *maxume se saluom uidere uoluisse* dicere, id est cupiuisse, ut reuersum in patriam *uiderent* omni restituta pristina fortuna ac dignitate.

Saepiusque, iudices, — fecisse uideatur) Quod Laterensis Plancium accussauit et mirationem Cicero et metum sibi iniecisse dicit. Mirationem, quod, cum alium ex conpetitoribus reum sibi deligere potuerit (coll. c. VII. §. 17.), Plancium potissumum accussauerit, qui cum ab interitu Ciceronem liberasset, Laterensis etiam, cui ipsi Ciceronis salus cara fuerit (coll. c. XXX. §. 73.), beneuolentiam sibi conciliare debuerit; metum, quod Plancium ea spe accussasse uideri possit, fore, ut is uel propterea condempnaretur a iudicibus, quod inimici Ciceronis essent.

Hominem studiosissumum et dignitatis et salutis meae) Hanc scripturam, quam uel propter praestantissumorum codicum auctoritatem recipere debui, Wolffius tamen posthabendam alteri putat, *hominem studiosissumum et diligentissumum salutis meae*, hoc usus argumento, quod dignitatem Ciceronis tueri profecto Laterensis non potuerit. At non meminit uir doctus, accussatione hac multum etiam de dignitate Ciceronis potuisse detrahi, quod, si uicisset Laterensis, inimici Ciceronis gloriati fuissent, iudices oblitos iam Ciceronis salutis eius, a quo Ciceronis salus conseruata esset, hostis extitisse. Quae sunt ipsius oratoris uerba c. XLII. §. 103..

Magna ratione fecisse) I. e. sperans fore, ut nos eo facilius Plancium dampnaretis, quo inimiciores mihi essetis.

Ne uobis id — fecisse uideatur) Callide dixit *uobis uideatur fecisse* pro simplici *fecerit*, quod quis expectet, ut se ab sollicitudine ista plane liberum simularet.

§. 3. *consecutum putem*) Sic ex B et E pro uolgato *consecuturum putem* rescripsi, probante Garatonio, qui haec monuit: „Melius in B esse arbitror *consecutum*. Patet enim aliquanto latius, cum omnium rerum inpunitatem in posterum conplectatur, habetque acrius quid-

dam et oratorium. Ita I. ad Diu. 9. non de sententiis iudicum in P. Clodium, set uirorum in re publica principum. *Illa furia muliebrium religionum — inpunitatem est illorum sententiis adsecutus, qui cum tribunus plebis poenas a seditioso ciue per bonos ciuis iudicio persequi uellet, exemplum praeclarissumum in posterum uindicandae seditionis de re publica sustulerunt; idemque postea* etc. Similis porrost professio pro Milone 2. *Quamquam in hac caussa, iudices, T. Anni tribunatu rebusque omnibus pro salute rei publicae gestis ad huius criminis defensionem non abutemur. Nisi* etc.". Uereor tamen, ut argumentum a Garatonio prolatum satis tueatur scripturam *consecutum*. Ego ut reicerem uolgatum *consecuturum*, his potissumum caussis conmotus sum, quod primum *inpunitatem consequi* non uidetur eo sensu dictum esse, ut *unius uel certi cuiusdam delicti ueniam inpetrare*, set, ut in Ep. ad Diu. I, 9. *inpunitatem adsequi*, potius *libertatem nihil non inpune faciendi consequi* denotaret. Patet autem, futurum tempus *consecuturum* si retineatur, Ciceronem hoc dicere, se non putare, futurum esse, ut Plancius propter suà in se merita inpunitus ex hoc iudicio discedat. Accedit, quod *consecutum* eo quo dixi sensu accommodatius est antecedentibus, in quibus cum Cicero dixisset Plancium, qui salutem suam tanta beneuolentia texisset, omnium minume debuisse a Laterense accussari, ita hoc iudices interpretari poterant, ac si Cicero Plancium propter ista merita omnino in ius uocandum non esse putaret. Itaque hanc ne suam esse sententiam indicarent, ante omnia cauere debebat, ideoque id ipsum dicere, quod uerbis *inpunitatem consecutum* significatur. Denique optumorum malui quam pessumorum codicum auctoritatem sequi.

Sin omnia praestitero) Efficaciter *praestitero* pro, inesse in eo demonstrauero. ERNESTIUS.

Reliquos labores — ceteris) Facit hic locus aliquid ad eruendum discrimen uerborum *relicus* et *ceterus*, de quo acute disseruit C. Beierus in Miscell. Crit. ab Friedemanno et Seebodio editis. 1822. Uol. I. part. I. p. 181 — 188.

Ad reliquos labores, quos in hac caussa maiores suscipio quam in ceteris, etiam hanc molestiam adsumo) Pro, haec molestia accedit, paulo durius. Nam non sua sponte hanc molestiam subiit, set aliunde accessit. An scripsit *hanc molestiam sumo?* ut alibi, *animo sumpsi dolorem*, i. e. hausi. prima syllaba facile ex ultuma praecedentis uerbi nasci potuit. ERNESTIUS. Tantum abest, ut ista mutatione locus corrigatur, ut manifesto corrumpatur, cum elocutio *molestiam sumere* eo quo Ernestius sensu uolt numquam sit usurpata. Nihil uerius uolgata scripturast. Nam qui caussam aliquam suscipit, is profecto recte dicitur etiam molestias, quae sunt cum caussa coniunctae, licet inuitus faciat, insuper suscipere. Itaque in uerbo *adsumo* praepositio *ad* maxume urgendast, significatque totum uerbum nil nisi *insuper suscipio.* Simillumo sensu dictum est a Cic. ad Att. II, 19. *ego aput inprobos meam retinuissem inuidiam, alienam adsumpsissem.* et II. in Rull. C. XXXV. §. 97. *Quibus rebus elati et inflati fortasse non continuo, set certe si paulum adsumpserint uetustatis ac roboris, non continebuntur.*

CAP. II.

§. 4. *Quamquam — conturbat*) Indicatiuos cum in optumis codicibus sit, locique sententiae egregie conueniat, temere agit, qui cum Goerenzio ad Cic. de Legg. III, 8, 18. p. 258. *conturbet* scribendum putat. Errat autem Orellius, ad hunc locum monens: „subiunctiuos in hac saltem constructione, ubi apodosis deest, et *quamquam* permutari fere possit cum particulis *tamen* uel *uerum*, locum omnino non habet." Nam sic Cicero hac ipsa oratione c. XXII. §. 53. *quamquam ne id quidem suspicionem coitionis habuerit.* Adde de Har. Resp. VIII, 17.

Quamquam — quis non ignosceret? in Uatin. XIV, 33. *quamquam id ipsum esset et nouom et non ferendum.* Phil. I, 7, 17. *quamquam ea quoque sit ecfusa, si ita in actis fuit.* pro Milon. XXXIII, 90. *quamquam esset miserum id ipsum.* ad Diu. XII, 1. *quamquam primum quidque explicemus.* de Or. II, 47, 197. *quamquam te quidem quid hoc doceam?*

Ne quid ipse offendam) Ne quid ipse committam, quod reprehendi possit, si Planci in me merita supra modum ecferam. MANUTIUS.

Cum respondero criminibus) Non erant crimina, quibus respondebat. Rectius igitur E, *cum respondero omnibus,* nimirum accussatoribus, qui plura paene de me quam de reo dicunt. GRAEUIUS. Inepte sic Cicero locutus esset, cum duo tantum essent accussatores. *Crimina* sunt accussatorum dicta, quibus Plancium dampnandum esse ostendere studuerant. Iis ante omnia se respondere uelle Cicero dicit, ne non tam innocentia reus sua, quam recordatione suorum temporum defensus esse uideatur. *Crimen* autem omne id dici, quod alicui obiciatur, cum aliunde constat tum exemplis probauit e Cicerone petitis Cannegies. ad Auian. Fab. XIV, 12., quem conmemorauit Garatonius, qui quod scriptum a Cicerone fuisse suspicatur, *criminibus omnibus,* loco non aptumst.

§. 5. *In caussa facili atque explicata*) Caussa dicitur *facilis,* quae sine ullo negotio agi potest, *explicata,* quae tam planast ac perspicua, ut minume longiore egeat expositione, qua iudices, quid iudicare debeant, doceantur. Utroque uerbo *innocentiam* Planci facillume ostendi posse declaratur.

Perdifficilis et lubrica defensionis ratio) Bene dicitur defensionis ratio *lubrica* opponiturque caussae *explicatae.* Nam uerbum *lubricus,* quod proprie de uia eiusmodi dicitur, in qua facile cadere possumus, transfertur ad ea designanda, quae errorum et peccatorum occasionem praebent. Significat Cicero Plancium defendi uix posse, nisi ut simul Laterensis, amici sui, animus offendatur.

Mihi autem non id est in hac re molestissumum, contra illum dicere, set multo illut magis, quod) Haec est optumorum ac plurumorum librorum scriptura, de qua monet Garatonius: „Defenditur ea dupliciter: tum per ellipsin uocis *solum,* aut *modo,* quam contra Graeuium propugnauimus ad III. in Uerr. 1. et ad II. Agr. 16. adtigimus; tum etiam longe melius nihil subaudiendo, ut dixerit Cicero, quamquam id sibi molestum sit, non esse tamen molestissumum, cum aliut subiciat *multo magis* sibi molestum." Nihil plane subaudiendumst. Nam quam particulam librarii nonnulli addiderunt *solum* uel *modo,* ea tum tantum necessaria esset, si sequeretur positiuos *molestum.* Eo enim posito et omissa illa particula omnino sibi molestum Cicero negaret esse, contra Laterensem dicere. Atqui minume negat, sibi illut molestum esse, set, quamquam iam hoc molestum sit, tamen aliut etiam molestius accedere dicit. Superlatiuom autem cum posuit *molestissumum,* non omnino contra Laterensem dicere sibi molestum esse negat, set eiusmodi quid esse negat, quod maxume molestum sit. Quo simul adsignificat, aliut accedere, quod molestius etiam sit. Itaque solo superlatiuo id ipsum declaratur, quod fuerunt qui scribendum putarent, *solum molestum.* Ceterum rectissume post superlatiuom sequi conparatiuom posse, sic ut plus quam superlatiuos significet, docent hi loci: Cic. in Cat. III, 5, 13. *ac mihi quidem cum illa certissuma sunt uisa argumenta atque indicia sceleris, tum multo illa certiora.* Id. de Off. III, 34, 121. *tibique persuade, esse te quidem mihi carissumum, set multo fore cariorem.* Id. ad Diu. XIV, 3, 2. *ego autem hoc miserior sum, quam tu, quae es miserruma.*

Praeterea mira ad hunc locum Ernesti adnotatiost, scribentis: „Uerbum *id* delendum est, quia sequitur *dicere:* cum post *id* debeat esse *quod contra illum dicendum est,* ut mox post *illut.* Putauere librarii addendum esse, quia sequitur *illut.* Quia abest ab editionibus multis ante Gruterum, Uictor., P. Manuti etc. deleui." Ex locis innumeris, in quibus pronomen *id* uel *illut* eodem modo quo hic cum infinitiuo coniungitur, unum adposui, qui est nostro simillumus, in Uerr. II, 2, 69. *Quo quidem in crimine non illut solum intellegi uolo, te ad statuas — milia coegisse, set multo etiam illut magis, quod simul demonstratumst, quantum odium in te aratorum, quantum omnium Siculorum sit et fuerit.* Notandum autem, pronomen *id* prae ceteris uerbis sono distinguendum esse.

Contra illum dicere) Contra Goerenzium, qui haec uerba interpolatoris putat esse, sufficit hoc unum monuisse, interpretem non *contra illum,* set *contra Laterensem dicere* scripturum fuisse.

§. 6. *Hoc uno maxume urget*) Plancium scilicet. Usitatius foret *unum,* set illut exquisitius. Ernestius. Non licet *Plancium* subintellegere. Non enim ex illo, set ex Cicerone quaesiuit Laterensis, qua ratione a Plancio superari potuisset, quod patet ex antecedentibus, *contentio uidetur facienda,* et e sequentibus, *id quod ille me flagitat.* Melius coniecerit quis, *maxume me urget* scriptum fuisse. Set nec hoc opus est. Uerbi *urgendi* eadem structura et alibist, et in Orat. XL, 137. *ut interrogando urgeat.*

Non solum huius dignitatis iactura faciendast, set etiam largitionis recipienda suspicio) Non temere genitiuo *huius,* i. e. Planci, offensi sunt I. Fr. Gronouius, Ernestius, et Garatonius, qui datiuom *huic* in eius locum sufficiendum putarunt. Etenim *iacturam facere alicuius rei* significat *abicere* uel *amittere aliquid.* Cicero igitur cum dicit, *huius dignitatis iactura faciendast,* Planci sibi dignitatem amittendam esse indicat. Atqui hoc utique necessest non recte dictum uideatur, cum nemo dignitatem alius dici possit amittere. Idem ualet de sequentibus, *set etiam largitionis recipienda suspicio,* quorum non minus incommodus sensus est, si supples *Ciceroni.* Nam *recipere suspicionem alicuius facti* sic tantum dici potest, ut is, qui recipere dicatur, etiam facti, de quo suspiciost, auctor sit, non ita, ut is, qui recipere dicatur, alius sit atque ille, qui factum, de quo suspiciost, perpetrauerit. Nihilominus unice ueram uolgatam puto scripturam esse, quae sic explicanda, ut Ciceronem statuamus, quae Plancio acciderent, ad se quoque pertinere significasse, omninoque ita locutum esse, ac si ipse et reus, cuius caussam agebat, una eademque persona essent. Facit hoc cum alibi, tum maxume in orat. pro S. Rosc. Am. LII, 150. *Uerum si a Chrysogono, iudices, non inpetramus, ut pecunia n o s t r a contentus sit, uitam ne petat; si ille adduci non potest, ut cum ademerit n o b i s omnia, quae n o s t r a erant propria, ne lucem quoque hanc, quae conmunis est, eripere cupiat; si non satis habet auaritiam suam pecunia explere, nisi etiam crudelitate sanguinis perlitus sit: unum perfugium, iudices, una spes reliquast Sex. Roscio, eadem quae rei publicae, uostra pristina bonitas et misericordia; quae si manet, s a l u i etiam nunc esse p o s s u m u s.*

Id quod ille me flagitat) Si emendata lectiost, adtendendumst uerbum *flagitare* cum duobus accussatiuis in soluta oratione coniungi. *Id quod ille a me flagitat* melius scribendum mihi uidetur. Sylvius. Non opus mutatione. Caes. B. G. I, 16. *Cotidie Caesar Aeduos frumentum flagitare.* et, quod non minus huc pertinet, B. C. I, 87. *Petreius atque Afranius cum stipendium ab legionibus paene seditione facta flagitarentur.* Cic. pro dom. VI, 14. *Me frumentum flagitabant.*

Si illam accussationis condicionem sequar) I. c. si accussatoris rationem secutus, uter dignior aedilitate fuerit, dicam atque Laterensem a Plancio dignitate esse superatum contendam.

CAP. III.

Caecum me et praecipitem ferri confitear in caussa) Cupiditate incensum facere contra amicitiae leges et ueritatem. ERNESTIUS. Proprie, temere et inconsulte uersari in caussa agenda.

Si te aut a Plancio, aut ab ullo dignitate potuisse superari dixero) Bauar. *si te a Plancio, aut ab ullo dignitate superari dixero.* Set ridiculum esset dicere, candidatum aedilicium dignitate a nemine superari. Abesse igitur *potuisse* non debet, quod ad petitionem aedilitatis refertur et ad eos, qui tum petiuerint, aut petere potuissent. GARATONIUS. Uide etiam Proleg. Lib. I. C. II. §. 2. p. XIV..

Ad illam) Quae fit in populi comitiis, cum populus conpetitores dignitate non distinguens aut inuidet aut fauet arbitratu suo. MANUTIUS.

Caussa ipsa) B non habet *ipsa,* quo carere profecto, si lubet, possumus. GARATONIUS. Cum perspicua ratio sit, qua omitti ab librario pronomen potuerit, obscura autem, cur quis addendum iudicarit, mihi quidem retinendum uidetur. Nec uero inutilest. Auget enim oppositionem, quaest inter uerba, *ad quam tu me uocas* et *ad quam me caussa deducit.* Uide etiam Proleg. Lib. I. C. II. §. 2. p. XIV..

§. 7. *Quid, tunc dignitatis*) Ita hunc locum scribendum esse, docui Proleg. L. I. C. III. §. 13., ubi editorum etiam omnium ad h. l. adnotationes descriptas dedi.

Dignitatis iudicem) Significanter dicitur, qui recte de dignitate iudicat, iudicare ualet, cui respondet in seqq. *iudex inicus.* HULDRICUS. Eodem sensu infra c. 4., ut recte monet Garatonius, legitur, *non enim comitiis iudicat semper populus,* ibidemque *comitiis, praesertim aediliciis, studium esse populi, non iudicium.*

In iis magistratibus) Consulatum maxume et praeturam intellege.

His lenioribus comitiis) Aediliciis, quae leuiora dicit, quia aedilium eiusmodi erant officia, ut populo non possent magnae utilitati esse. Cfr. IV, 10. et V, 13..

Diligentia) In salutando, rogando, et supplicando. SYLUIUS.

Nam quod ad populum pertinet, semper dignitatis inicus iudex est, qui aut inuidet aut fauet) Est sententia uniuersalis, ut sensus hic sit: Nam quod ad populum pertinet, de eo ualet, quod omnino dicitur, semper eos homines iniquos iudices esse, qui aut inuideant aut faueant. WEISKIUS.

Quod sit proprium laudis tuae) *Proprium* non bene redundat. Uereor, ne delendum sit. Nam si scripsit, *quod sit proprium laudis tuae,* inepte adduntur sequentia. ERNESTIUS. Non intellexit Ernestius sententiam loci. Non potuit enim Cicero simpliciter dicere, *nihil in te potes constituere, quin id tibi sit commune cum Plancio,* cum esset omnino in Laterense ornamentum, quod non erat in Plancio, *nobilitatem* dico. Eam ut excipiendam significaret, necessario debebant uerba, *quod sit proprium l. tuae,* addi, quae, ut recte intellexit Syluius, in hunc sunt sensum dicta: quod tu tibi ipse tua industria et uirtute paraueris.

§. 8. *Patres*) Uerissume Niebuhrius, uir summus, in inmortali opere historiae Rom. T. II. p. 10. ed. 1812. non *senatum* hoc uerbo, set *curias* significari dicit, quicquid Wachsmuth p. 337. obloquatur. Cfr. etiam Schulzius in libro, cuius titulus: Von den Volksversammlun-

gen der Römer p. 94 sqq. Inutile uero, uel ab hoc certe loco alienum, eos, qui *senatum* intellegendum putant, refutare.

Tenere) Constanter et perpetuo ut ius suum conseruare. Weiskius. Cfr. Cic. de Re p. II, 32. *Quodque erat ad obtinendam potentiam nobilium uel maxumum, uehementer id retinebatur, populi comitia ne essent rata, nisi ea patrum adprobauisset auctoritas.* et Liu. I, 17..

Ut reprehensores essent comitiorum) Ut comitia inrita facerent.

Uel quod multo etiam minus esset ferendum) Ed. Iunt. habet *uel id quod.* Et placeret legere, deleto *uel, id quod m.* etc.. Set non bene tam celeriter *id* esset post *id haberent iudices; uel* refertur ad *multo etiam magis,* ut *uel maxume* et similia. Ernestius. Hunc secuti sunt Schutzius, qui *uel* prorsus deleuit, et Wolffius. Garatonius sic locum explicuit: „atque adeo iudices id haberent, quod multo etiam minus est ferendum, quam quod olim senatus tenere non potuit.“ Qui una cum illis in eo errauit, quod uerba, quae adposuimus, ad antecedentia pertinere statuit, atque *uel* particulae significatum tribuit, quem propter eum, quem occupat, locum habere non potest. Recte autem Huldricus et Orellius ad sequentia haec uerba referenda monuerunt, ita quidem, ut ad *uel* supplendum sit *id haberent iudices.* Hoc enim dicit Cicero: Si ita esset, ut a iudicibus condempnari posset, quem populus non recte fecisset, haberent iudices (homines multo deteriores) ius eiusmodi, quod patres (homines multo grauiores) olim tenere non potuerunt, ut inrita facerent comitia; uel haberent etiam maius idque multo minus ferendum, cum olim, cui populus detulerat magistratum, is a patribus, si auctores non erant facti, gerere tantummodo magistratum prohiberetur, nunc autem non tantum ut non gerat set etiam exili poena ut adficiatur, a iudicibus postuletur.

Esset ferendum) Recepi hanc scripturam, tum quod optumorum codicum auctoritate nititur, tum quod a sententia loci non alienast, quamquam altera lectio *ferendum est* minume cum Ernestio et Garatonio contra latinitatem esse putandast. Quae si reciperetur, hic esset sensus: si iudices condempnare possent, quem populus non recte creauit, haberent ius, quod ferre non possumus. Nuuc hoc dicit: si iudices condempnare possent, quem populus non recte creauit, haberent ius, quod ferre non possemus, si quis tribuendum iis censeret.

Eius exilio) Dampnati enim de ambitu poena lege Tullia exilium erat. Syluius.

Iudicium populi Romani reprehendatis) Cum uerbum *Romani* in codicibus plerumque una littera *r* scribi soleat, eaque littera e sequenti uerbo *repreh.* facillume oriri hic potuerit, erit fortasse qui eiciendum uerbum illut statuat, ut quod non inutile tantum, set etiam incommodum sensui hoc loco uideri possit. Recte enim monuit Schulzius in libro paulo ante laudato p. 8 — 12., *populi Romani* nomine omnis omnino conprehendi, qui ciuitatem Romanam efficiant, simplici autem *populi* nomine inferiorem ciuium partem, oppositam senatui uel etiam equitibus, omninoque eam significari multitudinem, in qua nec consilium sit, nec ratio, nec discrimen, nec diligentia. Itaque in toto huius orationis initio a c. 3. §. 7. usque ad c. 7. §. 17., in quo de inperita ciuium multitudine, quae dignitatis iudex esse non possit, exponit Cicero, semper solum *populi* nomen posuit, excepto hoc ipso loco, de quo agitur, et c. 5. §. 13. ubi dicit: *sin, quod magis intellego, temporibus te aliis reseruasti, ego item, inquiet populus Romanus, ad ea te tempora reuocaui, ad quae tu te ipse seruaras.* Atque nostro quidem loco uel propterea solus uidebitur *populus* commemorari debuisse, quod diserte opponitur *iudicibus,* cum nomine *populi Romani* ex ista Schulzi sententia *iudices* etiam contiueri necesse sit. At ea non est iusta caussa. Saepenumero enim *iudices* et *senatus populo*

Romano tamquam pars ciuitatis ceterae ciuitati opponuntur, ita tamen ut tum nomine *populi Romani* semper *maiestas* populi significetur. Ita Cicero ad iudices conuersus dicit in Uerr. I, 16, 47. *hoc est iudicium, in quo uos de reo, populus Romanus de uobis iudicabit.* Cfr. ibid. c. 1. §. 2. c. 14. §. 42. c. 15. §. 43. 44. c. 17. §. 51. Porro II. in Uerr. IV, 37, 81. *nobilitati* opponitur *populus Romanus.* Eodem autem sensu cum necesse sit hoc nostro loco *iudicibus* opponi *populum Romanum,* quaeritur, utrum apta sit ea sententia, an uerbum *Romani* deleri debeat, cum in seqq. et autecedentibus de *populo* tantum sermo sit. Est autem aptissima propterea, quod Cicero id maxume hoc loco agit, ut ostendat, nullo pacto iudicibus concedi ius posse eum condempnandi, cui in comitiis mandatus sit magistratus. Quod quam inicum esset, magis profecto elucebat, si totius ciuitatis iudicium, quam si inperitae tantum multitudinis sententiam ista condicione ab iudicibus reprensum iri monebat. Contra in reliqua exordi parte cum eos, qui suffragia ferrent, maxumam partem sine consilio et ratione iudicare ostenderet, necessario, ne populi Romani maiestatem uideretur laedere, ad populum id tantummodo transferre debebat. Denuo infra c. V. §. 13., quem locum modo adtulimus, *populum Romanum* maluit quam *populum* cum Laterense loquentem introducere, quia non populus set tota res publica quid a Laterense expectet et postulet, explicare uolt.

Itaque quamquam, qua nolui, ianua sum ingressus in caussam) Quia loquor de dignitate tua, quod nolebam. Manutius.

CAP. IV.

§. 9. *Quantum ego a te dissentiam*) Uide Proleg. Lib. II. C. I. §. 8. p. XL—XLII..

Facit eos) Creat illos magistratus. Inferius c. V. *Si quotienscumque praeteritus erit is, qui non debuerit praeteriri, totiens oportebit eum, qui factus erit, condempnari.* Et c. VI. *Sin hoc persaepe accidit, ut et factos aliquos et non factos esse miremur.* Cicero pro Mur. c. XXV. *Optumus quisque eum non facit.* II. ad Diu. 9. *Cum gratulor, tum uero quibus uerbis tibi gratias agam non reperio, quod ita factus sis, ut dederis nobis, quemadmodum scripseras ad me, quem semper ridere possemus.* Graeuius.

Etiamsi iudicat) Sic ex B et E rescripsi pro uolgato *si iudicat,* hac ductus caussa, quod quomodo *etiam* excidere librari neglegentia potuerit, facilius intellegitur quam cur quis addendum putarit. Scribitur enim hoc conpendio *ēt.* Sensum autem quod adtinet, non multum interesse patet, utrum *si* an *etiamsi* legatur.

Non delectu aliquo) Bauar. cum quibusque melioribus *dilectu* scribit, quod cum Lambino et Cortio probare soleo. Est enim ex antiquitatis fide. Garatonius. Non recte. Uide Kritzium ad Sallust. Cat. C. XXXVI. §. 5. p. 166..

Discrimen) Non enim discernit, non distinguit eos, qui petunt, ex meritis et dignitate. Manutius.

Diligentia) In examinandis cuiusque meritis. Manutius.

Culpam — accussas) Rara locutio. Set ita etiam Quinct. XI, 1, 81. *Culpa* nunc *rem, quae ponitur in culpa* significat. Sic pro Rab. Post. II, 4. *in paternae culpae similitudinem deductus est.* quem locum primus recte explicauit Ferratius Epp. II, 6. p. 95 sq.. Adde pro Sest. XXXVIII, 80. *ubi est crimen, quod reprenditis?* pro Q. Ligar. c. I. §. 2. *itaque prius de uostro delicto confiteamini necessest, quam Ligari ullam culpam reprehendatis.* Locutione autem *rem accussare* usus est Cicero pro M. Caelio XII, 29. *Ut tibi reum neminem, set uitia proponas, res tamen ipsa et copiose et grauiter accussari potest.* et alibi.

§. 10. *Ut fueris dignior*) Graeuius e Ms. Erf. edidit *ut*, nempe quia in repetitione post parenthesin est *ut*. Male; potuit uariare. Nam semper in principio talis sententiae est *at*. Ernestius. Duplex caussa est, cur *At fueris*, quod retinuit Ernestius, probari non possit. Prima, quam adtulit Graeuius, haec est, quod Cicero post parenthesin eadem uerba repetens nullo pacto *ut fueris* dixisset, si antea *at fueris* sine *ut* particula posuisset. Itaque saltem *At ut fueris* dicendum fuit. Id autem dicere non potuit, quia, ut recte monuit Garatonius, superiora non refutare uolt, set continuare tantum et explicare. Neque uero, quaest editorum, qui *ut* praetulerunt, sententia, particula ista hic uim habet particulae *utut* uel *quamuis*, set nihil significat nisi *posito*. Transitum, quem particula quadam indicari debuisse interpretes putant, facit Cicero pronomine *ipso*, quod post *de quo* posuit. Hoc enim dicit: concedam hoc ipsum, quod contendis, cum aedilem te dicis fieri oportuisse, te fuisse digniorem quam Plancium, etc..

Eblandita illa, non enucleata esse suffragia) Uario modo uiri docti uerbum *enucleata* explanant. Syluius et Gesnerus *ex animo exprompta atque explicata*; Latomus *excussa ratione et consilio et exactius ponderata*; Toxita *exacte iudicata*; Manutius *libera et a uero animi sensu profecta*; Ernestius in clau. *quae damus re accurate ponderata et de dignitate candidati iudicio facto*; Garatonius denique ad h. locum monuit: *suffragia dicit blanditiis extorta, non consilio et ratione tributa. Enucleare, ut ait Nonius, est cortices purgandi caussa separare. Transfertur ad diligentiam considerandi, petitorumque merita ponderandi.* — Nihil horum satis uerum. *Enucleare* propriest *nucleum a putamine extrahere*. Iam translata notione, qua maxume usurpatur, nihil aliut significare nec solet nec potest, nisi *rem tegumento* uel *inuolucro, quo obductast, liberare*, rem aperire reiectis iis, quae quominus pateret inpedimento erant, rem planam et apertam facere, ut ab omnibus uel conspici tota uel intellegi possit. Suffragia igitur *enucleata* sunt *nullo tegumento obducta, aperta*, id est einsmodi, quae mentis eorum, qui tulerunt, aperiunt, ita ut, ob quam caussam lata sint, cuique pateat. Eis apte opponuntur *eblandita*, blanditiis clam inpetrata, id est eiusmodi, ut is, qui tulerit, mentem suam aperire nolit neque rationem lati suffragi reddere. — Ceterum monendumst, errasse plerosque editores etiam in eo, quod *enucleata esse* infinitiuom esse perfecti putauerunt, qui alienus est ab hoc loco, in quo Cicero non quid factum sit, set quid fieri soleat comitiis aediliciis exponit. Uerbum *enucleata* adiectiui uim hic habet, pariter atque id quod antecedit *eblandita*.

Quid cuique ipsi debeant) Sic B et E, et, si fides Lallemando, etiam quidam Parisini; ceteri libri pro *cuique* habent *denique*, quod retinuit Ernestius, monens: „Pro *denique* Graeuius ex Erf. recepit *cuique*. Non ausus sum imitari, quia *denique* uidetur referri ad *primum*, cui nihil respondet, si id deletum sit. Et si hic *cuique* recipitur, non bene est idem in altero membro." Contra quem recte Garatonius haec scripsit: „Ernestum existumare potuisse miror, *denique* aut simile quidpiam postulari ab ante posito *primum*, eique posse hoc ipsum *denique* respondere, quo loco habent hic libri deteriores adhibitum. Quid enim est testatius, quam haec aduerbi *primum* solitudo iam olim a Manutio ad VII. ad Diu. 23. obseruata? Quid autem apertius, quam non tria in hac periodo rerum esse capita, set rem unam tribus modis enucleari? Omnia haec *primum*, nihil *deinde* aut *denique*. Alter in *Sin autem* etc. gradus est positus. Repetitio uerbi *cuique* non uideo, cur quemquam possit offendere. At offendit *denique* in medium membrum nulla de caussa coniectum." Uide etiam quae in Iahni Ann. Paedag. an. 1828. p. 277 sqq. de hoc loco monui.

Quid cuique a re p. uideatur deberi) Legendum ex Erfurt. et Bauar. *quid cuique a re p. debeatur.* Firmat unus Oxon. omittens *deberi,* ut ex *debeatur* ortum *uideatur* appareat. GARATONIUS. Libri illius Oxoniensis nulla prorsus auctoritas est. Ceterum uide quae Proleg. Lib. II. C. I. §. 3. p. XXXI. dixi.

Sin autem mauis) Sunt qui doceant, particulam *sin* anteire semper debere alteram *si.* Ii uero satis refelluntur tum hoc loco, tum c. VI. *sin hoc persaepe accidit,* tum Caes. B. C. I, 32. *sin timore defugiant.* ORELLIUS. Nemo istut hodie docet. Cfr. Ramshorn. Gr. L. §. 190. p. 591. Set hoc, quod addere debebat Orellius, certumst, debere ea, post quae sequatur *sin,* quamuis ipsa *si* particula in iis non sit posita, talem tamen sententiam continere, cui recte sequentia, in quibus *sin* particula positast, opponantur. Quod et in hunc locum cadit, et in reliquos ab Orellio adlatos, omninoque in omnis, in quibus *sin* positast.

§. 11. *Nostrum est autem, nostrum*) Uide Proleg. Lib. II. C. I. §. 8. p. XXXVIII..

Qui in hac tempestate populi iactemur ac fluctibus) Coniunctiuom, quem optumi libri tuentur, male Graeuius, Ernestius aliique indicatiuo postponendum putarunt. Eo posito hoc tantum diceret Cicero: iactamur nos, qui petimus honores, in tempestate populi, et est nostrum, populi uoluntates modice ferre. Contra coniunctiuos si ponitur, caussam haec uerba continent, cur modice ferendae sint populi uoluntates, ac sententia loci haec est: nos autem, cum in tam libero populo uiuamus, ferre etiam eius uoluntates modice debemus. Quam sententiam multo patet aptiorem esse. Neque uero quisquam editorum coniunctiuom repudiasset, si ad frequentissumum illum pronominis relatiui usum satis adtenderent. Id autem non fieri, ex eo intellegitur, quod multi eorum, qui nunc latino sermone utuntur, particulam *cum* usurpant sequente coniunctiuo, ubi Romani pronomen relatiuom potius ponere consueuerunt. Ita si quis nostratium ea, quae Cicero in Pison. c. XIII. dicit, latino sermone pronuntiasset, non ut ille: *quis uos non modo consules, set liberos fuisse putet, quorum mens fuerit oppressa praemio, lingua adstricta mercede?* et paulo post: *quisquam uos consules tunc fuisse, aut nunc esse consularis putet, qui eius ciuitatis, in qua in principum numero uoltis esse, non leges, non instituta, non mores, non iura noritis?* pronomina relatiua posuisset, set dixisset potius *cum uostra mens* etc., et *cum uos — noritis.* Eiusdem generis sunt pro Sestio XIX, 44. *senatum consules, credo, ad arma uocassent, qui ne uestitu quidem defendi rem p. sissent; a tribuno plebis post interitum meum dissidissent, qui eandem horam meae pestis et suorum praemiorum esse uoluissent?* et innumerabilia alia exempla. — Ceterum erit fortasse, cui praepositio *in* ante *hac* omittenda uideatur, usitatius dici ratus *tempestate et fluctibus iactari,* ut in Or. XXX, 107. *ita iactantur fluctibus, ut numquam adluantur* et de Inu. II, 31, 95. *nautae quidam cum aduersa tempestate in alto iactarentur,* quam *in tempestate et fluctibus iactari.* Atque is hoc quoque in rem suam adferre possit, quod saepissume praepositionem istam interpretes addiderunt. Cfr. Praef. meam ad Uarr. Lectt. cod. Erf. p. CXVIII sq. Nihilominus *in* praepositionem a Cicerone hic additam esse persuasissumum mihist. Ac primum quidem idem loquendi genus usurpatum uidemus huius or. c. VII. §. 17. *Equidem si quando, ut fit, iactor in turba,* de Or. I, 16, 73. *tantummodo in hoc declamatorio sit opere iactatus,* et Uerg. Aen. I, 446. *in undis iactari.* Deinde uero sensui etiam accommodatius puto, addi hoc loco praepositionem, quae faciat, ut haec sit sententia: nostrumst, qui uersemur uel uiuamus in eiusmodi populo et tempestate et fluctibus eius iactemur.

Defetigari) Bau. scribit *defetigari,* de quo silent orthographi; set uide Pareum Lex. Crit.

p. 323.. Ita scribitur aput Terentium tamquam ex Bembi codice, et sic ille quidem Eunuch. II, 1, 14. et Phorm. V, 3, 11., set Adelph. IV, 1, 3. *defatigarit.* Garatonius. Et Terentium et Ciceronem *defetigari* scripsisse, in libro, quem de orthographia latina conscriptum mox emissuri sumus, ostendimus.

CAP. V.

§. 12. *Qui si — haec dicat*) B *ac dicat* pro *haec dicat:* ut ad sequentia referatur, *respondebis, credo.* Breuis est enim adlocutio, quae inducitur, atque adeo breuior, quam pro Mil. 28., ubi *si clamaret T. Annius — esset uero timendum.* Sic itaque interpungo: *et si una uoce loqui possit, ac dicat: Ego tibi — supplicarat: respondebis credo* etc.. Garatonius. Cuius sententiam non satis intellexit Orellius, qui magis etiam a uero aberrauit, monens: „Uix equidem intellego, quomodo Garatonio, cui subscripsit Wolffius, haec emendatio exciderit: *qui si tecum congrediatur, et,* [comma hoc non posuit Garatonius] *si una uoce loqui possit, ac dicat* etc.. Quae enim ista constructio *et ac dicat?* Neque omitti potest illut *et,* cum ingratissumum foret ἀσύνδετον *qui si tecum congrediatur, si una u. l. possit, ac dicat.* Nec tria sunt membra paria *si congrediatur, et si — possit, ac dicat;* set *si — possit* dicendi continet condicionem. Ceterum nota separatum *et si* locum utique habere, ubi utraque particula diuersas ad sententias pertineat; alioquin accuratiores dicunt *ac si.* Alia etiam ratiost illorum ap. Liu. II, 43. *et si non adhortatio inuisi ducis* cet., ubi Muret. ac Duk. *et* delendum censuere; set sequens *aut* legendum suadet: *aut, si non.* Recte uero *respondebis* pro apodosi priorum *qui — haec dicat* habuere Garatonius et Wolffius." Haec Orellius, qui locum ita interpunxit: *Qui — congrediatur, et, si — possit, haec dicat: Ego tibi — supplicarat: respondebis* etc.. Uerum inepte locutus esset Cicero, si uerba *respondebis* etc. apodosin continerent. Ita enim uideri deberet id agere, ut quid Laterensis potissumum populo, si congredi cum eo et una loqui uoce posset, responsurus esset, exponeret. At primarium hoc est, ut, quod c. V. ineunte facturum se ostendit, populus quae dicturus sit contra Laterensem, si possit cum eo congredi, in medium proferat. Laterensem igitur si quae fingit populi orationi responsurum esse, ea necessario obiter tantum adferri debent. Id autem ita tantum fit, si uerbis *respondebis* etc. noua inchoatur sententia. Praeterea mirum quantum contorta fit sententia uerborum *Qui si — haec dicat,* si eam sequimur interpungendi rationem, quam iniit Orellius. Immo nihil certius est quam retinendum esse pronomen *haec,* atque uerba *haec dicat* apodosin continere. In coniunctis autem particulis *et si* nulla plane offensiost. Cfr. Cic. Tusc. Q. V, 13, 39. *Hic igitur si est excultus, et si eius acies ita curatast, ut ne caecaretur erroribus: fit perfecta mens.* Id. de Diu. II, 35, 73. *Nunc uero inclusa in cauea et fame enecta si in offam pultis inuadit, et si aliquid ex ore cecidit: hoc tu auspicium putas?* Id. de Legg. I, 15, 42. *Quodsi iustitiast obtemperatio legibus, et si, ut idem dicunt, utilitate omnia metienda sunt: negleget leges* etc. Id. epp. ad Diu. XIV, 1. *Quem ego diem si uidero, et si in uostrum conplexum uenero, ac si et uos et me ipsum recuperaro: satis magnum mihi fructum uidebor percepisse et uostrae pietatis et meae.* Id. pro Arch. VII, 16. *Quodsi non hic tantus fructus ostenderetur, et si ex his studiis delectatio sola peteretur: tamen — iudicaretis.* Quintus Cic. de pet. Cons. c. XIV. *Quare si aduigilamus pro rei dignitate, et si nostros ad summum studium beneuolos excitamus, et si hominibus gratiosis studiosisque nostri suum cuique munus describimus, et si conpetitoribus iudicia proponimus: perfici potest, ut largitio aut*

nulla fiat, aut nihil ualeat. — Ceterum cur praesentis hic Cicero quam imperfecti coniunctionom maluerit ponere, si quis scire uelit, adeat Rudd. Inst. Gr. L. T. II. p. 380. ed. Stallb. et conferat Cic. de Fin. B. et M. IV, 22, 61. *Quid si reuiuiscant Platonici illi, et tecum ita loquantur?* Id. ibid. V, 14, 39. *ut ipsae uites, si loqui possint, ita se tractandas tuendasque esse fateantur.* IV. in Cat. XI, 27. *Etenim si mecum patria — sic loquatur.*

Semper se dicet rogari uoluisse, semper sibi supplicari) Garatonius, qui ab Harlesio conpererat, in B post *supplicari* addi *se*, haec monuit: „Quid additur *se?* nimirum uerbi *uoluisse* relictum uestigiumst; ut Lambino iam mihi plane uideatur obtemperandum. Ut primum *uoluisse* repetitum fuit explanandi caussa, quod inter uersiculos fieri solebat, ueram sedem amisit in clausula. Deinde alii, qui mancam esse conprehensionem aurium iudicio sensissent, *placuisse* addiderunt, quod est etiam in quinque Oxoniensibus. Optume igitur Lambinus: *semper se dicet rogari, semper sibi supplicari uoluisse.*" — At longe uir magnus a uero aberrauit. Cum Lambino quominus post *rogari* uerbum *uoluisse* deleamus, ponamusque post *supplicari*, inpedimentost codicum et optumorum et plurumorum auctoritas. Etenim quattuor tantum libri deterioris notae post *rogari* omittunt *uoluisse*, nullus autem idem positum habet post *supplicari*. Praeterea numerosius etiam uerba cadunt uolgari retento ordine. Pronomen *se* autem, in B post *supplicari* additum, quod Garatonius relictum putauit uestigium uerbi *uoluisse*, in eo egregie falsus est. Qui si scisset, id quod nunc demum conpertum habemus, in cod. quoque Erf. *se* additum reperiri, et ita quidem, ut puncto post *supplicari* posito ad sequentia librarius referendum putarit, sine dubio intellexisset, optume pronomen illut hic locum habere adeoque necessarium esse. Iam illut etiam intellegi potest, unde orta sit plurumorum librorum mira scriptura, pro *sibi supplicari; se* exhibentium *placuisse.* Postquam enim interierant in codice, unde originem duxerunt, litterae *sibi sup*, sequentes *plicari se* mutatae sunt ab librario in *placuisse.* Fuit autem codex ille, ex quo orti sunt ii, qui habent *placuisse*, lacunosus. Cfr. Proleg. Lib. I. C. II. §. 3. p. XVIII sq..

Se M. Seium — M. Pisoni praetulisse) Pronomen *se*, quod ego primus ex B et E restitui, quomodo etiam ceterorum codicum niti auctoritate dici possit, in nota antecedenti demonstratumst. Non minus autem ad orationis integritatem necessariumst, quam in antecedentibus *sibi* ante *supplicari*, et in sequentibus *se* post *praeposuisse.* Locum uero si quis est qui neget aptum tenere, quod in initio noui membri poni non debuerit, cum idem pronomen in antecc. et seqq. uocis encliticae instar conlocatum sit, is meminerit, longe aliam huius ipsius membri quam reliquorum rationem esse. In qua cum populus se iudicibus opponat, et sese dicat eum, qui a iudicibus dampnatus fuisset, alii homini multo praestantiori praetulisse, manifestumst, non encliticum sed ὀρθοτονούμενον esse pronomen, ideoque nec omitti potuisse et rectissume in initio huius membri esse positum. Cfr. infra C. XXXVIII. §. 92. *se non modo satis habere a me* etc. de Fin. B. et M. IV, 26, 72. *Quid ait Aristoteles, reliquique Platonis alumni? Se omnia quae secundum naturam sint, bona appellare.* Id. Tusc. Q. III, 34, 84. *Quid autem praeclarum non idem arduum? se tamen id effecturam philosophia profitetur; nos modo curationem eius recipiamus.*

M. Seium, qui ne equestrem quidem splendorem incolumem a calamitate iudici retinere potuisset) Dampnatus enim partem suarum fortunarum amisit, quae censum equestrem, qui quadraginta milia nummum erat, imminuit, ut inter equites Romanos deinceps censeri non potuerit. Ideo dixit Horat. Epp. I, 1, 57. *Si quadringentis sex septem milia desunt, Plebs*

eris. MANUTIUS. Splendor equitum est in magnitudine rei familiaris; is diminutus est, cum dampnatus iudicio magnam eius partem amisisset. ERNESTIUS.

M. Pisoni) M. Pupium Pisonem in aedilitate repulsam tulisse, denuo infra c. XXI. §. 51. narratur. Cum Manutius *nobilissumum* dici adnotasset, quod patrici generis fuisset, Ferratius in Epp. p. 366 sq. haec monuit: „Quod adtinet ad illut de nobilitate Pisonis, notetur Asconius in or. contra Conpetitores: *Sex,* inquit, *conpetitores in consulatus petitione Cicero habuit; duos patricios, P. Sulpicium Galbam, et L. Sergium Catilinam; quattuor plebeios, ex quibus duos nobilis, C. Antonium et L. Cassium Longinum.* Quis non uidet, etiam plebeios homines fuisse *nobilis,* quorum uidelicet maiores insignia consulatus [sellam curulem] in domum suam adtulissent? Piso erat ex gente Calpurnia, quam fuisse *plebeiam* constat, tum quia L. Pisonem consulem habemus anno u. c. 620. cum Sp. Postumio patrici generis, cum duos patricios simul esse consules per ueterem legem non liceret; tum quia aput Ciceronem in Bruto legimus, a Pisone quodam tribuno pl. primam publicam quaestionem Romae constitutam fuisse. Quin immo hic idem Piso per adoptionem transiit in gentem Puppiam; cuius rei mentio fit oratione pro Domo sua: *non aetas eius, qui adoptabat, quaesita est, ut in Cn. Aufidio et M. Puppio, quorum uterque nostra memoria summa senectute alter Orestem, alter Pisonem adoptauit;* atque adeo M. Puppius Piso dictus est. An uero quispiam neget Puppios esse plebeios, cum in Fastis Consularibus eundem illum consulem reperiat cum M. Ualerio Messalla, uiro procul dubio patricio? Hunc enim esse M. Puppium Pisonem, qui consulatum adeptus est biennio post Ciceronem, ex hac eadem or. conligo §. 51.: *uidit hominem sibi maxume coniunctum, egregium uirum, L. Uolcatium, uidit M. Pisonem in ista aedilitate offensiuncula accepta summos a populo R. esse honores adeptos;* cum et nominetur post L. Uolcatium Tullum, quo consule Cicero praeturam gessit, neque sit in Fastis alter M. Piso consul, ad quem ea uerba referri possint."

C. Serranum) Cum olim ex deteriorum codicum fide *C. Serenum* legeretur, Manutius iam recte *C. Serranum* restituendum esse coniectura adsecutus est, haec monens: „Cum sequatur mentio *Cn. Malli,* suspicor legendum *C. Serranum,* qui consul fuit ante Mallium proxume, ut non modo Serranum Catulo praelatum esse, quod uideri posset tolerabilius, Cicero dicat, uerum etiam Cn. Mallium posteriore anno." Itaque quas Cicero hic Catuli repulsas conmemorat, eas Manutius *consularis* fuisse censuit, contra quem Ferratius in Epp. p. 367 sq. *aedilicias* fuisse ostendere conatus est hoc modo:

„Cum autem M. Seium praelatum fuisse Pisoni in petitione aedilitatis, ex loco supra citato [c. XXI. huius or.] euidenter appareat: an idem et de Q. Catulo sentiendumst? ita prorsus, nam ubi eos omnis orator enumerat, qui aedilicias repulsas tulerant, Ap. Claudium, L. Uolcatium, M. Pisonem, P. Nasicam, M. Tullium, C. Marium, L. Caesarem, Cn. Octauium, consules deinde creatos; nulla erat ratio, cur omitteret Catulum, si et ipse consul fuisset. Itaque nullo modo cum Manutio dicendumst, illum in petitione consulatus posthabitum fuisse primum C. Attilio Serrano, postea anno posteriore etiam Cn. Mallio; quod pluribus coniecturis ostendo. I. Cur orator conmemoret C. Serranum praelatum Catulo, hominem nobilissumum, et quem subtilissumum dicit animique et consili satis magni [ita dicitur sane ex interpolatorum et lacunosorum codicum fide, non item in Ban.]; non Serrani conlegam Caepionem? de quo Florus Epit. Liu. lib. 67. *Secundum populi Rom. iussionem Caepionis, cuius temeritate clades accepta erat* (a Cimbris), *dampnati bona publicata sunt, primoque post regem Tarquinium*

inperium ei abrogatum. An post alteram repulsam biennium iacuit Catulus, et petere non est ausus, ut tertio demum anno togam candidam resumeret? III. Si Q. Catulus pater significatur, cur nihil additur, quo distingui possit a filio? cur M. Pisoni postponitur? cur dicitur in summa familia natus, cuius neque pater neque auos consules fuerant? an nullus alius candidatus post illius Catuli tempora ob non nimis submissam supplicationem repulsam tulerat? IV. In Chronologia tum Liui, tum Cassiodori non Cn. Mallius, set M. Manilius consul est post Serranum, idemque habet Eutropius lib. 5. *Romani consules, M. Manilius et Q. Caepio* (quamuis Caepio non consul cum Manilio, set proconsul esset) neque uerisimilest, tris illos scriptores non tantum in nomine, uerum et in praenomine deceptos, ut Marcum pro Gneo referrent. V. Fac tamen fuisse Cn. Mallium conlegam in consulatu P. Rutili; si primus ipse adtulit in suam familiam summi magistratus insignia, cur oratione pro Murena [c. VII. §. 16. VIII. §. 17.] cum Pompeiis, Mariis, Didiis, Caeliis non recensetur inter nouos homines? si autem maiores habuit nobilis, cur hic illum Cicero describit *non solum ignobilem, uerum sine uirtute, sine ingenio, uita etiam contempta ac sordida?* Denique inter duas repulsas, alteram Catuli consularis candidati, alteram Laterensis aedilici, claudicaret conparatio. Ut opinor, hic Q. Catulus neque pater est neque filius; qui scilicet principem in senatu locum obtinuerunt; set alius quidam ex eadem gente, qui ad summos honores peruenire non potuerit; eaque de caussa laus illius omnis desumitur ex nobilitate familiae et uitae sanctitate, non ab honoribus rebusque gestis: *Q. Catulo, in summa familia nato, sapientissumo et sanctissumo uiro;* appellatur post M. Pisonem, quippe exemplum aliquanto recentius; neque postea cum ceteris nominatur, quia non ascenderat ad altiorem gradum dignitatis, repulsus in aedilitatis petitione, tum C. Sereno, tum Cn. Mallio posthabitus. Catuli patris fratrem conmemorat Cicero I. Offic. 37., cuius etiam extitisse filios probabilest."

Haec Ferratius. Quae licet a uero longe abesse certum sit, tamen cum magna illius uiri aput homines doctos auctoritas sit, describenda hic iudicaui. Quaedam recte iam contra eum monuit Garatonius in ed. Neap. an. 1786. haec scribens:

„Nullum alium ego Catulum intellegere possum hoc loco, quam illum patrem, qui consul cum C. Mario fuit anno 651. Eius frater, qui I. de Offic. 37. memoratur, neque gentem neque familiam cum Q. Catulo conmunem habuit, set fuit C. Iulius Caesar L. F., eiusque filii omnino Iulii fuerint, non Lutatii Catuli, necessest. Constat autem Catulum patrem a Cn. Manlio in petitione consulatus fuisse superatum ex c. 17. pro Mur. a Manutio laudato, ita ut id negari non possit. De ipso Manlio uide celeb. Ernestum in ind. Hist. et ad Tac. Germ. 37. et quos ille citat, set praecipue Pighium ad an. DCXLVIII., ubi lapidem Puteolanum notat perscribere, *Cn. Mallio,* ut nolebat Manutius, de quo lapide confer quae diximus ad I. in Uerr. 55. Alteram Catuli repulsam, qua Serranum quoque in consulatu ei praelatum contendit Manutius, obscuram esse fateor. Non uideo tamen, cur consularis repulsa nequeat aediliciis admisceri, cum Catuli uirtus et dignitas Laterensem maxume consoletur, atque hominum fiat hic conparatio, non magistratuum. Nescio item, cur silentium Tulli de Catulo c. 21. illum ad consulatum non peruenisse ostendat potius, quam non aediliciam, set consularem repulsam tulisse. Set potest obscura res tribus explicari modis: primum illo Manutiano; deinde si dicamus in aedilitate Serranum, in consulatu Manlium Catulo patri fuisse praelatum; tertio si hunc locum de una aedilitate cum Ferratio intellegamus, ita ut Catulo illam petente Serranus et Manlius fuerint simul aediles curules facti: nam duplicem in Catulo aedilitatis repulsam sta-

tuere non ausim, licet exemplum suppetat C. Mari ex eodem c. 21.. Quodsi, cum a Manutio discessimus, caussam quaerere oportet, cur ibi Catulus praetereatur, alia fortasse fuit illa consularis repulsa, si omnes ibi nominati consules facti sine repulsa fuerunt. De Serrani cognomine consulendus est Perizonius Animad. Hist. cap. I. p. 24. et sqq., qui de illo copiose admodumque docte disseruit."

Haec Garatonius, qui certiora protulisset, si iam tum codicis Bauarici scripturam conpertam habuisset, qui cum antea legeretur: *praeposuisse se Q. Catulo, in summa familia nato, sapientissimo et sanctissimo uiro, non dico C. Seranum* (alii *Serenum*), *stultissimum hominem: fuit enim et animi satis magni et consilii; sed Cn. Manlium* etc. egregia et necessaria accessione locum hunc ita exhibuit: *praeposuisse se Q. Catulo, in summa familia nato, sapientissimo et sanctissimo uiro, non dico C. Seranum, stultissimum hominem: fuit enim tamen nobilis; non C. Fimbriam, nouum hominem: fuit enim et animi satis magni et consilii; sed Cn. Manlium* etc.

Optume et plane ex animi mei sententia Ferratium refutauit I. Bakius, Batauos, cuius disputatio dignast, quae hic repetatur:

„Primum quaerit Ferratius, cur Tullius conmemoret C. Serranum praelatum Catulo, non Serrani conlegam Caepionem? Respondere possem hoc, quod Laterensi in hac caussa reposuit Cicero cap. VII., non a Plancio uictum esse eum, qui longissume afuisset, set a reliquis conpetitoribus depulsum; set dico hoc, neque *stultissumum* fuisse Caepionem, neque *nouom hominem,* quorum uel alterum, uel utrumque in hac conparatione postulat Ciceronis consilium; eademque de caussa neque Fimbriae conlegam C. Marium, neque Manli P. Rutilium Rufum memorat. Porro miratur Ferratius post alteram repulsam consularem, si Manlio cessisset, biennium iacuisse Catulum. Occurrit iam Cod. Bau., memorato Fimbriae consulatu a. u. 649., quo tertiam repulsam tulisse iam hic ipse locus satis indicat; itaque annum modo praeterire passus est Catulus, consul factus in a. u. 651.. „Si Q. Catulus pater significatur, cur nihil additur, quo distingui possit a filio?" At nonne satis distinguunt Serrani, Fimbriae, Manli nomina? „Cur M. Pisoni postponitur?" Quod in hac enumeratione repulsarum non temporis rationem habere necesse erat, set inlustrissumum exemplum postremo loco memorari debebat, sicuti contra temporum ordinem Fimbriae postponitur Manli mentio, ut haec apte consequerentur, *stultissumus homo, nouos homo, ignobilis et sine uirtute* [opponuntur sibi potius uerba *nobilis, nouos homo, et ignobilis.*].

Itaque insigni errore hoc exemplum recentius esse M. Pisone dicit. „Cur dicitur *in summa familia natus* (Catulus), cuius neque pater neque auos consules fuerunt?" Set excors sit, qui ista uerba non uniuerse ad nobilitatem referenda ex totius loci conformatione adgnoscat; et nisi consulari familia, potuerat praetoria natus esse Catulus; set occurrit Q. Lutatius Catulus Cos. a. u. 514., quo finis inpositus est bello Punico secundo. „An nullus alius candidatus post illius Catuli tempora ob non nimis submissam supplicationem repulsus fuerat?" Primum satis erat Ciceroni unum alterumque luculentum memorare exemplum; tum idem dicatur, si aediliciae fuissent repulsae. Quod autem dicit claudicare conparationem inter consularem et aediliciam Laterensis repulsam, recte iam a Garatonio refutatumst. Postremo non esse Q. Catulum patrem h. l. intellegendum putat, quod cap. XXI. non memoretur in iis, qui post aediliciam repulsam consules tamen facti sint; itaque hic de alio quodam Catulo esse co-

gitandum, aliunde ignoto. Atqui cum tris has fuisse consularis repulsas satis declarauerimus, concidat necessest omnis haec disputatio. "

Post haec, quae Garatonius et Bakius scripserunt, pauca tantum contra Ferratium monenda restant. Ac primum quidem conparatio inter consularem Catuli et aediliciam Laterensis repulsam propterea non claudicat, quod Cicero, id quod nec Garatonius nec Bakius monuit, id unum hoc loco agit, ut populum saepe in mandandis magistratibus nobilissumis hominibus et praestantissumis ignobilissumos et deterrumos, si submisse satis supplicassent, praeposuisse exemplis quibusdam doceat. Minume igitur opus hic erat, ut de aedilitatis tantum repulsis sermo esset. Deinde de aedilitatis repulsa, quam tulerit Q. Catulus, propterea nullo pacto loqui nunc Cicero potest, quod praepositum ei dicit C. Fimbriam, *nouom hominem.* Nam Fimbria cum *homo nouos* dicatur fuisse, quo tempore cum Catulo magistratum petierit, necessest iam gesserit aedilitatem curulem, aut praeturam, antequam conpetitor Q. Catuli fuerit. Alioquin *homo nouos* dici non potuisset, quo nomine constat eos insignitos esse, qui primi e familia magistratum curulem in familiam suam adtulissent, eaque re ius imaginis consecuti essent. Denique minume mirumst, quod Cn. Mallius in or. pro Mur. c. VII. et VIII. non cum Pompeiis, Mariis, Didiis, et Caeliis inter nouos homines recensetur. Nam ibi eorum hominum nouorum inicitur mentio, qui propter uirtutem suam magistratibus curulibus admoti erant, quibus Cn. Mallium non potuisse adnumerari sponte patet.

Itaque ut, quid hoc loco Cicero dicat, paucis conprehendatur, tenendumst, triplicem, quam Q. Lutatius Catulus in petitione consulatus tulerit, repulsam memorari; primam, cum uictus est a C. Atilio Serrano, qui a. u. 647. cum Q. Seruilio Caepione consul fuit; alteram, cum postpositus est Cn. Mallio, qui a. u. 648. cum P. Rutilio Rufo consul fuit: tertiam, cum ei C. Flauios Fimbria praepositus est, qui a. u. 649. cum C. Mario consul fuit. A. u. 650. aut omnino non petiuit consulatum, aut repulsam, si quam tulit, non conmemorandam Cicero putauit. Tandem a. u. 651. cum C. Mario consulatum gessit. Cur autem contra temporis ordinem C. Fimbriam ante Mallium, qui post Mallium consul fuit, Cicero conmemorauerit, haec fuit caussa, quod gradatione usus primum hominem *nobilem*, deinde *nouom*, denique *ignobilem* Catulo praepositum esse animaduerti uoluit.

C. Flauios Fimbria) Consul fuit an. 650. cum C. Mario. Loquitur de eo infra Cicero c. XXI., ubi numeratur in iis, qui cum tribuni pl. fieri non potuissent, consules tamen facti sunt. Quod ait, *nouom hominem*, idem significat V. in Uerr. 70. *Modo C. Fimbriam* (*Gaium* enim appellat codex ibi optumus Car. Steph., quod fieri debere Manutius sponte intellexerat, non ut alii *Lucium*), *C. Marium, C. Caelium uidimus non mediocribus inimicitiis ac laboribus contendere, ut ad istos honores peruenirent, ad quos uos per ludum et per neglegentiam peruenistis.* Garatonius.

Cn. Mallius Maxumus) cum P. Rutilio Rufo consul fuit an. 649. Scripsi *Mallium* duorum codd. auctoritate. Recte enim monuit Manutius ad h. locum: „Ignobiles Mallii, nobiles Manlii; de eadem re sic pro Mur. c. 17.: *quis Q. Catulum, humanitate, sapientia, integritate antecellentem, a Cn. Mallio?* Et hic autem et in oratione Mureniana eiecto Manlio Mallium restitui. Et in oratione quoque pro Sex. Roscio Mallius Glaucia quidam, cum antea legeretur Manlius, reposui; quia Manliorum nota nobilitas, Mallii autem perobscuri; in quo nostram opinionem ueterum librorum adiuuat auctoritas." Orellius, qui idem Manuti probauit iudicium, conferri iubet de διττογραφίᾳ ista Cort. ad Sall. Iug. 114..

§. 13. *Inquit*) Uidetur mihi *inquiet* scribendum; uide antecedentia et sequentia.

Cyrenis) Ibi Laterensis quaestor fuit. Cfr. §. 63.

Et quo plus intererat, eo plus aberas a me) Solus Weiskius de sensu horum uerborum aliquid adnotauit, de *plus* monens: „an significat *saepius* eum afuisse? nam pro *diutius* aut *longius* poni nequaquam *plus* potest.“ Cum Weiskio facit Wolffius, qui *plus* interpretatur *saepius*. At neque alibi umquam *multum abesse ab aliquo* eo sensu dictumst, ut *saepe abesse ab aliquo* significaret, neque, si uel maxume esset, hic potest dictum esse, ubi manifestumst, unam illam Laterensis absentiam respici, cum Cyrenis quaestor esset. Neque aut pro *diutius* aut pro *longius* accipi *plus* potest. Immo cum praegnanter uerba *aberas a me* dicta esse certum sit, ita ut non absentem solum Laterensem fuisse, set, quae maxume urgenda notiost, non adiuuasse populum uirtute sua significetur, recte patet *plus* positum et notioni *non adiuuandi* aptatum esse. Nam recte dicitur, *multum aliquem adiuuare*. Itaque sensus hic est: *et quo plus intererat, me tua frui uirtute, eo minus me uirtute tua adiuuisti.* — Ceterum hoc uel me non monente facile apparet, languidissumum futurum additamentum fuisse, si Cicero ante *quo plus* eiusmodi quid, qualest quod Orellius ex aliquot deteriorum codicum scriptura, qui *cur* ante *quo* habent, eruendum putauit, *curari me*, adiecisset. Accedit, quod *curare populum* eo, quo hic accipiendum foret, sensu locutio prorsus insolens esset. Nihil omnino hic excidisse. et sensu admonemur et optumorum codicum auctoritate.

Certe te non uidebam) Sic scripsi suadentibus Garatonio et Orellio, ut aliquis certe sensus uerbis inesset. Nam neque quod B et E scribunt, *cum te non uidebam*, neque quae deteriorum codicum scripturast, *certe non uidebam*, recte se habet. Uerum re denuo diligentissumeque deliberata etiam illut, quod posui, a Cicerone esse scriptum non puto. Sensus eius scripturae hic esset: *ut bonum te et fortem uirum Cyrenis praestiteris, eaque re, quod iustus in socios fuisti, rei p. utilitati fueris, certe Romae non fuisti, ubi plus mihi prodesse potuisti.* At haec sententia non conuenit antecedentibus, quibus hoc unum dicit populus, se maluisse quam socios uirtute Laterensis frui, id est, maluisse se, ut Romae quam Cyrenis esset. Accedit, quod minume probabilest, si in codice principe *certe* fuisset positum, id diligentiorem illum librarium, qui codicem exarauit, ex quo B et E sunt orti, in *cum te* potuisse mutare. Contra multa sunt menda ab eo profecta librario, qui codicem scripsit, ex quo familiae tertiae codices originem duxerunt. Itaque aliut quid in codicum scripturis reconditum puto latere. Hoffmannus, necessarius meus, Ciceronem *cur te non uidebam?* scripsisse existumat. Iudicent alii.

Sitientem me uirtutis tuae) Adfert Arus. Messius p. 395..

Petere tribunatum pl. temporibus iis) Coepit enim petere tribunatum pl. Caesare et Bibulo coss. a. u. 694., deinde petere destitit, ne iuraret in agrariam Caesaris legem. Huius mihi sensum loci aperuerunt uerba Ciceronis in Epp. ad Att. II, 17. *Habet*, inquit, *Campana lex execrationem in coitione candidatorum, si mentionem fecerint, quo aliter ager possideatur, atque ut ex legibus Iuliis; non dubitant iurare ceteri; Laterensis existumatur recte fecisse, quod tribunatum pl. petere destitit, ne iuraret.* Atque hoc est, quod in hac ipsa oratione infra c. XXII. §. 52. ait Cicero: *noli existumare, non magnum quendam motum fuisse illius petitionis tuae, de qua, ne aliquid iurares, destitisti.* Manutius.

Quae istam eloquentiam et uirtutem requirebant) Quia secuti sunt consules Piso et Gabinius, qui salutem Ciceronis contra mentem senatus et bonorum omnium prodiderunt. Manutius.

Tanta in tempestate) Anno tam turbulento. MANUTIUS.

Te gubernare non posse) Orellio in Addendis ad M. Tulli Ciceronis Opp. Uol. II. P. II. p. 658. *gubernare* sic nude positum displicet ideoque *gubernare R. P.* scribendum uidetur. Loquitur sic Cicero ad Diu. I, 9. *in re publica gubernanda.* de Re p. I, 29. *in gubernanda re publica.* ibid. c. 54. *uirtute uero gubernante rem publicam.* ibid. III, 35. *quae gubernet rem publicam.* et alibi saepe. Neque non facile *r. p.* litterae excidere poterant. Uerum cum *gubernare* etiam absolute sic usurpetur, ut *clauom tenere* significet, ueluti aput ipsum Ciceronem de Offic. I, 25, 87. *similiter facere eos, qui inter se contenderent, uter potius rem p. administraret, ut si nautae certarent, quis eorum potissumum gubernaret.* cumque non addito rei p. nomine de eo, qui administrat rem publicam, positum sit in Philipp. II, 36, 92. *Constituta res publica uidebatur aliis, mihi uero nullo modo, qui omnia te gubernante naufragia metuebam:* in uolgata scriptura acquiescendum putaui.

Ego quoque) Cum pro *quoque* Bau., cuius maxumast auctoritas, *autem* habeat, nihil probabilius, quam, quod Orellius coniecit, *item* a Cicerone fuisse scriptum. Uide quae in Iahni Ann. Paedag. ann. 1828. p. 280. de hoc loco monui.

Eum magistratum) Tribunatum plebis.

Ludi parati) Sic ex emendatione Ernesti et Garatoni scripsi pro *iudices parati*, quod in codd. est. Monuit Garatonius: „Quod pro illa hoc ab loco alienissuma uoce *iudices* reposuimus *ludi*, prima fronte uidebitur antiquae scripturae uestigiis non inhaerere; uerum si animaduertas adtentius, nihil inde erui probabilius intelleges. Quid enim potuit facilius contingere, quam ut ex *ludi* fieret *iudi?* Atqui tota res nititur hac frequentissuma conmutatione litterarum *I* et *L*, de qua diximus ad c. 27. pro Caec., ad c. 20. pro Cluent. etc.. Cum enim semel prior illa littera ita fuisset deprauata, iam uocem totam *iudices* extitisse oportuit, siue postremae syllabae adiectione, siue per conpendium *iud.*, quod in codicibus est usitatum, et secundum fortasse fecit deprauationis gradum. Sensus apertus est: populum Romanum ludos ab aedilibus debitos non amittere, quoscumque faciat aedilis; erant autem ludi cupide quidem a populo expetiti, set stati atque sollemnes, ut iis populum fraudare non possent aediles, a quibus nihil praeterea ille expectabat; iique ludi *parati* optume dicuntur, ut IV. in Catil. 10. *mors omnibus est parata.* Adde II. ad Diu. 4. et Hotomann. ad c. 22. pro Mil.. Simili errore I. Act. in Uerr. 18. inrepsit uox *iudiciorum* pro ea, quam sine ulla dubitatione Tullius posuerat, *ludorum.*“

Quod mea minus interest) Minus enim prodesse mihi potes in aedilitate quam in tribunatu. MANUTIUS.

Reddam tibi — paulo diligentius supplicare) Reddam quidem tibi, si, quod ostendisti, tribunatum pl. petere recussas, aedilitatem istam, set amplissumos honores, praeturam et consulatum, quorum consequendorum caussa aedilitatem petis, nisi diligentissume mihi supplicaueris, non adipisceris. Notumst autem, quod Cicero de Legg. III, 3, 7. dicit: *Suntoque aediles, coeratores urbis, annonae, ludorumque sollemnium; ollisque ad honoris amplioris gradum is primus ascensus esto.* Ceterum patebit iam, absurdum esse additamentum aduerbium *ante,* quod in plurumis deterioris notae codicibus post *paulo* insertum reperitur. Uidetur tamen qui primus addidit ita super *paulo* posuisse, ut ante id aduerbium inseri uellet. Uide etiam Proleg. Lib. II. C. I. §. 1..

CAP. VI.

§. 14. *Nihil est iam, quod populo supplicetur, nihil quod diribitio, nihil quod supplicatio magistratuum, renuntiatio suffragiorum expectetur*) Sic hic locus in omnibus codicibus scriptus extat, nisi quod pro uerbo *diribitionis* deteriores libri *direptio*, unus *directio*, et Uict. a *diremptio* habet. Reliquae uarietates, quas uide in apparatu critico, nullius sunt momenti. Unice ueram autem scripturam *diribitio* esse, docui in dissertatione de uerbo *diribere eiusque deriuatis*, quae insertast praefationi ad Uarr. Lectt. ex cod. Erf. enot. p. CXXVI — CLVIII. Quo loco illut quoque demonstratum a nobis est, *dirimere suffragia* numquam eo, quo uolgo putatur, sensu *dinumerandi suffragia* dictum a Romanis esse. Probatast autem dissertatio illa omni ex parte Niebuhrio, cuius uiri singularis iudicium plurumum aput me ualet. Nemo igitur in posterum dubitabit, quin *diribitio* uerissuma scriptura sit. Uerum aliut etiamnunc mendum hunc locum occupat, quod per omnis codices propagatumst, uerba dico *supplicatio magistratuum*, quae neque sensum praebent aptum, neque, si quem praebere quispiam putet, is huic loco ullo modo accommodatus est. Nam *supplicatio* si putatur eorum significari, qui rogant populum, ut candidato, cui student, honorem quem petit deferat, primum absurde patet uerbum *magistratuum* esse additum, cum istiusmodi rogatio non magistratuum tantum, set, ut recte monuit Garatonius, cuiusuis hominis gratiosi fuerit pluribusque in ordinibus usitata. Deinde ineptus foret locus uerborum post *diribitionem* positorum, cum supplicationem illam ante comitia ipsa, certe ante diribitionem esse factam omnes sciant. Ne uero transponenda putemus ante uerbum *diribitionis,* hoc obstat, quod non minus ineptus sensus existit coniunctis uerbis *populo supplicetur* et *supplicatio magistratuum,* quorum plane eadem sit sententia. Sin uerba *supplicatio magistratuum* cum Ferratio Epp. III, 5. p. 152 sq. de sollemni precatione eius, qui habebat comitia, interpretaris, uerbo *supplicationis* significationem tribuis, quam numquam habuit. Accedit quod, ut recte monuit Garatonius, istiusmodi precatio *unius* erat magistratus, non plurium. Itaque nullo pacto isto sensu *supplicatio magistratuum,* set certe, quamquam nec hoc latine, *supplicationes magistratuum* aut *supplicatio magistratus* dici oportuit. Totam autem sententiam illam, ut aptis uerbis enuntiatam ponamus, certe loco alieno conlocatam fore apertumst. Nam precatio illa, de qua cogitat Ferratius, fiebat post renuntiationem eorum, quibus populus magistratus mandauerat, ut patet ex eo ipso loco, quem adtulit Ferratius, ex or. pro Mur. I, 1. *Quae precatus sum a dis inmortalibus illo die, quo auspicato comitiis centuriatis L. Murenam consulem renuntiaui, ut ea res mihi — feliciter eueniret.* Etenim uerbis *ea res* non potest quicquam aliut significatum esse quam ipsa Murenae consulis renuntiatio. Itaque deberent uerba *suppl. magg.,* si significarent id quod putat Ferratius, necessario post *renuntiatio suffragiorum* conlocari. Sin quis de precatione, quae fieri consueuit ante quam qui habebat comitia centuriata populum rogabat, cogitet, manifestumst, debuisse uerba illa ante uerbum *diribitionis* poni. Set ut essent ibi posita, non foret hoc latinum loquendi genus. Iam cum absurdam esse uerborum illorum sententiam demonstrarimus, quaeritur, utrum orta ex aliis et corrupta per librarios esse, an ab interprete addita censenda sint. Atque alia quidem eorum loco uerba a Cicerone fuisse scripta, primum propterea prorsus incredibilest, quod diribitionem ita consequebatur renuntiatio suffragiorum, ut inter utramque rem nihil plane fieret, quod commemorari a Cicerone potuerit. Deinde cum sine ulla uarietate in omnibus codicibus scripta reperiantur, neque ullam corru-

ptelae speciem prae se ferant, non poterit summae audaciae crimen effugere, qui in longe alia uerba commutanda simulque transponenda suspicetur. Itaque nihil ego certius duco, quam uerba illa interpretis sedulitati deberi; quae sententia unice confirmatur etiam eo, quod Cicero, si simile quid addidisset, dubitari plane non potest quin uerba etiam *nihil quod* repetiturus fuerit. Neque tamen sic ab interprete uerba illa addita puto, ut genitiuom *magistratuum* a uerbo *supplicatio* regi uoluerit, cum uix credibile sit, antiquom istum interpretem tam ineptam additurum fuisse sententiam, set uerbum *supplicationis* ad explicanda uerba *populo supplicetur*, ut magis cum reliquis substantiuis congruerent, et u. *magistratuum* ad explanandum uerbum *renuntiationis* in margine fuisse adscripta et deinde coniunctim in textum esse inlata iudico. Ceterum pro spuriis haec uerba etiam a Manutio, Ernestio, Weiskio, Schutzio, et quodammodo etiam ab Orellio sunt habita. Orellio autem miror uerbum etiam *suffragiorum* delendum esse uisum, quod tantum abest, ut inutile sit, ut ad sententiae integritatem necessario requiratur. Nam numquam uerba *diribitionis* et *renuntiationis* non addito uerbo suffragiorum aut tabellarum isto comitiali sensu dicta sunt.

Qui sint professi) Profiteri nunc dicuntur, qui magistratum petunt atque publice nomen edunt suum.

§. 15. *Esse ex equestri loco*) Codicis Dresdensis *ex* omittentis nulla plane auctoritas est. Cfr. Proleg. L. II. C. I. §. 16..

Cedat consulari generi praetorium, nec contendat cum praetorio nomine equester locus) Cur ex optumis codicibus *nomine* receperim, Proleg. L. II. C. I. §. 16. p. LV. demonstraui.

Si campus atque illae undae comitiorum — recedant) *Campo* significantur qui sunt in campo Martio, et *undis comitiorum* fluctuans populus suffragia ferens. Apte iam Uictorius conparauit Demosth. *περὶ παραπρεσβείας*. p. 383. ed. Reisk.: *ὡς ὁ μὲν δῆμός ἐστιν ὄχλος, ἀσταθμητότατον πρᾶγμα τῶν ἁπάντων καὶ ἀσυνθετώτατον, ὥσπερ ἐν θαλάττῃ πνεῦμα ἀκατάστατον ὡς ἂν τύχοι κινούμενον· ὁ μὲν ἦλθεν, ὁ δ' ἀπῆλθε, μέλει δ' οὐδενὶ τῶν κοινῶν, ἀλλ' οὐδὲ μέμνηται.* Similia uid. pro Mur. XVII, 35. *Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam uarias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos aestus habet ratio comitiorum?*

Tanto nos inpetu studiorum et motu temeritatis modum aliquem et consilium et rationem requiremus?) Praepositionem, quae uolgo ante *tanto* additur, optumorum codicum auctoritate eicere debui. Cfr. Proleg. Lib. II. C. I. §. 1. conl. Lib. II. C. I. §. 9.. Dici autem uix potest, quotiens *in* praepositio ab interpretibus etiam contra Romanorum loquendi consuetudinem addita sit. Cfr. praef. meam ad Uarr. Lectt. ex cod. Erf. enot. p. CXVIII sq.. Hic quidem etsi addi per consuetudinem loquendi licuit, aeque tamen recte omissast. Multo enim latius quam uolgo putatur ablatiuorum qui dicuntur consequentiae usus aput Romanos patuit. Nam saepe etiam nullo adiecto participio solum substantiuom cum adiectiuo uel genitiuo alius substantiui casu ablatiuo ecfertur eodem sensu, quo qui uolgo dicuntur ablatiui consequentiae ponuntur. Maxumeque ad eum usum adhibita sunt substantiua uerbalia, qualia sunt *aduentus, concursus, comitatus, conuentus, decessus, discessus, inpetus, motus, profectio* et alia. Cuius rei ratio cuiuis sponte liquebit. Sic Cic. de inperio Cn. Pomp. VIII, 20. *dico eius aduentu maxumas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas atque instructas fuisse.* I. in Catil. III, 7. *cum tu discessu ceterorum nostra tamen, qui remansissemus, caede contentum te esse dicebas.* ibid. VII, 16. *quid, quod aduentu tuo ista subsellia uacuefacta sunt?*

ibid. XIII, 32. *polliceor hoc uobis, p. c., tantam in nobis consulibus fore diligentiam, — ut Catilinae profectione omnia patefacta — uideatis.* in Pis. XXIII, 54. *scio item uirum fortem — aduentu isto tuo domi fuisse otiosum.* Lael. III, 10. *me ipse consolor, et maxume illo solatio, quod eo errore careo, quo amicorum decessu plerique angi solent.* II. in Cat. VI, 13. *hic ego — quaesiui a Catilina, nocturno conuentu aput M. Laeccam fuisset necne.* II. in Uerr. V, 7, 16. *quem iste, ut Panormum uenit, ad se uocari et de tribunali citari iussit concursu magno frequentiaque conuentus.* pro Mil. X, 28. *cum hic insidiator — cum uxore ueheretur in rheda, paenulatus, magno et inpedito et muliebri ac delicato ancillarum puerorumque comitatu.* III. in Cat. II, 6. *cum iam pontem Muluiom magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent;* nam hic quoque *magno comitatu* non est explicandum *cum magno comitatu,* set *multis comitantibus.* Nostro loco omnino paria haec sunt: Cic. de Re publica I, 9. *te autem permagnumst nancisci otiosum, hoc praesertim motu rei publicae.* I. in Rull. VIII, 24. *hoc motu atque hac perturbatione animorum atque rerum — uerendum credo nobis erit, ne uostra ista praeclara lex agraria magis popularis esse uideatur.* pro Sestio XXIV, 54. *hac tanta perturbatione ciuitatis ne noctem quidem consules inter meum discrimen et eorum praedam interesse passi sunt.* pro Mil. XXVI, 69. *erit, erit illut profecto tempus, quom tu incolumibus, ut spero, rebus tuis, set fortasse motu aliquo conmunium temporum, qui quam crebro accidat experti debemus scire — fortissumi uiri magnitudinem animi desideras.* pro Sestio XV, 35. *tamen his tantis malis tanto bonorum studio, iudices, restitissemus, set* etc.. Nec sunt, etsi uidentur, dissimilia haec: II. in Rull. XXI, 55. *uectigalia locare nusquam licet nisi in hac urbe, hoc ex loco, hac uostrum frequentia.* II. in Uerr. II. 77, 189. *tabulas in foro summa hominum frequentia excribo.* III. de Legg. XVI, 37. *quamobrem, quoniam non recognoscimus nunc leges populi R., set aut repetimus ereptas aut nouas scribimus: non, quid hoc populo obtineri possit, set, quid optumum sit, tibi dicendum puto.* ubi Goerenzius apte adtulit ad Att. X, 11. *quid enim dicam hac iuuentute?* Ne autem diuersa me confudisse exempla quispiam queratur, monendumst, ut uolgares illi ablatiui consequentiae pro cuiusque loci ratione nunc hac nunc illa particula soluendi sint, cum una proprie eademque sit omnium significatio, ita in his quoque, quae adtuli, exemplis non mirum esse si ad explicandum ablatiuom nunc *cum,* nunc *quando,* nunc *si* particula adhibenda sit. — Dissimiliora sunt, set tamen propterea huc quoque pertinentia, quod *in* praepositionis ope ab interpretibus antiquis et recentibus explicata sunt, haec: Cic. III. in Cat. III, 6. *tardissume autem Lentulus uenit, credo quod litteris dandis praeter consuetudinem proxuma nocte uigilarat;* quo loco et ii erraruut, qui *litteris* pro datiuo habuerunt, et ii, qui ex interpolatis codd. *in* praepositionem receperunt. Rectissume dictum *litteris dandis* hoc sensu: *cum litteras daret.* Sic idem III. de Legg. XV, 33. *dicam, et uersabor in re difficili — et saepe quaesita: suffragia magistratu mandando aut reo iudicando — clam an palam ferre melius esset.* ad Att. IV, 1. *quo S. C. recitato cum populus — plausum meo nomine recitando dedisset;* ad quem locum apte Matthiae conparat Orat. XXII, 74. *cum inmolanda Iphigenia tristis Calchas esset.* et ibid. LXVIII, 228.. Adde pro Mur. VIII, 17. et de Off. I, 2, 4..

§. 16. *Ad contentionem uostrum*) Ego *contentionem uostrum* et h. l. et c. 7., ipso Erfurtensi contempto, restituo. Quid enim apertius, quam id, quod olim monuit Manutius,

contentionem his locis pro conparatione usurpari? Multa huius significationis exempla conlegit ex Tullio Menckenius in Obseru. L. L. p. 187., in quibus est ille, qui hos explicat, superior locus c. 2.: *quaedam hominum ipsorum uidetur facienda esse contentio.* In hac autem significatione *uostrum* optume ab eodem Manutio ad c. 7. praeferri non dubito. Est loquendi genus egregium; haut tamen omnibus placuit, qui olim codices et qui postea editiones emendarunt. Aduersus Ernestum recte defenditur ab I. Frid. Heusingero in praef. ad Cic. de Offic. p. XLIII.. GARATONIUS I.. Et hic et infra c. VII. §. 17. *eripere orationi tuae contentionem uostrum* unice ueram scripturam *uostrum* esse, et Gelli XX, 6. confirmatur testimonio, dicentis: *haec autem ipsa ratio est in numero pluratiuo, qua Gracchus misereri uestrum et qua M. Cicero contentio uestrum et contentione nostrum dixit,* et loci conprobatur sententia. Ea cum haec esse debeat, id quod Manutius et Garatonius iam recte uiderunt, ut dicat Cicero: *noli a me postulare, ut conparationem faciam, uter uostrum dignior fuerit:* genitiuom *uostrum* multo certe significantiorem sensuique aptiorem quam scripturam *uostram* patet esse. Nam *contentio uostra* ita dicitur, ut significetur conparatio quae fiat ab iis, quos quis adloquitur; utrum autem sese illi conparent, contendantque, uter eorum aliqua re dignior fuerit, an aliorum ab iis fiat conparatio, plane non dicitur. Contra *contentio uostrum* non potest alio sensu accipi quam hoc, ut eos, quos quis adloquitur, sese tantum conparare et contendere, uter eorum aliqua re dignior fuerit, intellegamus. Itaque Wolffius ita potius haec interpretari debebat: *Wolle mich nicht zu einer Vergleichung eurer Personen auffordern.* Ceterum similiter dicitur *frequentia uostrum,* ut in Rull. II, 21, 55. *Uectigalia locare nusquam licet nisi in hac urbe, hoc ex loco, hac uostrum frequentia,* et Phil. IV, 1. *Frequentia uostrum incredibilis, Quirites,* etc.; quibus in locis qui pro *uostrum* scribendum *uestra* putarunt, ante omnia exemplis debebant conprobare, illo qui ibi obtinet sensu a Romanis *frequentia uostra* dici consuesse.

Frontis aperit hominum, mentis tegit) Quia licet unicuique liberaliter et laeta fronte polliceri, quod praestare tamen in suffragio nolit; ideo autem licet, quia tabella mentis tegit. MANUTIUS.

Cur tu in iudicio exprimis quod non fit in campo) Melius et hic Erfurtensis [quocum consentit Bau.]: *Cur tu id in iudicio ut fiat exprimis, quod non fit in campo.* Mallem autem pro *exprimis* scribi *exigis.* GRAEUIUS. Unico Erfurtensi paruerunt etiam Uerb. et Lallemandus. Neque contra libros omnis mutandum est *exprimis,* quod ualet extorques, uehementer urges, ut fiat. Uide Drak. ad Liu. VIII, 2.. Set necessaria illa non sunt, *ut fiat;* immo haut scio, an rectius absint; ego quidem interpreti tribuenda facile dixerim. Optumum est: *cur tu id in iudicio exprimis, quod non fit in campo?* GARATONIUS I.. Cum Erfurtensi Bauaricus facit. Suspectum tamen adhuc *ut fiat.* GARATONIUS II.. Recte Garatonius pronomen *id* recipiendum duxit, quod eo minus suspectum debet esse, cum etiam in Lc scriptum reperiatur. Uide Proleg. L. II. C. I. §. 16.. Significatur autem pronomine illo *contentio* uel *conparatio uostrum, uter aedilitate dignior fuerit.* Uerbum *exprimendi* autem cum saepe sic usurpatum inueniatur, ut, quod Drak. l. l. et Gesnerus in Thes. ling. Lat. p. 555. exemplis docuerunt, significet *premendo,* id est *urgendo, ui elicere aliquid,* dicaturque nunc *exprimere confessionem culpae alicui,* quo loquendi genere Liuios est usus, nunc *exprimere, ut quis neget se quid fecisse,* quam locutionem Cicero usurpauit: sponte intellegitur, utrumque secundum sermonis latini consuetudinem dici potuisse, *cur tu id in iudicio exprimis,* id est, cur tu con-

tentionem uostrum exigis, et *cur tu id in iudicio ut fiat exprimis,* id est, cur tu exigis ut fiat contentio uostrum. Uerum quom in Proleg. L. II. C. I. §. 8. docuerimus, Bauaricum et Erfurtensem, qui libri soli *ut fiat* addunt, haut raro interpretum additamenta Tullianis uerbis inmiscuisse, quomque facilius perspiciatur, cur addita haec ab interprete sint, quam quomodo librari neglegentia ōmitti potuerint, Garatoni malui quam Orelli, qui Tulli haec uerba putauit, iudicio subscribere.

Hic quam ille dignior: perquam grauest dictu) Errant interpretes, qui his uerbis generalem sententiam contineri putant. Pronomine *hic* Plancius, *ille* Laterensis significatur. Hoc enim dicit Cicero: Plancium quam Laterensem digniorem fuisse, non audeo dicere, cum, si dicerem, hoc consequeretur, ut Laterensis animum offenderem. Quod Ernestius coniecit, *an* pro *quam* scribendum esse, id sic tantum necessarium esset, si Cicero hoc dicere debuisset, se nolle diiudicare, uter fuerit dignior. Atqui hoc nec debuisse nec potuisse dicere, e sequentibus manifesto apparet.

Quomodo igitur est aequius? Sic credo: — hic factus est) Sensus est: Cum dignitate Laterensem a Plancio esse superatum dicere non liceat, quam tandem rationem, cur factus Plancius sit, adferre magis conuenit? Hanc puto, quod Plancius factus est.

Sic credo: quod agitur, quod satis est iudici: hic factus est) Modo dixerat, *quare uictus sis, non debere iudicem quaerere, modo ne largitione.* (Sequitur haut necessaria et haut uenusta repetitio, *sis uictus,* similisque inlatas animaduerti multas.) Idcirco dicit, *quod satis est iudici.* Set etiamne, *quod agitur?* Atqui non id agitur, factus nec ne sit, set utrum ambitu, an recte atque ordine. Manutius mire caecutit, qui uter factus, agi putat. Hoc igitur in codice Dresdensi uidetur merito praetermissum. Qui retinet, sic intellegat, quod adtinet ad id, de quo agitur. GARATONIUS. Codicis Dresdensis, uerba *quod agitur* omittentis, nullam prorsus auctoritatem esse, Proleg. L. II. C. I. §. 16. demonstrauimus. Accedit, quod quam facile oculorum aberratione uerba illa omitti potuerunt, tam inprobabilest, cuiquam interpreti addenda potuisse uideri. Immo si alterutrum membrum, aut *quod agitur,* aut *quod satis est iudici,* delendum esset, posterius spurium iudicarem, quod nonnisi explicationi prioris inseruire certum sit. Uerum omnia sana hic sunt et ab ipso Cicerone profecta, quem idem tenendumst hic fecisse, ut duo coniungeret membra, quorum prius sententiam generalem, posterius specialem contineret, quod cum alibi saepe fecit, tum I. in Cat. III, 6. *Muta iam istam mentem; obliuiscere caedis atque incendiorum; mihi crede, teneris undique; luce sunt clariora nobis tua consilia omnia.* Ut ibi *muta — mentem* uerbis *obliuiscere — incendiorum* et *teneris undique* uerbis *luce — omnia* explicantur, ita hic *quod agitur,* id est, ut recte monuit Garatonius, quod adtinet ad id, de quo agitur, (nobis *worauf es hier ankommt*) magis inlustratur uerbis *quod satis est iudici.* Elocutionis illius, *quod agitur,* haec Orellius ex Cicerone adtulit exempla: pro Rab. 5. *neque ego id, quod non agitur, defendere.* ibid. 13. *nunc uero, quid agitur?* de Prou. cons. 4. *de prouincia, quod agitur, id disputo.* de Diu. I, 59. *cur fiat quidque quaeris? Recte omnino; set nunc non id agitur: fiat necne fiat, id quaeritur.* Addo ex innumeris exemplis hoc unum ex Phil. XI, 10. *nunc quod agitur agamus. Agitur autem, liberine uiuamus, an mortem obeamus.* — Ceterum uix opus est ut moneam, uerba *sis uictus,* quae inconsiderate Garatonius pro spuriis habuit, plane ex consuetudine Tulliana adiecta esse optumeque ad integritatem membri facere. Sic pro Sestio III, 6. *Ademit Albino soceri nomen mors filiae, set caritatem illius necessitudinis et beneuolentiam non ademit.* Quod

patet multo uenustius pleniusque dictum esse, quam si sècundo loco uerbum *ademit* omisisset, et *set non* etc. scripsisset. Simillума exempla ad eum locum nouissumus editor adtulit.

Cur iste potius quam ego?) Amplius urgere Laterensis Ciceronem fingitur, et, si non sit dignitate uictus, reliquas quaerere caussas, quibus conmotus populus Plancium, non se fecerit.

Quod mihi esset grauissumum si dicerem, set inpune tamen deberem dicere: non recte) Grauissumum erat Ciceroni, si dicebat non recte Plancium Laterensi esse praepositum, ex quo consequi uidebatur, ut Plancium largitione populum corrupisse concederet. Tamen negat se, si hoc diceret, debere puniri, id est, caussam Planci perdere existumari, cum populus, id quod supra docuit, sine iudicio magistratus creare soleat, ideoque ex eo, quod quis non recte sit factus, minume sequatur, ut largitione corrupisse populum censendus sit, cumque populi factum licet non probandum tamen ferendum sit.

Nam quid adsequerer, si illa extrema defensione uterer) Permirumst, quomodo Gruterus, Garatonius, et Orellius pro *adsequerer* contra omnium codicum auctoritatem scribere *adsequerere* potuerint, quod tantum abest, ut uolgata scriptura melius sit, ut a sententia loci sit alienissumum. Secundum codicum scripturam particula *nam* ratio redditur sententiae, quae uerbis, *quod mihi — dicerem*, continetur: *nolo autem dicere, Plancium non recte factum esse.* Itaque sensus totius loci hic est: Nolo autem dicere, Plancium non recte esse factum: nam nihil lucrarer, si ista extrema defensione uterer, populum quod noluisset fecisse, non quod debuisset; qua ratione non satis defenderem Plancium, set ferendum tantum populi factum ostenderem. Uolo uero omnino defendere Plancium, ac docere, recte aedilitatem a populo esse adeptum. Ad id ipsum autem docendum adgreditur cap. sequenti.

CAP. VII.

§. 17. *Qui semper patuerit* [*hominibus*] *ortis hoc nostro equestri loco*) Cur *ortis* ex B et E receperim et *hominibus* uncis incluserim, Proleg. L. II. C. I. §. 8. exposui. Ne quis autem u. *hominibus* ad integritatem orationis requiri putet, conferat C. XXV. §. 60. *set haec pari loco orti sunt innumerabiles alii consecuti.*

Contentionem uostrum) Uide quae dixi §. 16. p. 80 sq..

Aliquando) Uide Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XLII..

Omnes tecum equitum Romanorum filii petiuerunt) Adtende ad breuitatem dictionis. Sensus est: omnes, qui tecum petiuerunt, equitum Rom. filii fuerunt.

Nihil dico amplius) Tacite significat, eos dignitate inferiores fuisse Plancio, ausos tamen esse cum Laterense in aedilitatis petitione contendere. MANUTIUS.

Cur tu huic) Confer Proleg. L. II. C. I. §. 3..

Qui longissume a te afuit) Satis hunc locum Proleg. L. III. C. IV. §. 2. p. LXXXIII sqq. explananimus, ubi editorum etiam priorum ad h. locum adnotationes cognoscere licet.

Fabium fornicem) Sic omnes praeter Weiskium. Is habet *Fabianum*, ut est I. Act. in Uerr. 7, 19. et aput Asconium ad eum locum. Contra de Orat. II, 67. *ad fornicem Fabii*, quod ipsum laudans Quintil. VI, 3, 67. exhibet *ad fornicem Fabium.* Tres igitur hi modi in usu uidentur fuisse. Pertinet huc Pseudo-Fronto de differentiis uocabulorum p. 274. ed. Berol. *Pompei porticus, si possidet; Pompeia, si publicauit; Pompeiana, si in alterius dominationem uenit.* ORELLIUS.

In me ipsum incurrit) Ex uerbis, quae secuntur, *in te ipsum incubuerunt*, ualde fit pro-

babile, Ciceronem hic quoque *incumbit* scripsisse, praesertim cum Arusianus Messius p. 382. ed. Mai. haec uerba adferens *incumbat* scribat. Si ipsum praebuisset *incumbit*, recepissem.

Et ab eo, qui hos dimouit, potius quam ab iis, qui in te ipsum incubuerunt, te depulsum putas) Erfurtensis pro *dimouit* habet *demouit*. GRAEUIUS. Lambinus iam pridem *demouit* more suo ediderat. Tamen caute Graeuius ceteros omnis libros, in quibus mei quoque sunt, non deseruit. Uide I. Act. in Uerr. 17. et pro Caec. 15.. GARATONIUS. Reliquas editorum ad h. locum adnotationes meamque de sensu eius sententiam uide Proleg. L. III. C. IV. §. 2. p. LXXXIII sqq. expositam.

§. 18. *Set tamen haec*) Pronomen *haec* non ad antecedentia, set ad sequentia *generis uostri familiaeque* referendum, et sensus hic est: prima tibi cum Plancio contentio est haec generis uostri familiaeque contentio.

In consulatus petitione) Cfr. Plut. in uit. Cic. c. XI. *καίτοι τῶν μετιόντων ὁ Κικέρων μόνος ἦν ἐξ ἱππικοῦ πατρός, οὐ βουλευτοῦ γεγονώς.*

Utraque familia) Non dixit *genere,* quia totum genus Laterensis non erat consulare, set familia tantum patris eius et matris.

Qui nominibus uostris ducuntur) Qui plurumum tribuunt nobilitati. *Nomina* enim latinis *nobilitas.* Cic. ad Diu. III, 8. *Ista uostra nomina numquam sum admiratus.* Uide ibi notas. GRAEUIUS.

Etenim) Legendum puto *At enim.* Est enim initium noui argumenti. Et in libris haec duo interdum permutata sunt. ERNESTIUS. Alienissumae ab hoc loco particulae *at enim* sunt, de quarum significatione uide Handi Tursellinum de part. lat. Uol. I. p. 444 sqq.. Id enim iam Cicero agit, ut, cur parum multi sint, qui nobilitati Laterensis fauerint, uberius explicet. Itaque sola *etenim* uel *nam* particula huic loco conuenit.

CAP. VIII.

§. 19. *Ex quo [sunt] plurumae*) Uerbum *sunt* cur ut spurium uncis incluserim, dictum in Proleg. L. II. C. I. §. 11. est. Bauarici, in sequentibus *est* omittentis, non posse magnam auctoritatem esse, ex Proleg. L. II. C. I. §. 4. apparet.

Iuuentia) Hinc uidetur Uelleio Paterculo dici *M. Iuuentius Laterensis.* GRAEUIUS.

Tot, quot ex reliquis municipiis omnibus non sunt) Cum neque *tot,* quod in codice principe scriptum extitisse certumst, neque *quot,* quam scripturam a doctis saec. XIV. uel XV. librariis ortam esse manifestumst, a Cicerone scribi potuerit, cum *tot* particula omnis sententiae cohaerentia tollatur, *quot* autem cum superlatiuo *plurumae* minume congruat, reposui id, quod et sensui accommodatum esse nec a codicum scriptura longius recedere apparet.

E praefectura Atinati) Praefectura erat urbs Italiae, in quam mittebatur Roma praefectus, qui eam administraret secundum leges a Romanis praescriptas, et qui ius in ea diceret. Uide Sigon. de antiquo iure Italiae XI, 10. et sqq.. Atina uero est urbs Uolscorum in Latio, in monte ad Lirim posita; etiamnunc retinet antiquom nomen, nonnumquam *Atino* dicitur. Uide Cluuer. Italiam antiquam III, 8.. GRAEUIUS. Uide, quem Orellius iam conferri iussit, Sauigny Geschichte des röm. Rechtes I. p. 40..

Utrum magis fauere putas Atinatis an Tusculanos suis?) *Ait Tusculanos minus esse suffra*gatos municipibus suis, uelut iampridem huiusmodi dignitate saturatos; istos uero, qui Atinate oppido uenirent, exoptasse or-

nari Plancium, quod ea res non minus etiam ad honorem suum pertineret, cum paucissimos de suis ciuibus haberent senatoriis magistratibus honoratos. Praeterea et hinc istis ciuitatibus adicit differentiam, quod Atinates semper ciuibus suis fauerant; Tusculani plurimum liuoris naturaliter etiam circa municipes suos habuisse uidentur. Sic et M. Cato ille censorius pro maligno et inuido habitus est[1]). Nec aliter etiam Lucilius de eorundem moribus sentit hoc dicens: prima Papiria[2]) tu solidarum[3])... SCHOLIA UATICANA.

Propter uicinitatem) Nam Atinatibus finitumi sunt Arpinates. MANUTIUS.

Huius — Cn. Saturnini) Qui aderat, ut infra C. XII. §. 29. *cum hoc Cn. Saturnino.* MANUTIUS.

Nam maleuolos non esse certo scio) Hoc dicitur ab eo ἐν ἤθει; quippe cum diuersum intellegi uelit, simulat contra Tusculanos uerecundiam maleuolentiae negatione. SCHOLIA UATICANA.

Uehementius suorum honore laetari) Ita cur scripserim, explicaui Proleg. L. II. C. I. §. 10..

§. 20. *Habemus*) Ut laetemur honore municipum nostrorum. MANUTIUS.

Quid ego de me, de fratre meo loquar?) Pronomen *quid*, quod Graeuius ante *de fratre* ex coniectura repetendum putauit esse, cum codex habeat Laurentianus secundus, erit fortasse, cui reprehendendus uidear, quod non receperim. Uerum uide Proleg. L. II. C. I. §. 1.. Accedit, quod re diligentius pensitata ne accommodatum quidem sensui satis est. Faceret enim, ut praecipuam uim uerba *de fratre meo* haberent, quae non debere prae ceteris distingui patet. Si cui ἀσύνθετον displiceat, faciliore is emendatione *et* particulam addat.

Quorum honoribus agri prope dicam ipsi montesque fauerunt) (Ὑπερβολικῶς) hoc dixisse uideatur, nisi interposuisset uigilantissime temperamentum intercedentibus[4]) uerbis, quod ait prope dicam: nam neque agri *neque* montes possunt habere ullum sensum fauoris; sed (ἀναίσθητα) quae sunt, uim sententiae de hac moderatione sumserunt. SCHOLIA UATICANA. Cum ego A. Mai editionem nouam, anno superiore emissam, qua eiusdem interpretis Ambrosiani, quem dixi, altera pars, quae in palimpsesto Uaticano latuit, euolgatast, his ipsis demum diebus, postquam oratio Planciana typis iam excusa erat, insigni Niebuhri, uiri celeberrumi, liberalitate mutuam acceperim: hic in commentario lectionis discrepantiam, quae in scholiis Uaticanis est, adnotare coactus sum. Discrepat autem primum hoc loco ab ea, quam recepi, scriptura sic: *quorum*

---

1) Catonem Scipionis certe maioris gloriae inuidisse ostendit Liuius XXXVIII, 54.. A. MAIUS.

2) Loquitur sine dubio Lucilius de Papiria tribu. Quare nemo deinceps dubitet, quin Tusculani in Papiria tribu suffragium tulerint; qua de re, praetereaque de huius tribus maleuolentia extat peridoneum Liui testimonium VIII, 37.: *memoriam eius irae Tusculanis in poenae tam atrocis auctores mansisse ad patrum aetatem constat; nec quemquam ferme ex Pollia tribu* (quae Tusculanos damnauerat) *candidatum Papiriam ferre solitum.* Quin adeo Papirium quoque dictatorem laborauisse inuidia aduersus suum magistrum Fabium Rullianum propter rem se absente feliciter gestam, ideoque supplicium de illo sumere uoluisse, ait Fabius pater in contione aput Liuium VIII, 31.. A. MAIUS.

3) Num pro *tusculanarum* uel *tusculidarum?* Sequitur autem uersiculus graecus oblitteratus. A. MAIUS. Probabilius uidetur, *Tuscolidarum*, qua forma non est quod Lucilium usum esse miremur.

4) Sic ex coniectura scripsi; cod. *recedentibus* habet; Maius *praecedentibus* malit.

horibus (sic) *agri ipsi prope dicam montes quae fauebant.* Probo omnino, quod pro uolgari ordine *prope dicam ipsi* scribit *ipsi prope dicam;* quo ordine ego iam cod. Erf. auctoritate uerba conlocassem, set plus aput me ceterorum omnium codicum auctoritas hac in re ualebat. Non recipiendum autem *fauebant* pro *fauerunt* putem maxume propterea, quia eum, qui hunc scripsit commentarium, saepissume uerba Ciceronis in breuius contraxisse et sic descripsisse multis exemplis edocemur, ut mutare quaedam, quae sine sensus detrimento mutari poterant, minume religioni sibi duceret. Inlustri exemplo scriptura eorum uerborumst, quae proxume interpretatus est.

Agri ipsi prope dicam montesque) Cfr. pro C. Rabirio III, 8. *cumque ad eius propulsandum periculum non modo homines, set prope regiones ipsae concurrerint.* et huius orat. IX, 22..

Num quando uides Tusculanum aliquem de M. Catone illo — num de Ti. Coruncanio, municipe suo, num de tot Fuluiis gloriari?) Magnam hic locus offensionem habet, ad quam primus adtendit Pighius Annal. Rom. T. I. p. 431. monens: „Coruncanios Camerio municipio oriundos esse testatur Tacitus [Ann. XI, 24. *Neque enim ignoro Iulios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo — in senatum accitos.*] in oratione Claudi Inperatoris pro ciuitate Gallorum; item Cicero municipem fuisse dicit in oratione pro Sulla [c. 7.]. Ceterum in Planciana Tusculo natum Ti. Coruncanium uidetur indicare. Quod mirum profecto. Uerba quidem eius sunt haec: — Atqui locus hic ut mutilus et incorrectus merito notari poterit. Cur enim Camerinum Coruncanium Tacitus et Claudius Caesar, cuius adhuc extat oratio tabulis publicis insculpta antiquitus aput Lugdunensis; et Cicero in Planciana Tusculanum diceret? Itaque latet haut dubie uitium in eo Ciceronis loco difficile, ac nisi sola ueterum exemplarium fide corrigendum. Ueri tamen sensus coniectura forsan poterit ita conligi ab historiae peritis, quando Cicero familiarum e uicinis urbi et antiquis municipiis ortarum mentionem faciat, quae consulatus ac curulis magistratus Romae sunt adeptae, si ita legamus, et uerba a librariis praetermissa suppleamus: *Num aliquando uides Tusculanum aliquem de M. Catone illo in omni uirtute principe, num de Ti. Coruncanio municipe suo Camerinum, num de tot Fuluiis Tiburtem gloriari?*" Haec Pighius, contra quem primum Gruterus monuit: „At ego arbitrabar, faciliore medicina sanari locum posse, si, inquam, reponeretur, *Coruncanio municipes suos, num de tot Fabiis gloriari.*" Gruteri correctionem, *municipes suos* scribentis, unice probauit Bakius, id quod ualde miror. Uerissuma enim sunt, quae Perizonius Anim. Hist. c. 5. contra Pighi et Gruteri correctiones protulit: „Hae coniecturae refelluntur eo, quod manifesto Cicero de solo Tusculano municipio agit, unde erat is, contra quem dicebat, Iuuentius, adeoque illut unum longe nobilissumum et refertum iam consularibus ceteris ignobilioribus opponit." Toto hoc capite id unum agit Cicero, ut municipium, ex quo oriundus erat Laterensis, eiusmodi refertum hominibus doceat, qui suorum honore nullo modo laetentur, cum contra Atinates, qualis erat Plancius, eorumque finitumi Arpinates mirandum in modum suorum honoribus faueant. Itaque primum ob hanc caussam plane alienum foret ab hoc loco, si Camerini municipes reprehenderentur. Deinde uero uerba, quae his, de quibus agitur, *Num quando uides Tusculanum aliquem — gloriari,* continuo opponuntur, *At in quemcunque Arpinatem incideris,* luculenter ostendunt, duorum tantum hic municipiorum conparationem fieri. Denique inepte locutus Cicero esset, si inter Catonem et Fuluios, quos eosdem cum Catone e Tusculo fuisse oriundos deinde docebitur, interposuisset uirum quendam ex Camerio municipio ortum. Debebant certe Fuluii, si uoluisset alius etiam municipi mentionem inicere, continuo post Ca-

tonem necessario conmemorari. — Contra recte inprobauit Bakius, quae idem Perizonius ibidem statim post ea, quae adtulimus, adiecit: „Adde quod in oratione pro Sulla c. 7. quosdam ex municipiis ortos, clarissumos uiros, nominans Catoni Tusculano continenter item subiungit hunc Ti. Coruncanium, tamquam eiusdem municipi hominem. Nec cuiquam mirum uideri debet, uariare auctores in memoranda origine hominis antiquissumi, cum et alia innumera sint in ueteri historia, de quibus illi inter se discrepent." Nam ualde errare, qui ex or. pro Sulla c. 7. Coruncanium fuisse Tusculanum conligat, uerba ipsa abunde docent: *Set scire ex te peruelim, quamobrem qui ex municipiis ueniant, peregrini tibi esse uideantur: nemo enim istuc M. illi Catoni seni, cum plures haberet inimicos, nemo Ti. Coruncanio, nemo M'. Curio, nemo huic ipsi nostro C. Mario, cum ei multi inuiderent, obiecit umquam.* Itaque quamquam necessario concedimus Bakio, ex loco illo orationis Sullanae nihil effici nisi *municipem* fuisse Coruncanium, tamen hic Plancianae locus nullum plane dubitandi locum relinquit, quin Cicero Coruncanium municipem Tusculanum fuisse putauerit. Iam uero duplex oritur quaestio, prima, quomodo Cicero municipem Tusculanum dicere potuerit, quem Tacitus Ann. XI, 24. diserte ex Camerio ortum referat; altera, cur uerba *municipe suo* post *Ti. Coruncanium* addita sint, quae non addidit neque post *M. Catonem*, qui primo loco memoratur, neque post *Fuluios*, quorum extremo loco mentionem facit. Ac recte omnino Bakius ineptam iudicat Orelli interpretationem, cui Cicero, qui ubique absolutam rerum Romanarum scientiam adfectet, his adiectis tecte uidetur significare uoluisse, se haut ignorare quidem, Coruncanium a quibusdam Camerio ortum perhiberi, set propius fidem aliorum testimonium esse, conpertum sese habere. Nam si nihil aliut his uerbis significare Cicero uoluit, nisi Tusculanum se Coruncanium habere, plane inutile et alienum illut additamentumst, cum eo, quod inter Porcios Fuluiosque memoratur, satis superque ostendat, Tusculanum se eum putare. Quod cum intellexisset Garatonius, ab interprete duo ista uerba addita suspicatus est. Cui sententiae qui suffragari duorum codicum auctoritatem, Monacensis secundi et Oxoniensis ς, qui omittunt *municipe suo*, putabit, is uehementer errabit. Nam ut non urgeam, quod multa illi codices temere omittunt, tamen hoc ad eorum labefactandam auctoritatem sufficit, quod ex eo manasse fonte eos scimus, in quo uerba illa scripta erant. Uide Proleg. Lib. II. C. I. §. 16. cll. L. I. C. III. §. 8.. Apparet etiam, librari oculum a littera extrema nominis *Coruncanio* facillume ad extremam pronominis *suo* litteram aberrare potuisse. Omnino autem abhorret ab omni probabilitatis specie, haec uerba ab interprete addita esse. Quid enim caussae statuemus fuisse, cur interpres ad nomen *Coruncani* adposuerit, quae debebant iam de Catone moneri pariterque de Fuluiis? Itaque qui qualia sint interpretum additamenta perspexerit, haec uerba non ab alio quam a Cicerone potuisse proficisci intelleget. Nec puto quemquam in posterum de his uerbis dubitationem moturum esse, qui meam eorum interpretandi rationem diligenter pensitauerit, quae talis est, ut et aptissume adiecta pateat et Cicero cum Tacito, qui Camerio ortum Coruncanium tradit, egregie consentire intellegatur. Sunt enim uerba *municipe suo* manifesto hoc sensu dicta: *qui a Tusculanis ciuitate donatus est.* Itaque municipem quidem Tusculanum eum fuisse, set non ut Porcios Fuluiosque e Tusculo ortum rectissume his uerbis significatur. Minume uero mirum uideri debet, qui factum sit, ut Coruncanius a Tusculanis ciuitate donaretur, quem sciamus ex omnibus, qui iuris adepti scientiam erant, profiteri primum coepisse, omnibusque consili sui copiam fecisse. Cfr. Bach. Hist. Iurisprud. Rom. ed. sext. an. 1807. p. 253., Kraus. ad Uell. Pat. II, 128. p. 543 sq. et Wetzel. ad Cat. Mai. C. VI. p. 56.. Factum autem hoc esse, ut

uiri doctissumi a municipiis coloniisque Italiae ciuitate donarentur, ex Ciceronis oratione pro Archia poeta conpertum habemus, in qua c. III. §. 5. haec leguntur: *Itaque hunc* (Archiam) *et Tarentini et Regini et Neapolitani ciuitate ceterisque praemiis donarunt; et omnes, qui aliquid de ingeniis poterant iudicare, cognitione atque hospitio dignum existumarunt.* Archiae autem poetae cum contingeret, ut ciuitate in multis Lati oppidis donaretur, quanto magis Coruncanium, hominem iuris peritum et consili sui aliis copiam facientem, honore isto ornatum esse credibilest? Cfr. etiam Cic. ad Diu. XIII, 30.. Ceterum minume meae aduersatur explicationi, quod interpres Ambrosianus ad or. Sull. c. 7. p. 155. ed. Mai. sec. adnotat: *M. Cato ille censorius et Tib. Coruncanius fuerunt e municipio Tusculano.* Simillumos enim errores alios cum interpres ille tum ipse Asconius conmisit.

Num de tot Fuluiis gloriari) Legebatur ante Graeuium *Fabiis* pro *Fuluiis,* quod iure ex optumis codicibus restitutum esse, Perizonius Anim. Hist. c. V. docuit, ita disserens: „Fabii non Tusculo orti sunt, set ante ipsam urbem conditam in eius sede inter Romuli et Remi comites agitarunt, immo eo loci ex Euandri, ut nonnulli uolunt, filia ab Hercule procreati, et postea expulsis regibus inter primos patricios gloria, dignitate, consulatibus floruerunt. Recte Pighius, quod de Fuluiis, plebeiis et obscuris origine sua, non de Fabiis, inlustribus et patriciis, loqui Ciceronem autumat; ideoque, id quod unum recte temptauit Pighius, accipere debuissent Gruterus, non autem repudiare, praeferendo *Fabiis,* de quibus ut ex nullo municipio, adeoque nec Tusculo ortis, nulli municipes gloriari poterant. Reponendum omnino *Fuluiis,* qui tamen non Tiburtes, set Tusculani origine fuerunt. Etenim primus Fuluiorum in urbe Roma L. Fulnios Curuos cos. A. U. C. 431. a Tusculanis rebellantibus, quorum consul erat, transiit ad Romanos, ab iisque eodem anno, quo hostis fuerat, consul factus triumphauit de suis popularibus. Diserte haec Plinius H. N. VII, 43. Atque hinc Cicero Philipp. III, 6. Antonio Fuluiam uxorem habenti, cum is Octauiano *Aricinam matrem exprobrasset,* obicit uicissim uxorem *Tusculanam.* Tusculana haec non alia est quam Fuluia, quae Antoni tunc uxor et filia erat Fului Bambalionis ac Semproniae Tuditani filiae." Uide de Fuluia ista Antoni uxore Garatonium ad Phil. III, 6..

At in quemcumque — audiendum) *Modeste de se*, sed de C. Mario multo uberius et rectius; ex quo etiam suo honori plurimum dedit, de quo aliquanto demissius et uerecundius dixerat. SCHOLIA UATICANA. Inlustri hic locus exemplost, quid sibi interpres ille in describendis Ciceronis uerbis permiserit. Habet enim huic adnotationi haec uerba praeposita: *At si in aliquem Arpinatem incideris, erit tibi fortasse etiam de nobis aliquid, sed certe de C. Mario audiendum.* pro quibus ceteri codices, in duobus tantum uerbis a se dissentientes, haec habent: *At in quemcumque Arpinatem incideris, etiamsi nolis, erit tamen tibi fortasse etiam de nobis aliquid, aliquid certe de C. Mario audiendum.* Nemo non sponte intellegit, non interpolatam hic ceterorum codicum scripturam dici posse, set ab interprete Uaticano uerba Ciceronis partim omissa, ut explicatione non egentia, partim inmutata esse. In hoc uno sequendus tamen fortasse palimpsestus Uaticanus est, quod *de nobis aliquid, sed certe* scribit. Eademst enim etiam Erfurtensis libri scriptura, ita tantum dissentiente Bauarico, quod cum aliis codicibus bis *aliquid* scribit. Quae mea fuerit de scriptura huius loci sententia, Proleg. Lib. II. C. I. §. 8. p. XXXVIII sq. aperui. Nunc tamen non dissimulo, posse etiam alterum *aliquid,* quod Bau. cum aliis multis habet, pro glossa, quae super uerba *set certe — audiendum* posita fuerit, haberi.

Erit tamen tibi fortasse etiam de nobis aliquid, aliquid certe) Ad defendendam *etiam* particulam, quam licet multi familiae tertiae codices omittant tamen genuinam maxume esse nunc membranis Uatic. confirmatur (uid. Proleg. L. I. C. III. §. 2. p. XIX.), apte Garatonius Cic. Brut. XC, 310. conparauit: *Commentabar declamitans saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliquo cotidie; idque faciebam multum etiam latine, set graece saepius.*

Tui municipes sunt illi quidem splendidissimi homines, sed tamen pauci) Etiam hic Atinatium suffragia praetulit Tusculanis, cum illi et pauci et inuidi, hi uero et plures et benigni. SCHOLIA UATICANA. Haec quae praeposui uerba Uat. sic ut scripta dedi habet.

Quam quidem nunc — nobis) Miscuit...[1]) non tantum quo doceretur iudex, uerum etiam quo moneretur. Adfectus enim colorauit ad misericordiam secundum Plancium permouendam ex habitu ciuium luctuoso, quasi ipsi sollicitudinem *et* modestiam pro suo ciue susceperint. SCHOLIA UATICANA. Hic quoque quae praeposui uerba Uat. sine discrepantia habet.

§. 21. *Quae cuncta comitiis adfuit*) Praefecturae suffragi ius non habebant; hic tamen, plebem Atinatem comitiis adfuisse, plane constat; quid putandum? hoc opinor, Atinatis ciuitate donatos esse et in municipiorum iura transisse; nam et infra ut de municipio, non ut de praefectura Cicero loquitur, cum ait: *Sic te Plancius hoc non solum municipi, uerum etiam uicinitatis genere uincebat.* MANUTIUS. Non adtendit Manutius, aliam praefecturarum condicionem ante legem Iuliam de ciuitate cum sociis et Latinis communicanda fuisse atque post eam fuit, qua praefecturae etiam ius suffragi consecutae sunt.

Quid roboris, quid dignitatis) Prius ad multitudinem, posterius ad splendorem Atinatium spectat.

Tribum Terentinam) In qua Atinates suffragium ferebant. Quod uero Atinatis non tribum Terentinam, set dignitatem etc. praebuisse ait, eo significat, non ui aut largitione fecisse Atinatis, ut Plancius tribum Terentinam ferret, set dignitate sua et frequentia effecisse, ut in suffragiis ferundis tribules ipsos sequendos putarent. Monet hoc propterea, quod tribum istam a Plancio corruptam esse Laterensis criminatus erat, de quo C. XVI. §. 38. loquitur.

Set oculorum coniectum) Cum ad *praebuerunt,* a quo uerbo haec quae adposuimus pendent, necessario supplendum sit *Plancio petenti,* mirumst, quomodo de sensu horum uerborum ambigere Ernestius potuerit, monens: „i. e. ut arbitror, ut homines eam frequenter cum admiratione uiderent et oculis in eam defixis, siue potius ut oculi omnium essent in eum candidatum conuersi, quem illi sequerentur, quod melius *frequentiae* conuenit.“ Unice recte Weiskius: effecerunt, ut alii oculos in Plancium coicerent, eumque facilius suffragio suo iuuarent, quem uiderent tot ac tam splendidorum hominum gratia florere. Eadem sententia Baki est, iure Garatonium reprehendentis et Orellium, qui alteram istam Ernesti interpretationem probarunt.

Nostra municipia coniunctione etiam uicinitatis uehementer mouentur) Mirast hoc loco codicum uarietas, cum B et E *nostra municipia,* ceteri *iam municipia* scribant. Quod primo aspectu suspicari quis possit, *nostra* explicandi caussa ab interprete additum esse, id non ita esse, qui loci sententiam perspexerit, concedat necessest. Uerba, *municipia coniunctione uici-*

---

1) Supple unum uocabulum graecum. A. MAIUS.

nitatis uehementer mouentur, hoc sensu dicta esse patet: municipia eo, quod uicinitate coniuncta sunt, i. e. quod uicina sibi sunt, magnopere inpelluntur, ut in omnibus rebus inuicem se adiuuent. Quod ipsum cum in municipium Tusculanum et finituma minume cadat, de quibus §. 23. plane contrarium dicat, monens: *sic te Plancius hoc non solum municipi, uerum etiam uicinitatis genere uincebat, nisi forte te Labicana, aut Gabina, aut Bouillana uicinitas adiuuabat, quibus e municipiis uix iam qui carnem Latinis petant reperiuntur:* certissumumst, addi a Cicerone *nostra* ante *municipia* debuisse, ut de Atinatibus uicinisque municipiis sermonem hic esse intellegeretur. Particula *iam* uero, quam ii tantum codices habent, qui *nostra* omittunt, carere omnino possumus, cum transitum Cicero particula *etiam* ante *uicinitatis* posita satis indicauerit. Itaque nihil certius, quam *iam* esse ex *nostra* ortum; quod pronomen cum ita, *nra,* scribi consuesset, facillume una *n* littera oblitterata in *ia* id est in *iam* potuit corrumpi.

CAP. IX.

§. 22. *Retinens ueterem illam offici rationem*) Cum plurumorum codicum scriptura, *illum officii morem,* iam propter insolentem elocutionem, *mos offici,* cuius simile exemplum nusquam reperitur, suspecta mihi esset, non potui a me inpetrare, quin corruptum hunc locum putarem. Cui sententiae cum optumus ille et antiquissumus codex Bauaricus insigniter faueret, *illam officii mentem* scribens, ex utraque scriptura id elicui, quod et litterarum ductibus, qui in codicibus sunt, et loci sententiae maxume conuenit, edendumque curaui *illam offici rationem.* Quam facile enim *rationem,* hoc quod in more fuit conpendio scriptum, *rōnē*, tum in *morē* tum in *mentē* potuerit deprauari, quiuis concedet, qui librariorum scribendi genus nouerit. Rectum autem dicendi genus esse, *ueterem offici rationem retinere,* tum per se patet, tum his locis probatur: Cic. pro P. Quintio C. XVIII. §. 59. *antiquam offici rationem dilexit, cuius splendor omnis his moribus obsoleuit.* ibid. C. XV. §. 48. *lubet mihi ex offici ratione atque ex omnium consuetudine rem ipsam considerare.* de Inu. I, 2, 2. *nondum diuinae religionis, non humani offici ratio colebatur.* pro Cluent. XLII, 117. *ut a me cum huiusce periculi, tum ceterorum quoque officiorum et amicitiarum ratio conseruata esse uideatur.* II. in Uerr. V, 69, 177. *ego mei iam rationem offici confido esse omnibus iniquissumis meis persolutam.* conl. §. 183. *cum receptum officium Siculis erit persolutum.*

Non fucosa) Uerbum et hoc notabile inter alia quae sunt aput ueteres rariora referendum est. (Ἔγκλησις) aduersus Tusculanos; ne hanc laudem nude impertiri Atinatibus arbitreris, quos ita extollit, ut illorum maleuolentiam deprimat. SCHOLIA UATICANA et AMBROSIANA.

Cassinas) Haec litterae duplicatio lapidum testimonio dampnatur a Cellario T. I. Geogr. p. 660.. GARATONIUS. Non sine caussa optumorum ac plurumorum codicum auctoritatem hic sequendam duxi, non ignorans, in Cic. Phill. II, 16, 40. optumum Uaticanum *Casinas* habere.

Tractus ille) De scriptura, quae ante me obtinuit, *totus ille tractus,* uide quae Proleg. L. II. C. I. §. 9. dixi.

Tota denique nostra illa aspera et montuosa et fidelis et simplex et fautrix suorum regio) Rom. sec. Uen. Heruag. et Lamb. *montosa.* Sic passim uariatur, ut in uoce adfini uidimus [*portentosus*] ad c. 27. pro domo, et in hac ipsa ostendit Drak. ad Liu. XXXIX, 1., quem consule. Utrumque ille usitatum putat; ego *montosa* lubenter iu Tullio praeferam, tum

quod ita fere optumi codices, ut uetustissumus Florentinus Orosii I, 2., tum quod *mons* littera *U* caret omnibus casibus, quo loco habet *I*, aut *E*; idque contra est in uocibus, *portentum*, *monstrum* etc., cum tamen codex item Florentinus ille Pandectarum L, 135. de U. S. *si portentosum, uel monstruosum, uel debile mulier ediderit*, exhibere uideam. Set hoc, ut uoles. Illut certe restituo, quod in edd. P. Man., Car. Steph., et Lamb. repperi, *at fidelis*, etiamsi Msi repugnent. Quid enim apertius, quam locum eam figuram requirere, quam *ἀντεισαγωγήν* Rhetores appellant; quae porro fit saepissume adhibita particula *at*; cuius loco ex frequenti permutatione atque ex similium uicinitate copula *et* huc inrepsit? Duo exempla uide aput Aquilam de figur. c. XIV., set ea non rara sunt aput Tullium. Adluditur autem hic manifeste ad Homericum illut de Ithaca notissumum: *τρηχεῖ', ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος, aspera, set bona puerorum altrix*: quod de hac ipsa regione, in qua natus erat, alibi usurpat Cicero, ut notabat Uictorius XXI. Uar. Lect. 23.. Is ibi hunc locum inlustrans pro uolgato firmoque habuit *at*; quod quidem Homerico illi *ἀλλά* ita respondet, ut uel inde potuerit huc optume arcessi. Hanc Latinorum ex Graecis, quos imitantur, emendandorum rationem commendare atque adhibere doctissumi quique solent, ut nuper Io. Schraderus I. Obseru. 5.. GARATONIUS. Minume opus est, ut, si aliis in locis asperitati regionis opponatur incolarum fidelitas ac simplicitas, id hoc quoque loco factum statuatur, cum non minus recte adiectiua illa *aspera, montuosa, fidelis* etc. particulis copulatiuis coniungi potuerint, si quidem certumst, regionum asperarum et montuosarum incolas fidelis etiam plerumque ac simplicis et olim habitos esse et nunc haberi. Ceterum huic loco ne aptam quidem *at* particulam puto, qua posita regionem illam, licet aspera sit et montuosa, certe fidelem esse et simplicem Cicero significaret. Quarum rerum oppositio a sensu huius loci alienissumast.

Arbitrabatur) Cod. D et Br. *arbitrabantur*, quod rectum est, cum *regio* pro regionis incolis usurpata nomen sit conlectiuom. Uide I. F. Gronou. ad Liu. IX, 41.. GARATONIUS. Probarem, si meliores libri adsentirentur.

A municipiis adsunt) Quamquam multi libri *ex municipiis* scribunt, idque ipsum probum dicendi genus est, tamen cum *a* praepositionem praeter alios codices etiam Bauaricus, optumus ille, tueatur, magisque pateat, cur quis pro *a* praepositione *e* posuerit, quam quomodo, *e* si posita fuisset, in *a* mutata sit, non dubitaui *a municipiis* scribere, id quod loci sententiae perquam etiam accommodatumst. Discrimen enim, quod inter utramque elocutionem intercedit, hoc est, quod *a municipiis adesse* cum dicitur, hominum habetur ratio, a quibus quis missus adest, contra cum *e municipiis adesse* quis dicitur, loci potissimum ratio habetur, unde quis uenit. Cfr. in Uerr. Act. I. c. III. §. 7. *Uidet etiam tot grauis ab amicissumis ciuitatibus legationes cum publicis auctoritatibus ac testimoniis conuenisse.* Sensit hoc etiam Bakius.

Equites Romani) De equitibus municipalibus Orellius conferri Phil. a Turre Monum. uet. Antii p. 368. iubet.

Cum legatione et testimonio) Alienast a sensu huius loci scriptura, quam plerique editores ex paucis malisque codicibus receperunt, *cum legationis testimonio*. Ita enim significaret Cicero, adesse a municipiis illis equites Romanos cum testimonio, quo ipsos, qui adferrent testimonium, legatos esse missos a municipiis declaratum esset. At primum nego umquam isto sensu *testimonium* esse dictum; deinde etiamsi dictum esset, num credibilest, hoc solo cum testimonio missos a municipiis illis equites Romanos ad iudicium esse? Immo non dubiumst, quin adtulerint equites illi scriptum aliquod, quo Planci innocentia a municipiis ostensa fuerit.

Idque ipsum necessario a Cicerone conmemorari nunc debuit. Conmemoratur autem, si scribitur *cum legatione et testimonio.* Cfr. pro Caelio II, 5. *idemque nunc lectissumos uiros et nostri ordinis et equites Romanos cum legatione ad hoc iudicium et cum grauissuma atque ornatissuma laudatione miserunt.* in Uerr. Act. I. c. III. §. 7. *Uidet etiam tot grauis ab amicissumis ciuitatibus legationes cum publicis auctoritatibus ac testimoniis conuenisse.* ibid. Act. II. L. II. c. 46. §. 114. *Hunc ciuitates ex Sicilia permultae testimonio suo legationibusque ob eam rem missis publice laudant.* ibid. *ceterae quidem ciuitates publice litteris, legationibus, testimoniis accussant, queruntur, arguunt.* ibid. Act. II. L. III. c. 31. §. 74. *Uerum non una te tantum, set uniuersae, similibus adflictae incommodis, legationibus ac testimoniis publicis persecuntur.* — Ceterum etsi, quam recepi, scriptura manifesto uiri docti, qui codicem Dresd. correxit, emendatiost, tamen eam ut facillumam recipere malui, quam id, quod in Lb, qui saepius manum interpolatricem expertus sit, scriptum legitur, *legatione testimonioque.* Uide Proleg. L. II. C. I. §. 1. p. XXX..

§. 23. *Labicana*) De hac forma, quam ex B et E pro uolgata *Lauicana* restitui, monuit Garatonius: „Lambinus aliis nescio quibus tribuit *Labicana;* et sane II. Agr. 35. *Labicos* editur; quam eandem inconstantiam in Liui editoribus reprehendit Drak. ad II, 39. Conf. Seruium ad Uerg. VII. Aen. 796. et ibi Burm., tum Fabrett. Diss. III. de Aquaed. n. 367. p. 1575. T. IV. Thes. Graeu., et hunc ipsum Graeuium ad Cic. Parad. VI, 3., ubi Labicum alio loco fuisse ait, quo nimirum ex Holstenio Cellarius II. G. A. 9. n. 577., et alii recentiores. Mediceae Uergili membranae *B* tuentur, quod mihi cum Syluio placet. Certe neque Tullium, neque Liuium uariasse puto. In ipsis uero lapidibus postea uariatum fuisse, nemo mirabitur."

Aut Bouillana) Quod in Msis Graeu. et meis et in ueteribus editis additum est *aut Sabina,* spurium est, et ex *Gabina* ortum uidetur. Garatonius.

Quibus e municipiis uix iam, qui carnem Latinis petant, reperiuntur) Oppida commemorauerat Lauicanum et Gabinium et Bouillas prope iam uacua et populi exiguitate deserta, quae Laterensem non tantopere suffragiis suis potuerint adiuuare. Quod uero mentionem petendae carnis fecit, pertinet ad consuetudinem sacri anniuersarii. Nam latiuae feriae a quo fuerint institutae, dissentiunt plerique auctores. Alii ab L. Tarquinio Prisco [1]) rege Romanorum existimabant [2]), alii uero a Latinis priscis. Atque inter hos ipsos causa sacrificii non conuenit. Nam quidam id initum [3]) ex imperato Fauni contendunt. Nonnulli post obitum Latini regis et Aeneae, quod ii nusquam comparuerant. Itaque ipsis diebus ideo oscillare instituerunt, ut pendulis machinis agitarentur, quoniam eorum corpus in terris non esset repertum, ut ani-

---

1) Tarquinium non Priscum set Superbum feriarum latinarum auctorem dicit Dionys. IV, 49.. Existumabat ergo Garatonius, tullianum scholiastem meum in errore uersari. Atqui cogitare debebat uir doctus et Tarquinium Priscum, Demarathi Corinthii filium, dici Superbum in digest. 1, 2, 2.; et eundem esse ueterum auctorum dissensum tum de libris sibyllinis acceptis, tum de iactis Capitolii fundamentis; quam utramque rem alii in Priscum Tarquinium, alii in Superbum conferunt, obseruante iamdiu Fabricio bibl. gr. 1, 31.. A. Maius in edit. Romana.

2) Mihi cum A. Maio *existimant* scribendum uidetur.

3) Cod. *initium.* Maius conferri pro Sylla XIII, 2. iubet

mae uelut in aëre quaererentur. Feriarum latinarum sacrificio solebat hoc obseruari, ut hostiam ciuitates adiacentes portiunculas carnis acciperent ex Albano monte secundum ueterem superstitionem[1]). Uerum tam exiguum in illis ciuitatibus numerum hominum significat, ut desint etiam qui carnem petitum de sollemni more mittantur. SCHOLIA AMBROSIANA. Ad haec Scholia notauit Garatonius: „Scholiastes de feriis latinis disserens, alios ab ipsis Latinis populis institutas ait existumare, alios a Tarquinio Prisco. Set eximius de illarum origine locus extat scriptoris probatissumi Halyc. Dion. IV. Antiq. 49., qui non Priscum, set Superbum Tarquinium auctorem facit, caussamque adiungit optumam foederis. At Scholiastes, *Quidam,* inquit, *id* (sacrificium) *initum* (sic enim lego, non *initium*) *ex imperato Fauni contendunt.* Hoc me alibi legisse non memini. Tum haec ibi secuntur: *Nonnulli — quaererentur.* Melius eadem uberiusque aput Festum p. 515. ed. Amstel. *Oscillantes ait Cornificius ab eo, quod os celare soliti personis propter uerecundiam, qui eo genere lusus utebantur. Causa autem eius iactationis proditur Latinus rex, quod proelio, quod ei fuit aduersus Mezentium Caeritum regem, nusquam adparuerit, iudicatusque sit Iuppiter factus Latiaris. Itaque per sex eos dies feriatos liberos seruosque requirere eum, non solum in terris, sed etiam, quia uideretur coelum posse adiri, per oscillationem, uelut imaginem quamdam uitae humanae, in qua altissima ad infimum, interdum infima ad summum efferuntur. Atque ideo memoriam quoque redintegrari initio acceptae uitae per motus cunarum lactisque alimentum, quia per eos dies feriarum et oscillis moueantur, et lactata potione utantur.* Hinc aput Scholiastam corrigi potest, *Itaque sex ipsis diebus.* Festus uero in uetere Aldina ed. an. MDXVII. rectius haec habet: *quod os celare sint soliti — sed etiam qua uideretur caelum posse adiri — in qua altissima interdum ad infimum, infima ad summum efferuntur.*" Haec Garatonius, contra quem A. Maius in nota ad Schol. Ambr. monet, alio loco VI, 95. ab ipso illo Dionysio non Tarquinium Superbum, set Priscum feriarum latinarum auctorem fuisse dici. Addit deinde: „Nihil interim uetat, quin arbitremur ferias a Prisco olim institutas, sollemniore deinde ritu a Superbo celebrari coeptas." Nolo huc adferre, quae depromi possunt ex Pitisci Lex. Ant. R. T. I. p. 774. sub u. *feriae latinae,* et T. II. p. 336. sub u. *oscilla.*

Adiungamus — patrem publicanum) Transitus fit ad quaestiunculam, qua humilitas generis obiciebatur Plancio, ut (codex *utut*) eapropter elargitus pecuniam uideretur, quoniam consequi aedilitatem familiae suae dignitate non posset. Publicanorum itaque Tullius ordinem necessario adserit, qui tunc ex equestri ordine accedebant ad uectigalium redemtionem. SCHOLIA AMBROSIANA.

Uel quod erat pater is — supplicabat) Cumulauit gratiam suffragantis de paterno etiam fauore, cui publicanorum societas adfuerit, ut filius eius ad optinendam aedilitatem potius adiuuaretur. SCHOLIA AMBROSIANA.

§. 24. *Ab sociis*) Quod perquam rarum, inquit Manutius, ut ab sociis publicani diligantur: ubi enim uectigalia exiguntur, ibi fere contentiones odiaque nascuntur. Mirum, qui hoc

---

1) Maius Cic. ad Att. I, 3. conparat: *auiam tuam scito desiderio tui mortuam esse; et simul quod uerita sit, ne latinae in officio non manerent et in montem albanum hostias non adducerent.*

uiro doctissumo potuerit in mentem uenire. Non intelleguntur hic socii siue uectigales, qui in prouinciis degunt, quibus nullus locus Romae in comitiis, sed socii publicanorum, qui et ipsi erant equites Romani. Quis ignorat publicanorum societates, de quibus ipse Manutius ad epistulas ad Familiaris? GRAEUIUS.

CAP. X.

Aliquid praeterea — adtulimus etiam nos) Necessario temperauit, gratiam suam non mediocriter profuisse, quando uir consularis testimonium beneficiorum in se conlatorum perhibens[1]) candidato multum potuerat promouere. Hoc uero ne esset insolens *et* superbum, praemisit adlegationem uerecundae timiditatis. SCHOLIA AMBROSIANA.

Timide dicam) Sic ego ex A pro ceterorum librorum scriptura *timide dico* dedi cum propter eam, quam Proleg. L. I. C. III. §. 6. p. XX. commemoraui, caussam, tum maxume propterea, quod Ciceronem in hoc loquendi genere semper futuro tempore usum esse uideo. Sic infra C. XXVI. §. 64. *Uere mehercule hoc dicam: sic tum existumabam.* II. de Orat. IV, 15. *set tamen, uere dicam, quaeuis mallem fuisset quam ista, quam dicis.* II. in Uerr. IV, 14, 32. *Uere mehercule hoc, iudices, dicam: memini Pamphilum — mihi narrare.* pro A. Cluent. XIX, 51. *sic pugnaui — ut hoc, quod timide dicam, consecutus sim, ne quis illi caussae patronum defuisse arbitraretur.* II. in Rull. V, 10. *Nam uere dicam, Quirites, genus ipsum legis agrariae uituperare non possum.* pro Sestio IX, 22. *Ego autem, uere hoc dicam, iudices, tantum esse in homine sceleris — numquam putaui.* XII. Phil. X, 24. *Timide hoc dicam: scio enim quiduis homini accidere posse.* de Legg. II, 2, 4. *Quin ipse, uere dicam, sum illi uillae amicior modo factus.*

Appellaui populum tributim, submisi me et supplicaui) Sic ego primus scripsi, quamquam Orellius iam Garatonio auctore *tributim* pro uolgata scriptura *tribubus* recepit. Set male illi *tributim* cum sequentibus coniunxerunt, quod ego ex codicis Erf. auctoritate cum antecedentibus coniunxi. Ceterum recte monuit Garatonius: „Ego *tributim* ueram esse lectionem puto, cuius uestigium superest in meo codice habente *tribuum.* Formulast optuma eaque rarior, et molesta librariis, ut uidimus ad c. 32. pro Mur.. Cum diligentiam suffragationis suae Cicero exponat, *appellaui,* ait, *populum, tributim* (populo) *submisi me et supplicaui;* haut profecto pleno tribus uniuscuiusque conuentui, nec singulis uniuscuiusque tribus hominibus, uerum notis, delectis, grauibus ex unaquaque tribu; ut quam plures posset tribus Plancio conficeret. Similiter de Scauri legatione IV. ad Att. 16. *populo tributim domi suae satis fecerat,* nummis per diuisores tribuum distributis: neque enim tribus ipsae integrae ad Scaurum uenerant. Item Lucilius, de quo ait Horatius II. Serm. 1, 69. *Primores populi arripuit populumque tributim,* singulis ex tribubus, quos notaret, delegit: haut certe singulorum ex omnibus, aut uniuersorum simul, qui una tribu censerentur, uitiast insectatus." Idem in Cur. Sec.: „Asconium addo in argumento Milonianae: *aperte quoque tributim in singulos mille assium dederat.* Sic enim legendum, ut *mille numum* dicitur, non *milia.* Mamertinus etiam in

---

1) *Perhibens;* sic ego correxi pro codicis scriptura *perfidens.* Uide interpr. Ambr. ad c. 15., ubi eadem locutione *testimonium perhibere* usus est. Nunc uideo idem coniecisse Niebuhrium et Madiugium.

Panegyr. Iuliani cap. XVI. *Quis ignorat, tum quoque, cum honores populi Romani suffragiis mandabantur, multos fuisse candidatorum labores? Ediscenda omnium nomina, tributim omnes atque etiam singuli salutandi.* Quod ego singulos haut rogasse M. Tullium existumaui, ne reprehendas. Differunt enim admodum candidatorum prensatio et uiri consularis candidatum conmenda tis officium."

Ultro — rogaui) Admirabiliter nec humilem se fecit in praecibus, nec tamen plurimum adiuuisse testatus est. Sic et pro reo satis causae facit, et dignitatis suae ornamenta custodit, dicendo: non defuisse praeces suas, quibus populus uerecunde obsecutus sit, ultro se etiam offerens gratiae referendae ad eum promtissime designandum, cui uir tam bene de re p. meritus suffragaretur. SCHOLIA AMBROSIANA.

§. 25. *Nec si uir amplissimus — non impetrauit*) Sagacissime animaduertit, quid a parte diuersa posset opponi: Non mirum, si nihil [1]) pro Plancio Tullius ualuisse uideatur, cum pro alio sibi coniunctissimo candidato uir potentissimus nihil promouerit, cum illi designando studeret. Significare autem candidatum uidetur T. Ampium, suffragatorem uero Cn. Pompeium; de quibus tam se quam Pompeio sic uult accipi Tullius suspicionem, ut ipse quidem pro Plancio ualuerit miserabiliter et demisse petendo, Pompeius non item pro Tito Ampio, utique pro sublimitate nominis et potentiae superbius hoc sibi aput populum uindicans [2]). SCHOLIA AMBROSIANA. T. Ampius Balbus Cn. Pompeio coniunctissumus certe fuit; quem Uelleius II, 40. in tribunatu legem de Pompeio tulisse scribit, *ut is ludis Circensibus corona laurea et omni cultu triumphantium uteretur, scaenicis autem praetexta coronaque laurea:* qui Pompeianae parti tam studiose, tam constanter adhaesit, ut ab inimicis *tuba belli ciuilis* appellaretur (VI. Epist. 12.), et pro illa parte Capuae *dilectum diligentissume habuerit* (VIII. ad Att. 11.); Ephesi denique, inperium habens, *ex fano Dianae pecunias tollere conatus sit,* ut Caesar III. B. Ciu. 105. memoriae prodidit, ad bellum illut scilicet contra Caesarem sustentandum. Exolauit tandem uictus cum Pompeianis; reditum tamen, acrioribus e Caesaris comitatu repugnantibus, uictoris benignitate inpetrauit. Quo quidem tempore simile quiddam extitit huic Ciceronis erga Plancium suffragationi. *Rogatio ipsa semper,* inquit, *est gratiosissuma, quae est officio necessitudinis coniuncta maxume — non potentia mea, set caussa rogationis fuit gratiosa.* Ita de T. Ampi restitutione VI. Epist. 12. *Ualent aput Caesarem non tam ambitiosae rogationes, quam necessariae: quam quia Cimber habebat, plus ualuit, quam pro ullo alio ualere potuisset.* C. Pansa gratia, ut ille ait, et auctoritate aput C. Caesarem ualebat; L. Tillius Cimber sola ualuit caussa rogationis: Cicero aput populum his rebus omnibus ualuisse putandus est. Porro ex eadem epistula bonis litteris Ampium deditum fuisse cognoscimus. *Quom,* inquit, *studium tuum consumas in uirorum fortium factis memoriae prodendis, considerare debes, nihil tibi esse conmittendum, quamobrem eorum, quos laudas, te non simillumum praebeas.* Hunc uero etiam

---

1) Pro *nihil* Ang. Maio et Garatonio *aliquid* legendum uidetur. Facilius corrigi *non nihil* poterit.

2) De Pompeio trudente candidatum comitiorum tempore omnibus inuitis uide etiam ad Att. I, 16. ANG. MAIUS.

Tullio coniunctum haut mediocri amicitia fuisse, studium testatur satis, quod ut ab exilio renocaretur, ei Cicero praestitit. Diserte praeterea XIII. Epist. 70. *Nam cum T. Ampio Balbo mihi summa familiaritas necessitudoque est.* Repulsam denique tulisse uidetur aedilitatis, quae tamen admodum recens esse non potuit. Quom etenim ex Pighi rationibus T. III. Annal. p. 576. (Ed. 1615. p. 524.) T. Ampius tribunus fuerit anno DCXC. (a. 691. Almel.), Praetor uero anno DCXCV. (a. 696. Almel.), spatio, quod interest, petitio aedilitatis includitur, et ab anno DCXCIX. (a. 700. Almel.), quo defensus est Plancius, fere nouennium distare potest. GARATONIUS. Recte etiam A. Maio de aedilitatis repulsa, quam tulerit T. Ampius, loqui hic Cicero uidetur.

Rogatio ipsa semper est gratiosissima) Quoniam ἀμφίβολον[1]) uerbum est, et interdum potest rogationem, id est ψήφισμα[1]) significare, idcirco hic admonendum lectorem putaui, *per* rogationem a Tullio cum maxime petitionem significari, quae facta sit pro candidato. SCHOLIA AMBROSIANA. Male Ambrosianus *haec* scribit pro *ipsa*, quod est aptissume dictum. Facit enim, ut rogationem ab eo, qui rogat, discerni intellegamus. Nam hoc dicit Cicero: non mihi, id est non gratiae meae et potentiae adrogo, quod pro Plancio laborans ualui, set rogationi, quae ipsa, id est quae, etiamsi is, qui rogat, non sit homo amplissumus (quod dicit respectu habito Pompei), tamen plurumum solet ualere, cum est officio necessitudinis coniuncta maxume. Eiusmodi autem fuit rogatio Ciceronis. Ceterum uid. Proleg. L. I. C. III. §. 6. p. XX sq..

Quae est officio) Cur cum B *est* non eiecerim, Proleg. L. II. C. I. §. 4. p. XXXI sq. dictum.

Set ut quasi parenti et custodi salutis meae) Sic necessario ex B et E auctoritate pro ceterorum codicum lectione *custodi meo* scribendum putaui, quamquam Ernestio uerba *salutis meae* glossa uisa sunt, monenti: „mihi uidetur esse glossa: *meo* commune est *parenti* et *custodi.* Infra etiam est, *quod me custodierit.*" Contra quem optume monuit Garatonius: „Lambinus *set quasi pro parente et custode meo.* Atqui eleganter *ut* repetitumst, et datiuos egregius est. Set rogandi caussa neque satis aperta erat, cum tamen locus apertissumam postulet, neque satis concinne posita, priusquam opem tulerit Erfurtensis, quem a cel. Ernesto miror glossemate corruptum putari. Non modo aput Tacit. III. Annal. 14. *custos salutis* occurrit, set Cicero etiam supra initio ipso, *Cn. Planci in mea,* inquit, *salute custodienda fidem:* in peroratione c. 42. *non ego meis ornatum beneficiis a uobis deprecor, iudices, set custodem salutis meae.* Ubi quod addit, *pro uno filio duo patres deprecamur,* ostendit, ut opinor, Ciceronem hic *parenti meo* non fuisse dicturum. At *parentem salutis nostrae* P. Lentulum appellauerat consulem, per quem restitutus fuerat, ad Quir. 5., quam quidem ibi lectionem ab hoc loco firmari magis arbitror, quam inde auxilium huic petendum. Quia uero nimium Plancio tribui, merito illius isto conmemorando, et querebatur iam Laterensis c. 40., et alios hinc existumare ipse nolebat, idcirco addidit *quasi;* cuius uim particulae *ut* deleto fregit Lambinus. Plancius reuera *custos* et propterea *quasi parens* fuit *Tullianae salutis.*" Idem Garatonius in Cur. Secundis haec addidit: „Etiam pro Sextio c. 69. Milonem appellat *custodem salutis suae.* Tam sollemnis locutiost, ut Quinctilianus Inst. orator. V, 11. p. 438. *Dionysium* dixerit *petere custodes salutis suae,* cum Aristoteles, unde sumpsit, nihil aliut habeat, nisi *αἰτῶν τὴν φυλακήν.*

1) Pro uerbis graecis, quae A. Maius ex coniectura posuit, lacuna in codice est.

Iam uero *custodi meo,* quod praeferebat Ernestus, neque satis plenumst, neque uim habet eam, quae postulatur. Contra *custos salutis* rationem continet, cur *quasi parens* Plancius appelletur, et respondet inferiori loco c. 42., quo eundem uocat *seruatorem capitis sui.* Est etiam σωτήρ ipso auctore Tullio II. in Uerr. 63. *qui salutem dedit.* Paratas autem a reliqua coniuratorum manu insidias uitae suae fuisse testatur infra c. 41.. Hac de caussa parens alter Plancius uidebatur. Quod cum per similitudinem, etiam ubi absolute *parens* alienus aliquis dicitur, intellegi debeat, huius exemplum similitudinis cap. 30. extat insigne. *At id etiam gregarii milites faciunt inuiti, ut coronam dent cuiquam ciuicam, et se ab aliquo seruatos esse fateantur, non quo* etc., *set onus benefici reformidant, quod permagnumst, alieno debere idem, quod parenti.* Is igitur a Cicerone honos habetur Plancio; quo de genere longe splendidiorem ipse tulerat a Q. Catulo senatus principe, qui eum Catilinae coniuratione deleta in senatu *parentem patriae* nominauit; cum quidem L. Gellius ei *coronam ciuicam* a re publica deberi dixerit. Uide Fabric. in Cic. historia ad ann. DCXC.. De loco simili post red. in sen. c. 14. infra erit ad c. 30. dicendi fere necessitas." Haec Garatonius, contra quem qui deteriorum librorum scripturam *custodi meo* defendere uolet, necessest primum doceat, Plancium simpliciter a Cicerone *quasi parentem suum* dici potuisse, deinde *custodem alicuius* eum posse dici, qui in singulari quodam casu uitam alicuius, ut Plancius Ciceronis in Macedonia, aliquando praesidio suo custodiaque texerit. Quod cum doceri nullo exemplo possit, necessario patet *custodi salutis meae* scribendum, totumque locum, *set ut* etc. ita ut fecit Garatonius explicandum esse. Postremo falsum etiam illut est, quod Ernestius ad defendendam scripturam *custodi meo* paulo infra *me custodierit* legi monuit. Ne hoc quidem simpliciter de Plancio aut potuit dici, aut dictum est. Uerba, quae respicit Ernestius, haec sunt §. 26.: *Plancio, quod me uel ui pulsum uel ratione cedentem receperit, iuuerit, custodierit* etc.. Denique uide Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XL sqq..

§. 26. *Cui nomen [meum] absentis honori fuisset*) Cur *meum* pronomen uncis incluserim, dictum in Proleg. L. II. C. I. §. 8. est. De genitiuo *absentis* post pronomen *meum* Garatonius conferri iubet IV. in Catil. 11. et c. 36. pro domo. Brut. ad Cic. Ep. 7. *qui uostris paucorum respondeat laudibus.* Bithynic. VI. ad Diu. 16. *contentus ero nostra ipsorum amicitia.* Martial. VII, 50. *si tenet absentis nostros cantatque libellos.* Liu. XXXVI, 7. *uim tuam praesentis exercitusque tui experiri.* et Zinzerling. Promuls. Crit. c. 35. Orellius addit Catull. Com. Beren. u. 51. ibique Ualcken. Res est notissuma.

An Minturnenses coloni — eripuerunt) Iam narratum a me hoc exemplum plenissime scio de C. Mario, qui Syllanis armis cedens cum filio in Minturnensium paludibus latuit. Inde emissus, quoniam non potuisset occidi, nauigio inpositus in Africam peruectus ad usque dirutae Kartaginis fines. Inde armis Cinnanis in Italiam restitutus, et adeptus denique septimum consulatum. SCHOLIA AMBROSIANA. Exposuit interpres ea de re in codice uaticano ad orat. in sen. post red. C. XV. p. 41. ed. Mai. Rom.. Eandem rem a Cicerone expositam uidere licet post red. ad Quir. IX, 20., pro Sestio XXII, 50., et in Pison. XIX, 43.. Omnino saepissume honorificam C. Mari mentionem facit. Cfr. III. in Cat. X, 24., IV. in Cat. X, 21., pro C. Rabir. X, 27., et de Or. III, 2, 8.. Fugam autem illam Mari plenissume exposuit Plutarchus in uita eius c. XXXVI — XL. p. 870 — 879. ed. Reisk. et H. C. Reiff Geschichte der Röm. Bürgerkriege. T. I. p. 263 — 269..

E ciuili ferro) Sic ex A pro uolgato *e ciuili errore* probante Garatonio, et quod maius est, sensu postulante restituimus. Conparat Garatonius X. ad Att. 4. *elapsus e soceri manibus ac ferro.*, I. Tuscul. 35. *nudus in seruorum ferrum et manus incidisset.*, et pro Milone c. 7. *quotiens ego ipse, iudices, ex P. Clodi telis et ex cruentis eius manibus effugi.* Adde, si opus est, pro domo XXIII, 59. *quotiens ex uostro ferro ac manibus est elapsus.* et de Or. III, 3, 12. *ciuilis ferri subeunda fuit crudelitas.*

Quod fessum inedia fluctibusque recrearunt) Quibus *fluctibus?* cum nondum mare tetigisset. Nec in illa palude fluctus erant, in qua inter arundines latebat; nisi augendi caussa oratorie sic dixit. ERNESTIUS. Recte Garatonius meliora Ernestium Plut. Mar. c. 36 sq. edocere potuisse monuit. Idem Garatonius iure dissensit a Graeuio, qui ex Franci primi auctoritate post *fluctibusque* addi *confectum* uoluit. *Fluctibus* est, ut alibi, *fluctuum agitatione,* qua recte aliquem *fessum* posse dici sponte patet. Cfr. Proleg. L. II. C. I. §. 1..

Uotis ominibusque) Uide quae de scriptura huius loci Proleg. L. II. C. I. §. 11. exposui, ubi editorum etiam omnium adnotationes integrae repetitae sunt.

Quod me uel ui pulsum uel ratione cedentem) Prudenter hoc suspendit, ne aut damnatus aut exul fuisse umquam uideretur. Et uis enim propior est iniuriae quam accusationi, et ratio, qua se dicit maluisse urbe recedere, respectum habuisse potest utilitatis publicae, ne periculosa multis seditio moueretur. SCHOLIA AMBROSIANA. Inepte post *cedentem* additum *tempori* uidi a Nang.; tum eiectum a Lambino repetitores illius ineptius etiam rettulerunt. Pro domo 22. *quid igitur ego cessi?* pro Mil. 34. *ego cedam atque abibo,* h. e. patriam relinquam. Similiter alibi. Scio equidem pro Sext. 29. 30. de suo exilio Tullium dixisse, *cedere tempori,* set confer eos locos, et nihil huic suffragari perspicies. GARATONIUS. Recte quidem etiam *tempori cessisse* Cicero dici potest cum exolaret, set hic ubi de beneuolentia agitur, qua exolans a Plancio sit receptus in Macedonia, ineptissumum illut additamentumst.

His et senatui populoque Romano) Cum Garatonius in Barb. a prima m. *is et,* a sec. uero *et is* scriptum repperisset, monuit ad hunc locum: „Mihi profecto ferendum *his* non uidetur: qui enim erant addendi senatui populoque Romano? iudices, aduocati, corona omnis in iis nominibus continebantur. Quos appellare non oportebat, an ii etiam erant ante senatum ipsum appellandi? Melius dixisset, opinor, *rei p. et senatui.* Set ferri potest *et is,* uel *isque:* neque tamen uerum puto. Cursus enim orationis expeditior, locusque omnino nitidior fiet, uocula illa sublata. Uidetur *is* primo additum ex glossa, in *his* deinde conuersum.“ Nihil uerius scriptura uolgata. Recte Cicero iudices, quorum beneuolentiam captat, primo loco conmemorat, discernitque ut alibi a senatu populoque Romano. Uide quos supra eam in rem locos adtulimus p. 66 sq. et confer huius orat. §. 71.: *Et quemquam putas fuisse tam excordem, qui uiuis his, stante urbe et curia, rediturum me si uiuerem non putaret?*

CAP. XI.

§. 27. *Uitia mehercule Cn. Planci res eae*) Uide quae de his uerbis Proleg. L. II. C. I. §. 15. dixi.

Hic est enim, qui — dilectus est) Ante actae uitae officia recensentur quadam

subiecta ἀναδιπλώσει [1]) numerante oratore, quibus locis quibusque temporibus, et cuiusmodi uirorum iudicio Cn. Planci mores comprobati sint. Quod ipsum statim uigilanter erga personam Torquati facit, cuius grauitatem et sanctimoniam non otiose testificatus est, sed quo magis Plancius ornaretur, quem familiariter ille dilexerit. Et quoniam Torquatus idem praesens non erat, in eius patruelem conferendam putauit uicem testimonii, ut perinde haberetur, atque si adesset is, cuius ualidior esset auctoritas. SCHOLIA AMBROSIANA. Non modo *est* deleo, quod in Bau. deest, uerum, quod consequens est, etiam *qui*, ut optume lectio constituatur: *hic enim adulescentulus cum A. Torquato profectus in Africam, sic ab illo — dilectus est, ut* etc.. Tulliana consuetudo sic postulat. GARATONIUS. Uide quae Proleg. L. I. C. III. §. 4. et L. II. C. I. §. 4. contra Garatonium monui.

Fuit in Creta postea contubernalis Saturnini, propinqui sui, miles huius Q. Metelli) Gratiosum [2]) fuisse uideri poterat, si adseueraret eum Saturnino propinquo suo placuisse; maluit ad iudicium Q. Metelli confugere, ut uere cognitis uirtutibus Planci existimauerit adulescentem per omnia spectatissimum. Significat autem Q. Metellum, qui Creticus cognominatus est, bello aput Cretam feliciter gesto. Omnia haec sunt... [3]) SCHOLIA AMBROSIANA.

Saturnini) Qui uidetur cum Q. Metello, cui postea Cretici cognomen a Creta deuicta fuit, quaestor fuisse; legatus enim non fuit, quia legati infra nominantur. MANUTIUS.

Huius Q. Metelli) Recte hoc ex loco Norisius Cenot. Pisan. I. 5. conlegit, uixisse adhuc Metellum Creticum post orationes pro domo et de Har. Resp. habitas. Confer ad c. 47. pro domo Ferratium. GARATONIUS. Manutius Q. Metellum uel aduocatum uel iudicem adfuisse monuit.

Cui cum fuerit probatissumus) Cum antea *quibus* legeretur, id ipsum autem neque optumorum neque plurumorum codicum auctoritate niteretur, scribendum *cui* putaui, quod aperte scholiastes Ambr. legit, monens: *maluit ad iudicium Q. Metelli confugere* etc.. Cfr. Proleg. L. I. C. III. §. 8. p. XXII..

C. Sacerdos) Praetor fuit ann. DCLXXVIII. (679. Alm.), ut ex Uerrinis cognoscitur; deinde non exiguo interuallo legatus praetorius Q. Metelli Cretici ann. DCLXXXV. (686. Alm.) et ab ea legatione reuersus consulatum petiuit cum Cicerone anno DCLXXXIX., ut narrat Asconius in arg. orat. *in toga candida,* ab eiusque consulari repulsa undeuigesimus hic erat annus. Nisi forte duo fuerint eodem tempore C. Licinii Sacerdotes, ambo magistratus adepti. GARATONIUS.

L. Flaccus) Is est, quem Tullius praetorium defenderat, de quo in oratione pro ipso habita c. 3.: *Bellum Cretense ex magna parte gessit, atque una cum summo inperatore sustinuit;* ibidemque c. 26.: *quibus locis nuper legatus L. Flaccus inperatore Metello praefuit.* Atque hic iudicio repetundarum absolutus in Macedoniam legatus L. Pisoni proconsuli est pro-

---

1) Pro uerbo graeco, quod posuit Maius, uacuum spatium in codice.

2) Non probo, quod Maius ante *gratiosum,* nullo in codice relicto uacuo spatio, *quoniam* posuit. Multo probabilius est, inter *maluit* et *ad* excidisse *itaque.*

3) Spatium duorum uersuum in codice uix ulla coniectura replendum. ANG. MAIUS.

fectus, ut ad arg. pro eodem diximus; et nunc ea legatione perfunctus Romae commorabatur. GARATONIUS.

Adsiduitate) Aduocationis constantia; cum semper adsunt, cum caussa agitur. u. Clau.. Eadem adsiduitas, set aliis uerbis de legatis Macedonicis narratur. ERNESTIUS.

§. 28. *Ob aliam caussam*) Cum prouinciae mandatis. MANUTIUS.

Legationem suam et mandata) Uide quae dixi Proleg. L. II. C. I. §. 15..

L. uero Apuleius) Cuius in Macedonia quaestor Plancius fuit. Monuit iam Manutius.

Qui praescribit in parentum loco quaestoribus suis praetores esse oportere) Cfr. Diu. XIX, 61. *Sic enim a maioribus nostris accepimus, praetorem quaestori suo parentis loco esse oportere; nullam neque iustiorem neque grauiorem caussam necessitudinis posse reperiri, quam coniunctionem sortis, quam prouinciae, quam offici, quam publicam muneris societatem.*

Tribunus plebis fuit — esset tribunus) Nihil egerat in tribunatu suo Plancius aliqua praestanti laude dignissimum. Quin immo etiam uidebatur hac potestate segnius functus. Quoniam nullas ergo uirtutes eminentissimas habuit, quas de illo praedicaret, idcirco aliquid ei uolens adquirere ad suspicionem ignauiae repellendam, non tam uehemens, inquit, tribunus fuit quam ceteri. Et uiuaciter conclusit: quales si omnes semper fuissent, numquam desideratus uehemens esset tribunus; id uolens intellegi, per seditiosos et turbulentissi*mos* [1].... SCHOLIA AMBROSIANA. Cum Plancium segnius tribunatu suo quam quosdam conlegarum functum Cicero negare non posset, laudem ei adquirere ex eo studet, quod nihil in tribunatu eiusmodi molitus sit, ut qui obsisterent tribunis uehementibus opus fuerit; recteque sane numquam futurum fuisse monet, ut tribuni uehementes desiderarentur, si omnes ut Plancius a rebus nouis moliendis sese abstinuissent. Ita etsi scite et callide Planci tribunatum laudat, reuera tamen minume nec potuit probare, cum illius anni tempora flagitarent, ut uehementis se tribuni praestarent, qui recte gubernasse rem publicam uideri nellent, nec probauit umquam, ubi ex animi sententia de tribunis illius anni iudicium fecit.

Quam isti, quos tu iure laudas) Primum errare monendumst interpretes, qui pronomine *isti* alios quam conlegas Planci intellegendos putant, ut Ferratius Epp. Lib. II. ep. 10. p. 112., recte ceterum de hoc loco exponens. Laudauerat Laterensis inprimis L. Racilium, de quo uide quae ipse Cicero Laterensi §. 77. respondet, aliosque,. qui a parte optumatium steterant. Deinde permirumst, quomodo cum aliis uiris doctis, tum inprimis Ernestio uerbum *iure* suspectum potuerit esse. Aptissume enim hoc additumst, quo Cicero et istos tribunos, a Laterense laudatos, et Plancium significat laudandos esse, illos, quod perniciosis aliorum conatibus fortiter restiterint, hunc, quod ipse nihil contra rei publicae salutem molitus sit.

CAP. XII.

§. 29. *Quae si minus in scaena sunt*) *Esse in scaena* dicitur, quod oculos hominum in se conuertit, ut plurumis notum sit et laudatum. Ouid. I. Trist. El. 9. *Scaena manet dotes grandis amice tuas.* Cic. XII. ad Fam. 65. *Magnum theatrum habet ista prouincia.* Omnibus patet, quicquid in illa prouincia geritur. GRAEUIUS. Addidit Garatonius Horat. II.

1) Desideratur folium in codice.

Serm. I, 71. *Quin ubi se a uolgo et scaena in secreta remorant Uirtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli.*

Multo secus est parens) Cur *est* retinuerim, Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XLII. dixi.

Cum uidetis luctus societatem) Indicatiuom *uidetis* non solum quod optumi libri tuentur praeposui coniunctiuo, uerum etiam quod sensui unice accommodatus est. Hoc enim dicit Cicero: Saturnini quanta honoris huius cupiditas fuerit, ex eo potestis coicere, quod, ut uidetis, luctus socius est. Ob eandem caussam statim post dixit: *quid de his tot uiris talibus, quos uidetis ueste mutata.* Tenendumst autem, *cum* particulam, quotiens *eo, quod* significet, id quod saepe significat, necessario indicatiuom adsciscere. Cfr. II. in Uerr. II, 64, 155.: *Hi cum de tuis factis publice conqueruntur, nonne hoc indicant, tantas esse iniurias* etc.; pro C. Rabir. VI, 18. *Nihil me clamor iste conmouet, set consolatur, cum indicat, esse quosdam ciuis inperitos, set non multos.* huius ipsius or. XXXII, 78. *Atqui haec cum uides, quo me tandem in te animo putas esse, Laterensis?* de Or. II, 37, 154. *quo etiam maior uir* (Numa) *habendus est, cum illam sapientiam — cognouit.* Id. ad Diu. IX, 14. *gratulor tibi, cum tantum uales aput Dolabellam.* Ibid. XIII, 24. *tibi gratias ago, cum tantum litterae meae potuerunt, ut iis lectis omnem offensionem deponeres.* Ibid. XVI, 16. *mihi gratissumum fecisti, cum eum — amicum quam seruom esse maluisti.* Terent. Andr. IV, 5, 52. *dis pol habeo gratias, cum in pariundo aliquot adfuerunt liberae.* Adelph. I, 2, 45. *est dis gratia, cum est unde haec fiant.* Heautont. II, 2, 58. *Magnum hoc quoque signumst, dominam esse extra noxiam, cum eius tam negleguntur internuntii.* ibid. II, 3, 2. *Aedepol te, mea Antiphila, laudo et fortunatam iudico, id cum studuisti, isti formae ut mores consimiles forent.* Hecyr. III, 8, 53. *Nam ut hic laturus hoc sit, si ipsam rem ut siet resciuerit, non aedepol clam mest, cum hoc, quod leuius est, tam animo iracundo tulit.*

Atqui haec sunt indicia, iudices, solida et expressa; haec signa probitatis, non fucata forensi specie, set domesticis inusta notis ueritatis) Haec est uolgata huius loci scriptura, in qua permirumst, neminem paene editorum offensum esse, nisi quod Garatonius et Schutzius eam probandam scripturam putarunt, quam Ursinus in manuscripto suo extare dixit uolgataeque praetulit: *Atqui haec sunt indicia solida, iudices, haec expressa signa* etc., nihil praeterea monentes, cur uolgata displiceret. Offendit etiam aliqua ratione Lambinus, corrigens: *Atqui haec sunt indicia solida, iudices, et expressa uirtutis; haec signa* etc. set nihil mutauit, nisi quod *uirtutis* ex coniectura addidit. Ex codicibus non potest quicquam auxili peti, qui omnes in uolgatam scripturam consentiant. Ab Ursino autem quae conmemorata scripturast, neque certo scimus, num ex codice petita sit, neque, si sciremus, digna esset, quae respiceretur, cum praeterea nihil umquam boni ex codice illo prolatum sit, ideoque solius eius dissensus nihil aput nos ponderis habere debeat. Uide Proleg. p. VII.. Accedit, quod ea minume offensio loci tollitur, quae in eo potissumum positast, quod *indicia* dicuntur *solida* et *expressa.* Utriusque enim adiectiui eam inter omnis constat significationem esse, ut de rebus, quae dicuntur, concretis usurpentur. Nam *solidum* id dici notumst, quod frangi, deleri, uinciue non potest, ideoque rebus *fragilibus* opponitur. Pariter *expressum* id proprie ac sollemniter dici consueuit, quod ad similitudinem alicuius rei quacumque ratione factumst, maxumeque *expressae* dicuntur figurae, quae cera, argilla, gypso ad similitudinem aliarum effictae sunt. Iam etsi minume me fugit, utrumque adiectiuom metaphorice etiam de rebus non concretis usurpari, tamen cum nec per se probabile sit nec ullo confirmari exemplo possit, ambo adie-

ctiua coniuncta metaphorico sensu usurpata esse, multo minus autem *indicia* aut *solida* umquam aut *expressa* sint dicta, contra frequentissume *signa* similisque significationis uerba *solida* et *expressa* dicantur, eaque ipsa adiectiua ut hic quoque ad uerbum *signa* referamus, sequentia *non fucata — ueritatis* manifesto postulent: equidem nullum dubitandi locum relinqui credo, quin Ciceronis oratio ab interpretibus interpolata, eaque re quae uerba antiquitus cohaeserunt arctissuma pessume a se diiuncta sint. Ciceronem autem ita mihi persuasumst scripsisse: *Atqui haec sunt, iudices, solida et expressa signa probitatis, non fucata forensi specie, set domesticis inusta notis ueritatis.* Quae scriptura quam egregie et usui conueniat et totius loci sententiae, in promptust uidere. Cfr. Cic. pro M. Caelio V, 12. *Habuit enim ille permulta maxumarum non expressa signa, set adumbrata uirtutum.* in Consol. p. 1181. ed. Ern. *In qua non ficta et adumbrata, ut in multis, set maxume solida et expressa uirtutis elucebat effigies.* de Off. III, 17, 69. *Set nos ueri iuris germanaeque iustitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus: umbra et imaginibus utimur.* pro Arch. poet. XII, 30. *An cum statuas et imagines, non animorum simulacra set corporum studiose multi summi homines reliquerunt: consiliorum ac uirtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus summis ingeniis expressam et politam?* de Nat. Deor. I, 27, 75. *Illut uideo pugnare te, species ut quaedam sit deorum, quae nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis*, etc.. Sola haec exempla uel me non monente satis docebunt, *signa* dici *solida,* quae ex materia arcte et firmiter cohaerente constent, et *expressa,* quae figuram plenam ac singulas eius partis eminentis et perspicuas repraesentent. Continuo facilest intellectu, accommodatissume his adiectiuis respondere, quae accuratioris explicationis caussa a Cicerone addita sunt, *non fucata forensi specie, set domesticis inusta notis ueritatis.* Ac prioribus quidem, *non fucata forensi specie,* manifesto explicantur *signa expressa.* Nam ut corpora maxumeque uoltus dicuntur *fucati*, qui obducti sunt aliqua re, qua uerus eorum habitus ac forma occultetur, sic signa *fucata* sunt *non expressa,* siquidem specie illa, qua sunt obducta, efficitur, ut singularum partium forma accurate cognosci non possit. Contra *solidis signis* respondent aptissume *domesticis inusta notis ueritatis,* id est eiusmodi, quibus firmiter inpressae sunt domesticae notae ueritatis. Quemadmodum autem *forensis species* est externa, qua fallitur populus omninoque ii, quibus non licet adtrectare diligentiusque considerare signa, sic *domesticae notae ueritatis* sunt internae, quibus uere cognosci signa possunt. — Cum egregie sententiam ex nostra emendatione procedere demonstrarimus, unum illut monere restat, quomodo deprauari genuina manus Ciceronis tantopere potuerit. Atque hoc quidem quiuis intelleget, uerbum *indicia* explicandi *signa* caussa adpositum esse. Id uero cum esset a librariis eo loco, quo extat in codicibus, receptum cumque eo adiectiua *solida* et *expressa* coniuncta, pronominis *haec* additio ad sententiae integritatem necessaria debebat uideri.

Facilis est illa occursatio et blanditia popularis) Cum in antecedentibus Cicero probitatem hominis dixisset ex eo luculentissume apparere, si quis cum propinquis et necessariis maxumis amoris uinclis iunctus esset, ideoque suorum amorem ac reuerentiam aliquem probitate tantum conciliare sibi posse ostendisset: aptissume eum patet sic pergere, ut dicat, *Facilis — popularis,* hoc sensu: facilest populo occursare et blanditias dicere, quibus fauorem eius tibi concilies, id est, facilest ciuium beneuolentiam blanditiis et occursando conligere, licet quis uera uirtute non sit praeditus. Hinc sponte intellegitur, alienissumam esse Baki coniecturam, pro *facilis* legi *fragilis* iubentis.

Aspicitur, non adtrectatur; procul apparet, non excutitur [, *non in manus sumitur*]) Explicatur his uerbis, cur facilis sit occursatio et blanditia popularis. Quod ita facit orator, ut blandam illam populum tractandi rationem ueluti simulacrum quoddam aut signum fingat esse. Quocirca *aspicitur,* inquit, *non adtrectatur.* Etsi certumst exploratumque, quid *adtrectare* significet, tamen propter sequentia diserte monendum puto, nihil esse aliut, nisi *in manus sumere,* uel *manibus terere.* Cfr. Liu. V, 22. *quod id signum* (Iunonis) *more Etrusco nisi certae gentis sacerdos adtrectare non esset solitus.* Addit Cicero, *procul apparet*, *non excutitur.* Quibus uerbis significat, ut metaphoram retineamus, multos ne accedere quidem proxume ad signum, set e longinquo aspicere, ideoque minume perscrutari diligenter et examinare. Post haec quae in codicibus omnibus addita reperiuntur uerba, *non in manus sumitur,* licet nemini ante me suspecta sint uisa, ego tamen sine dubitatione uncis inclusi. Meram enim uerborum *non adtrectatur* explicationem continent, hocque certius est, non uenisse ex ore Ciceronis, quod, nihil aliut cum significent quam quod iam antecedentibus dictumst, extremum tamen periodi locum obtinent, quo grauiora poni uerba solent, membrorumque aequalitatem, quam studiose quaesisse Ciceronem scimus, prorsus euertunt.

§. 30. *Nonnullis rebus*) Cum *omnibus rebus* antecesserit, est hic superuacuum *rebus* et fortasse delendum. Quamquam si accurate loquendum est, esse oportuit *una re:* nam *genus* et *nomen* una res est, ut supra c. 7. *est tuum nomen utraque familia consulare,* nihilque aliut nisi nobilitatem significat. Etiam uide c. 6.. Iunguntur ea fere semper, ut loci Tulliani demonstrant aput Pareum in Lex. Crit. Mantissa p. 36.. Garatonius. Uerborum *generis* et *nominis* non unam esse eandemque notionem, Garatonius ex ipso illo, quod adtulit, exemplo, *est tuum nomen — consulare,* certissume potuit conligere. Minume enim dici licuit: *est tuum genus utraque familia consulare.* Immo *genere* superior erat Plancio Laterensis, quod maiores eius magistratus curulis gesserant, *nomine,* quod familia, in qua natus fuit, consularis erat. Nam poterat *genus* nobile esse, ac tamen *nomen* utraque familia non consulare. Quod praeterea Garatonius uerbum *rebus* deleri uolt, id minume probari potest. Nam omnes illae res, quibus ornatum dicit Plancium, et externae et domesticae erant. Itaque post *nonnullis* si omisisset Cicero *rebus,* credere deberemus, eum de rebus externis aut domesticis loqui pergere, id quod minume facit. *Rebus* autem *externis* uita eius publica, *domesticis* uita priuata significatur.

Inferiorem quam te) *Quam* elegantius abesset, set quia et alia quaedam huius formae exempla sunt, feramus; quamquam in illis exemplis multum incerti est. Set fortasse totum hoc *quam te* est ex interpolatione. Ernestius. Egregie lapsum Ernestium esse Garatonius monet, quod in elocutione *inferior sum quam tu* offenderit, illiusque elocutionis plura adfert exempla; ex Brut. 42. *ne qua in re inferior esset, quam Scaeuola.,* ibid. 48. *P. Orbius in iure ciuili non inferior, quam magister fuit.,* ex Epist. ad Q. Fr. I, 3. *gratia non inferior quam qui umquam fuerunt amplissumi.,* ex I. de Off. 32. *Timotheus Cononis filius, qui cum belli laude non inferior fuisset, quam pater* etc.. At egregie lapsus Garatonius potius existumandus est, qui Ernestium in re admodum certa offensum esse putauerit, de qua minume dubitare Ernestius potuit. Immo non est dubium, quin ille in accussatiuo *te* offenderit, atque pro *quam te* potius *quam tu es* expectauerit, quae sane frequentior dicendi ratiost. Uerum nihil plane in hoc loco offensionis esse, intellegent qui eiusmodi locos meminerint, qualis hic est: Cic. ad Diu. V, 7. *Quae nos pro salute patriae gessimus, ea, cum ueneris, tanto*

consilio, tantaque animi magnitudine a me gesta esse cognosces, ut tibi multo maiori, quam Africanus fuit, me non multo minorem, quam Laelium, facile et in re publica et in amicitia adiunctum esse patiaris.

Generis dico et nominis) Hunc uerborum ordinem primus Orellius ex B codicis auctoritate, quam E confirmat, recte restituit, cum antea legeretur, *generis et nominis dico.* In genitiuis autem, qui ab nullo regi substantiuo uidentur, primus offensus est Ernestius, monens: „In *generis et nominis dico* ultumum uerbum uerum esse non potest: requiritur enim substantiuom, ut in sequentibus *studio, memoria.* An *splendore? Dico* et ipsum est ab glossatore, nam est *scilicet.*" Post Ernestium Garatonius in ed. Neap. haec adnotauit: „Probe sensit Ernestus, haec stare non posse, set nihil opis adtulit. Atqui facilis est emendatio, *generis et nominis dignitate.*" et in Curis Secundis haec: „Cum olim ex *dico* fecerim *dignitate,* nunc optumus liber submonet mihi gradum, quo institeram. Tamen aliam emendationem inde possim elicere, *genere dico et nomine.* Set uereor, ne hoc sit etiam audacius, cum ipse Bau. cum aliis omnibus in genitiuo consentiat, sitque omittendi neglegentia facilior, quam illius tam perspicui ablatiui tollendi temeritas. Ego certe quomodo id fieri potuerit, diuinare non queo; uerbum etiam *dico,* quo nihil opus est, citius retinebo, quam *dignitate* non addam. Aput Arusianum in apographo meo haec extant: *Cicero pro Scauro: retineret, id quod semper studuit, generis, familiae, nominis dignitatem.* Nimirum auctius est fragmentum in codice Neapolitano, quam aput Patricium T. I. p. 15. 6., qui Frontonis nomine in u. *studuit* desinens rettulit. Suetonius in Uesp. C. IV. *nec metuendus ullo modo ob humilitatem generis ac nominis.* Ex contrario potuit etiam hic esse, *claritate.* Nihil ego mihi adrogo; set locum, uti mihi probabiliter constitui posse uidetur, totum propono: *Omnibus igitur rebus — domesticis, nonnullis inferiorem, quam te, generis dico et nominis dignitate, superiorem* etc.." Wolffius coiecit *generis et nominis decore,* Orellius *generis dico et nominis decore,* Bakius *generis dico et nominis commendatione.* Inutilem hanc editorum operam iudico. Nam si reuera aliquid excidit, satis est monuisse, quam fere significationem habere debuerit uerbum illut, quod exciderit, cum certo adfirmari nullo pacto possit, quid addi debuerit. Illut autem numquam concedam, uerbum *dico* aut a librariis additum aut pro alio uerbo positum esse. Talia enim non solent interpretes addere. Porro plane alienae Wolffi et Orelli coniecturae sunt, siquidem nec dictum umquam *decus generis* aut *nominis* est, nec apte dici potuit eo sensu, quem hic flagitamus. Equidem nihil hic a librariis omissum, set integram esse quam recepi scripturam credo, idque ipsum loquendi genus, quod alio in loco non ferendum putarem, hic aptissume a Cicerone usurpatum contendo. Quodcumque enim uerbum adposuerimus, siue *dignitatis,* siue *splendoris,* siue *commendationis,* fieri non potest, quin ea, quibus dicit Cicero inferiorem Plancium Laterense esse, addito istiusmodi uerbo ornatiora atque splendidiora quam necessest reddantur. Iam uero quotienscumque de genere Laterensis loquitur, propter quod ille Plancio se praeferendum fuisse putabat, omni modo deprimere ista ornamenta studet. Quid igitur aptius hic potuit esse, quam si simpliciter uerba *generis* et *nominis* posuit, nullum, quo aliquid laudis in Laterensem redundaret, substantiuom addens, uerum iungens genitiuos cum uerbo, quod praecessit, *rebus?* In ipso autem loquendi genere, quod nomini *rerum* genitiuos, quem aptissume *explicatiuom* appellaris, aptatus est, nulla plane offensiost. Sic Cic. II. in Cat. XI, 24. *Iam uero urbes coloniarum ac municipiorum respondebunt Catilinae tumulis siluestribus.* Ad quem locum egregie Matthiaeus de hac dicendi ratione multis adlatis exemplis

exposuit. Addo pro P. Sulla C. VII. §. 21. *Hic ait se ille, iudices, regnum meum ferre non posse. Quod tandem, Torquate, regnum? consulatus credo mei.*

Iacis adulteria, quae nemo non modo nomine, set ne suspicione quidem possit adgnoscere) Nec Lambinus uim uerbi *nomine* adsecutus est, qui correxit *crimine*, nec Graeuius, qui pro *crimine* dictum putat. Pertinet autem ad uerbum, quo usus erat Laterensis, *bimaritus;* unde dicit, *ut uerba etiam fingas.* Uerbum igitur *bimaritus* tum nouom. Ernestius. Hoc dicit Cicero: Obicis adulteria Plancio, eoque appellas nomine, cuius significationem, ut uerbi antea numquam usurpati, neque tenere quisquam potest, neque diuinando adsequi.

Bimaritum) Bimaritus est duarum mulierum uir, ut *biuira* Catoni apud Nonium, quae duos habuit uiros. Male explicat Nonius. Graeuius.

Inpunitum in maledicto mendacium) Requiro cognitam nobis Orelli prudentiam, qui corrigere quam explicare maluerit; nimirum spuria censet *in maledicto,* neque intellegit hunc sensum esse elegantis locutionis, ut dicat, praeterquam quod maledictum hoc est, etiam falsum est. Cic. pro Scauro II, 15. p. 162. Beier. *inpunita mentiendi licentia. Fictum non modo crimen, set maledictum* dicitur etiam pro Fonteio XII. §. 27.. Bakius.

Raptam esse mimulam; quod dicitur Atinae factum a iuuentute) Legebatur pro *iuuentute* ante Garatonium *iuuene.* „Eratne senex tum Plancius designatus aedilis? minume uero; ne si aetate quidem consulari fuisset. Res ipsa postulabat, nedum Tulliana consuetudo, ut *ab adulescente* diceretur. Denique sic Plancius non purgatur satis: *dicitur factum a iuuene,* uel *adulescente,* set *uetere quodam iure:* deinde, *cum licuerit, tamen falsum reperiatur.* Egregiam itaque medicinam Bauaricus [quocum consentit Erfurtensis] adfert, cum exhibet *a iuuentute.* Atinatium iuuentus mimulam rapuisse dicitur, quod in iis locis inpune solebat fieri; in eo numero Plancium fuisse. Set nihil ad faciendam fidem adfertur; uana igitur suspicio est; non interfuit. Iuuentute porro continetur adulescentia; et, si maxume omnes fuerint adulescentes, dici conlectiue *iuuentus* debuit; Plancius autem, qui certe uir erat, adhuc iuuenis dici poterat; uiro et seni opponitur adulescens, non iuuenis uiro.“ Garatonius. Similluma res narratur a Liuio II, 18. *Romae cum per ludos ab Sabinorum iuuentute per lasciuiam scorta raperentur.* Ceterum iuuentus ista oppidana, cuius mentionem seruauit Bauaricus [et Erfurtensis], iam ueteris rei publicae tempore per singula municipia conlegia uidetur constituisse, quae suos patronos, curatores, magistros, quaestoresque habebant, ac diebus festis operam nauabant ludis celebrandis. Saepius *Iuuenes* et *Iuuentus* hoc sensu in lapidibus memorantur, ueluti ap. Grut. 262, 2. *Iuuenes Nepesini.* 566, 6. *Collegia iuuenum Brixianorum.* Bianchi *Marmi Cremonesi* p. 155. *Iuuentuti Artanorum posuit collegium.* Morcelli de stilo Inscriptt. 2, p. 55. *M. Silio Epaphrodito Patrono Seuirum Aug. Magistro iuuenum iterum. Iuuenes Lucoferonenses patrono ob merita, quod Amphitheatrum Col. Iul. Felici. Lucofer. S. P. F. dedicauitque L. D. D. D.* Grut. 19, 5. *Patronus iuuenum Trebul. Mutucsc..* Gudius 49, 9. *Curator lusus iuuenum,* quod munus memoratur etiam ap. Grut. 588, 5. et 450, 7. Murat. 620, 1. ib. 652, 2. *Collegius* (sic) *Iuuenum* (Anagniae) *Patrono dignissimo, ob renouatam ab eo lusus iuuenum, quod uetustate temporum fuerat obliteratum.* Gori Etr. 1, 508. *Quaestor Iuuenum Ostiensium.* Orellius.

§. 31. *Emissus aliqui e carcere*) A Plancio, cum tribunus plebis esset. Manutius. Ceterum haec uerba e Laterensis oratione Ciceronem referre tenendumst.

Et quidem emissus) *Et quidem* confitentis responsionem significat, qua excussatur. Ita pro Rab. Post. 8. *At Dioecetes fuit regius. Et quidem in custodia etiam fuit regia.* In Laelio 21. *Rarum genus. Et quidem omnia praeclara rara.* Nemo animaduertit; male itaque omnes interpunxerunt. GARATONIUS. Addit Bakius de Legg. III, 10. *at aliquando incenditur. Et quidem saepe sedatur.*

Idem postea praemandatis requisitus) Magnopere in hoc loco editores hominesque doctos uerbum *praemandatis* torsit. Ac plerique quidem non dubitarunt, quin corruptum esset. Hinc Turnebus coiecit *praetoris mandatu*, persuasitque ueram correctionem esse Lambino, Graeuio, Ferratio, I. Fr. Gronouio in notis ad Gelli N. A. IV, 1. p. 86., Schutzio, aliisque. Iam etsi ea ipsa correctio trium codicum auctoritate confirmari potest uideri, quorum in uno ipsum illut *praetoris mandatu*, in duobus reliquis *praetoris mandatis* scriptum extet, tamen neque codicum illorum reuera ullast auctoritas, et e sententia loci certissume potest demonstrari, Ciceronem ita nullo pacto potuisse scribere, id quod Manutius, Ernestius, maxumeque Garatonius uidit. Primum enim uerbum *mandatu* alienum ab inperio et iurisdictione praetoria esse, necessarioque saltem *iussu* fuisse dicendum, recte Garatonius monuit. Deinde minume excussatur Plancius, si quod ipse per inprudentiam conmisit, alieno praetoris consilio correctum dicitur. Itaque Manutius legi uoluit aut *propere mandatis*, aut *per mandata*. Garatonius haec monuit: „Statim in mentem uenit, ut emendarem *praemiis datis*. Uerum obstat, quod non retractus ille reductusque dicitur, set tantum *requisitus*. Corn. Nep. Eum. II, 2. *hoc tempore data est Eumeni Cappadocia, siue potius dicta: nam tum erat in hostium potestate.* Quamquam igitur praemia diligentiae, re licet infecta, conquisitoribus dari potuerunt, tamen rectius emendare uidebimur: *idem postea, praemiis dictis, requisitus.* Uide Nonium p. 280. Merc. et Nic. Heins. ad Uerg. V. Aen. 486. *Dictis* esset promissis, constitutis, propositis, adsignatis.“ Idem in Curis Secundis adnotauit: „Emendationem duplicem proposuimus, *praemiis datis*, propius ad litteras, et *praemiis dictis*, ut etiam II. ad Att. 7., quod inuentus ille, qui emissus a Plancio tribuno plebis fuerat, non uideretur. Barthius ad Statium II. Theb. 593. hunc uerbi *dicere* usum inlustrat. Nunc *datis*, quod ipsum in codicibus remansit, relinqui etiam posse non inficior.“ Quae coniecturae Garatoni licet sensum praebeant non ineptum, tamen eo minus probandae sunt, quo magis a uolgatae scripturae ductibus recedunt, quoque minus a quoquam hominum doctorum uolgatam scripturam a sensu loci alienam esse ostensumst. Corruptam eam putarunt nulla alia de caussa, nisi quod alibi substantiuom *praemandatum* non usurpatum reperitur. Ea uero caussa ita tantum aliquid momenti haberet, si neque *praemandare* in usu fuisset, neque significatio, quam substantiuom illut secundum analogiam habere debet, huic loco accommodata esset, et eadem res, quae hic narratur, aliis in locis narrata numquam eodem hoc uerbo significata esset. Quae cum minume ita sint, uerissumam puto uolgatam scripturam esse, recteque maxumam partem ab Huldrico explicatam, quamquam is de reliquis locis, in quibus *praemandare* usurpatum reperitur, non satis uere exposuit. Ex conparatione aliorum uerborum, quae item cum *prae* praepositione copulata sunt, ueluti uerbi *praemonere*, hanc apparet uerbi *praemandare* debere significationem esse, ut denotet, *mandare, ut aliquid curetur, prius quam confectio ipsius rei mandatae locum habeat*, nobis *im Voraus einen Auftrag geben*, uel *einen vorläufigen Auftrag geben.* Iam duorum locorum, in quibus solis, quantum scio, *praemandare* usurpatumst, alter manifesto istam con-

firmat significationem, alter ambiguo sensu uideri potest dictus esse. Loci hi sunt: Plaut. Truc. II, 4, 49.:

Mater ancillas iubet,
Quoniam iam decumus mensis aduentat prope,
Aliam aliorsum ire, praemandare, et quaerere
Puerum aut puellam, qui supponantur mihi.

Alter extat in Ep. P. Uatini ad Ciceronem scripta (ad Diu. V, 9.) et ita se habet:

Dicitur mihi tuus seruos anagnostes fugitiuos cum Uardaeis esse, de quo tu mihi nihil mandasti; ego tamen terra marique ut conquireretur, praemandaui; et profecto tibi illum reperiam, nisi si in Dalmatiam aufugerit; et inde tamen aliquando eruam.

In Plauti loco *praemandare* quo sensu sit dictum, tam apertumst, ut ineptam Gronoui explicationem, quam in notis ad Gell. IV, 1. p. 86. proposuit, satis mirari nequeam. Narrat Phronesium Dinarcho, quid, cum se grauidam esse adsimulasset, mense decumo aduentante mater fecerit. Iubet, inquit, ancillas aliam aliorsum ire, praemandare, et quaerere puerum aut puellam, qui supponantur mihi. Iam quid tandem certius est, quam *iubet praemandare* hoc esse sensu dictum: iubentur ancillae ante fictum Phronesi partum familiis, per quas circumeunt, mandare, ut si puella aut puer isto tempore natus fuisset, is Phronesio reseruetur, eique simulatque decumus mensis aduentauerit, tradatur? Est igitur plane nostrum, *im Voraus einen Auftrag geben.*

In Uatini epistula ad Ciceronem scripta sunt fortassis, quibus *praemandaui* sic uideatur explicandum esse: mandaui ante quam tu mihi mandatum dedisti, ut seruom conquirerem. Quam explicationem satis eo refutari puto, quod neque alibi usquam isto sensu *praemandare* dictumst, neque quomodo isto sensu dici potuerit ex aliis cum *prae* praepositione conpositis uerbis ostendi licet. Contra et uerbo ipsi et loci sententiae egregie conuenit haec significatio, ut sit *praemandaui:* in eas omnis regiones, in quas seruom se conferre potuisse suspicor, litteras misi, quibus incolis earum mandaui, ut, si deprehendissent seruom, caperent omninoque conquirerent. Quae cum ita sint, non dubito, quin recte Huldricus hunc orationis Plancianae locum explicarit, monens: „*Praemandatis requisitus* est litteris requisitus, quae missae fuerant in eas regiones, in quas illum se contulisse Plancius suspicabatur, antequam de ea re aliquid constaret, quod in fugitiuis fieri solet: nostri id genus *Steckbriefe* appellant.“ Illut unum non recte factum, quod addidit uerba, *antequam de ea re aliquid constaret,* pro quibus dicendum potius erat: ante quam in illas regiones, in quas litteras misit, fugitiuom peruenisse suspicabatur. Ceterum Pareus etiam Lex. Crit. p. 969. uolgatam huius loci scripturam incorruptam habuit.

Requisitus) Obseruandast calliditas oratoria in ipso uerbo *requisitus.* Requiri hominem illum dicis caussa sufficiebat certe Plancio, parum curanti, immo nolenti ut retraheretur, idque ipsum sufficit etiam patrono. ORELLIUS.

Sunt coniecta maledicta in eius uitam) Ernestium, qui uerbum *maledicta* delendum supplendumque *crimina* putat, non opus est ut refutemus.

Dubitetis) Male Garatonius explicat, *dubitare debeatis.* Immo *de cuius — dubitetis* dictum pro, ut de eius — dubitetis. Neque est, quod quis *dubitaretis* expectet, cum perfectum quod antecedit *sunt coniecta* non aoristi, set perfecti absoluti notionem habeat.

CAP. XIII.

Pater uero, inquit, etiam obesse filio debet) .. hoc factum est .. nec uidelicet, quod saepius iterat, ualde inpiam Laterensis propositionem, qui candidato plus inpedimenti ex persona patris esse debuisse dixerit, quam fauoris priuilegio naturae. Quod autem de patre dicit, illut est: cum princeps esset publicanorum Cn. Plancii pater, et societas eadem in exercendis uectigalibus grauissimo damno uideretur adfecta, desideratum est in senatu nomine publicanorum, ut cum iis ratio putaretur lege Sempronia [1]), et remissionis tantum fieret de summa pecunia, quantum aequitas postularet, pro quantitate damnorum, quibus fuerant hostili incursione uexati [2]). Adfuit igitur Caesar causae publicanorum. Caesaris desideriis contradixit pro uigore duritiae suae M. Cato, et diem totum prolixitate orationis suae occupauit, ut senatus decernendi spatium non haberet [3]). Et id tempus ergo Laterensis denotauerat inuidiosum Plancio esse debuisse, quominus fieret aedilis, quando pater eius quaedam liberius et exertius aduersus quosdam primores senatus in publicanorum allegatione dixisset. Id reuocat orator *ad* defensionem, licuisse dicens unicuique de suis iniuriis libere conqueri. SCHOLIA AMBROSIANA.

---

1) Utrum intellegatur hic lex Sempronia *de aere alieno*, an potius *de fenore*, an *agraria*, an alia ex tot Semproniis legibus, id nos olim eruditis disquirendum permisimus. Nunc doctissumus Garatonius ad huius orationis caput XIV. de lege Sempronia uerba produxit Ciceronis in Uerrem III, 6. *Censoria locatio constituta est, ut Asiae lege Sempronia.* Set enim etiam Fronto epist. IV. lib. II. *ad Uerum* fortasse significat eam legem his uerbis: *Iam Gracchus Asiam locabat.* Leges Semproniae memorantur etiam in loco quodam a Martiano Capella laudato lib. V. cap. *a specie uel a forma.* [Est notissumus locus I. Philipp. 7. ORELLIUS.] Contendit nihilominus Garatonius putandam non fuisse cum publicanis rationem Sempronia set Censoria lege. Mihi etsi multa ueniebant in mentem quae hac super re dissererem, tamen id unum dicam, manifestam uidelicet ueteris alicuius auctoritatem plerumque esse grauiorem, quam recentiorum hominum, licet apprime doctorum; argumenta quae hinc illuc coniecturis trahuntur, nullam adhibent persuadendi necessitatem. Itaque ab interpretis ambrosiani sententia nondum recedo, praesertim cum ipse Garatonius locationes Tib. cuiusdam Semproni, censoris cum C. Claudio, memoret e Liuio XLIII, 16. A. MAIUS. Garatoni uerba adlata reperies §. 35. extr. ad uerba, *Nam quod primus sciuit* etc.. In nouissuma editione hanc adnotationem A. Maius omisit, ut iam adsentiri Garatonio uideatur.

2) Praesertim bello Mithridatico. Hanc autem publicanorum petitionem, cui contradixit Cato, refert etiam Dio XXXVIII, 7. A. MAIUS.

3) Catonis orationem ἡμερησίαν memorat Plutarchus in *Rei p. ger. praec.* edit. Paris. 1624. T. II. p. 804. *Κάτων περὶ ὧν οὐκ ἤλπιζε πείσειν, τῷ προκατέχεσθαι χάρισι καὶ σπουδαῖς τὸν δῆμον ἢ τὴν βουλὴν, ἔλεγε τὴν ἡμέραν ὅλην ἀναστὰς, καὶ τὸν καιρὸν οὕτως ἐξέκρουεν.* Ualerius Maxumus ait II, 10, 7.: *M. Porcium Catonem admiratio fortis et sincerae uitae adeo uenerabilem senatui fecit, ut cum, inuito C. Caesare consule, aduersus publicanos dicendo in curia diem extraheret, et ob id eius iussu a lictore in carcerem duceretur* etc.. At noster interpres narrat distincte altercationem Catonis cum Caesare ante huius consulatum in caussa publicanorum, tum paulo inferius (c. 14. §. 35. extr. *Nam quod primus*) Caesaris uictoriam in consulatu. Igitur aut Ualerius tempus eius actionis perturbat, aut bis Cato diem in senatu extraxit contra Caesarem dicens in caussa publicanorum. A. MAIUS.

Turpissumus, si sordidissumus) *Turpissumus* pertinet ad uitam et mores, *sordidissumus* ad dignitatem generis et ordinis. WEISKIUS.

Communi sensu) De *communi sensu* aput Ciceronem Orellius conferri Spaldingium ad Quinct. 1, 2, 20. iubet.

§. 32. *P. Crassi*) Patris M. Crassi, qui cum Fonteio consul bis fuit; hic de Hispanis triumphauit, et in dominatione L. Cinnae, ne in manus inimicorum incideret, se ipse interemit; utriusque rei auctor Pedianus. MANUTIUS.

Iudex — auctor) Quem primum equites in multis rebus arbitrum sumpserint — quem societates publicanorum consiliarium habuerint, cuius consiliis in rebus maxumis uterentur. ERNESTIUS.

§. 33. *Ergo hi ferendi sunt, qui queruntur, libertatem equitis Romani se ferre non posse*) Erfurt. *qui queruntur hoc* [Falsum hoc; Erfurtensis eadem prorsus atque Bauarici scripturast.]. Tullianast conlocatio in Bauar., *qui hoc queruntur.* Tamen et ipsa conlocandi uarietas [non est ulla], quae suspecta esse solet, omittentibus fauet; et adiectio ista figurae, quae hoc loco est, cum eam non tollat, nonnihil adfert incommodi. Ea uero figura ellipsis quaedam est, qua uerbum *queruntur* praegnans quodammodo ut sit (sic enim locuntur) ellicitur. Rem docuerunt Sanctianae Mineruae cultor Perizonius IV, 5. p. 818. ed. Scheid. et Wopkensius Lectt. Tull. p. 244. nosque bis adtigimus una in Miloniana ad c. 18. et 24.. *Queruntur* igitur dicentes ac profitentes, *libertatem equitis Romani se ferre non posse.* Est autem in ipsa querella uociferatio et professio. Quod nisi ita esset, quomodo isti dicerentur *queri*, quod signum est non ferentium, non de ipsa re, quam non ferendam putabant, set illam *se ferre non posse?* Nonne Cicero ipse queritur, dum telum retorquet? Satis erat profecto dicere: *ergo hi ferendi sunt, qui libertatem equitis Romani ferre non possunt?* Set uir eloquentissumus acrius quiddam quaesiuit: non *profitentur, uociferantur, clamant,* dicere tamen noluit; set ut illut ipsum augeret, *queruntur.* Iam his expositis de Bauarici [et Erf.] additamento, ut fert animus unusquisque indicet. GARATONIUS. Multo breuius Garatonius *queruntur* praegnanter dictum pro *querebundi dicunt* esse potuit dicere. Sic C. XXII. §. 54.: *Nam quod questus es, pluris te testis habere de Uoltinia, quam quot in ea puncta tuleris, indicas* etc.. Ceterum uide quae de huius loci scriptura Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XXXVII. monuimus.

Ubinam ille mos) In coaceruatis interrogationibus nullum saepe particulae *ubi* uerbum adiungitur. Cfr. Cic. in Pis. 40. Philipp. V, 5. GARATONIUS ad or. Milon. p. 225.. Orellius addit Plin. Paneg. IX, 5..

Malis oppressa ciuilibus) Nam tempore bellorum ciuilium, et sub tyrannis nemini libere loqui et queri licet. Saepe de hac dominatione tyrannorum conqueritur Tacitus. GRAEUIUS.

Equitum ego Romanorum etiam in homines nobilissumos — maledicta commemorem?) Hoc totum cum stomacho dicitur, et melius a Bau. et duobus Oxon. [multisque aliis] *etiam* abesse arbitror. Neque enim dignum se, neque illo ordine existumat equitum Romanorum in homines nobilissumos maledicta commemorare, quoniam quidem homo infumus, Granius praeco, duobus nobilissumis contumeliose responderit. In hoc argumento illut *etiam,* ut opinor, excluditur; ualeret enim, nedum in alios, de quibus haec elatior ne cogitare quidem sinit oratio. Scholiastes in his describendis priorem partem omisit, atque initium ita fecit: *Ego publicanorum* etc., et in extremo non adgnoscit *et libere.* Utrumque sane placere potest, ut *ego* repetatur, et aduerbium *libere* deleatur, quoniam quidem *aspere* et *ferociter,* quae grauiora sunt,

antecedunt. Paulo ante: *asperius, inquit, locutus est aliquid aliquando: immo fortasse liberius.* Nunc dictorum libertatem conparatione asperitatis et ferociae defendit, in quibus abusus est libertatis in re p. constitutae. GARATONIUS. Ego *etiam* facile fero; ac talia saepius a librariis omittuntur quam intruduntur, utpote quae interpretationem grammaticam, quam illi potissumum sequebantur, minume iuuent. Scholiastes *ego* illut primum, non alterum, a reliquis codd. nunc omissum in commentarios suos uidetur rettulisse; duplicari enim *ego* nihil adtinet, quom sententiae uis non in hoc pronomine, set in *equitum* et *publicanorum* mentione insit. Idem casu potius uel neglegentia, quam quia in suo codice non reppererit, *et libere* omisit, quod mea quidem sententia ἐπεξηγήσει inseruit haut paenitendae, quasi dixisset, set quae aliis aspere et ferociter dicta displicent, ipsis equitibus et publicanis libera tantummodo uidebantur. Simili modo idem schol. ed. Mai. p. 158. *Immo tu Druse* pro *Immo uero tu Druse.* ORELLIUS. De uerbis *et libere* uide quae infra in nota ad haec ipsa uerba monui. Pronomen *ego* repeti nullo pacto potest, cum nemo umquam Romanorum bis id uni uerbo adposuerit, nisi cum maxuma pronominis illius uis esset, quam nunc nullam esse posse ab Orellio recte monitumst. Particulam *etiam,* quam concedo Orellio ferri posse, si ad sequentia referatur, cur nihilominus eicere debuerim, ex iis patebit, quae Proleg. L. II. C. I. §. 1. disputaui.

Publicanorum in Q. Scaeuolam — aspere et ferociter et libere dicta conmemorem) Potentissime ab exemplis qualitas absoluta firmatur, licuisse Plancio seniori quaedam liberius dicere pro societate publicanorum, qui etiam in Q. Scaeuolam omni uirtute praestantissimum uirum fiduciam suae libertatis erexerint. SCHOLIA AMBROSIANA.

In Q. Scaeuolam) Qui Asiam rexerat, et ab iniuriis publicanorum prouincialis defenderat; quam ob caussam postea uirum innocentissumum, qui Scaeuolae quaestor fuerat, P. Rutilium equites Romani, cum lege Sempronia iudicarent, condempnarunt; Cic. in ep. ad Lentulum [I, 9. extr. ad Diu.]: *Scis quam inimici illi ipsi Q. Scaeuolae fuerint.* MANUTIUS.

Et libere) Quamquam haec uerba interpres Ambrosianus, Ciceronis describens uerba, omisit, tamen in eo fuisse exemplari scripta, quo usus interpres est, ex ipsa eius explicatione manifesto apparet, monentis: *qui etiam in Q. Scaeuolam — fiduciam suae libertatis erexerint.* Ceterum uehementer errant, qui cum Garatonio nullam horum uerborum uim putant esse praecedentibus *aspere et ferociter.* Facilius enim asperitas et ferocia equitis Romani quam libertas tolerabatur.

CAP. XIV.

Male uiri docti uerbis *Consuli P. Nasicae* etc. nouom caput incoharunt, quo factumst, ut seiungerentur uerba, quae cohaerent arctissume. Nexus enim hic est: Quid ego equitum et publicanorum maledicta in homines nobilissumos conmemorem, cum Consuli, P. Nasicae, Praeco, Granius, liberrume maledixerit? Itaque recte etiam interpres Ambrosianus coniuncta adtulit et explicauit uerba: *Publicanorum in — legationes.* Nos tamen partem animaduersionis superiore loco describere debebamus, ne quae illuc pertinerent, in hunc locum coicerentur.

Consuli P. Nasicae praeco Granius — quod legationes) Inde transcendit ad exemplum famosi quondam praeconis Q. Granii et adprime dicacissimi, quem cum edicto iustitio, id est praedicto in re p. tempore qui nihil ageretur ciuilium negotiorum, Nasica consul compellauisset obuium sibi forte uenientem, di-

xissetque ioculariter: Grani quid tristis es? An quod auctiones reiectae sunt? Scimus enim praeconibus auctiones fructui esse, quod per eos omnia distrahantur; illo autem institio nec ipsae poterant exerceri. Huic P. Scipioni e contrario non sine morsu stomachi respondisse Granium dicit: Immo ideo tristis sum, quod legationes reiectae sint. Uoluit autem pudorem Nasicae consulis perstringere hoc amarissimo dicto. Nam legationes ab externis populis missae ad senatum solebant ordinari pro uoluntate consulum; quas plerumque gratia, nonnumquam et accepta pecunia consules ordinabant, ut introduci ad senatum possent. SCHOLIA AMBROSIANA. Post haec, quae uerissume ab interprete Ambrosiano monita sunt, non opus est, ut Garatoni refutem sententiam, qui in notis ed. Neap. antequam edita erant scholia illa, de legationibus a senatu ad Iugurtham missis ab eoque repudiatis sermonem hic putauit esse, monens: „Legationes hic uidentur significari duae, quas ad Iugurtham senatus miserat, et audiuerat quidem ille, set reiecerat et repudiauerat. Inde bellum exarsit, cuius parandi caussa iustitium consules edixerunt P. Nasica et L. Bestia anno DCXLIII.. Uide Sallustium Iug. XXI, 4. XXV, 4. XXVII, 4. et Diodorum Sic. in Exc. Peiresc. p. 581.. Legatio saltem altera missa uidetur, cum Nasica in consulatu petendo maxume occupatus esset, et in ea nemo nisi consularis fuisset. Quodsi Nasicam in eum numerum liceret includere, Grani responsum fieret nobis apertius; quamquam laudatur ille a Diodoro magnifice, et, quod huc ualde pertinet, *ἀδωροδόκητος* dicitur *ἅπαντα τὸν βίον* p. 585.. Conpertum est enim, quanta in inuidia senatus tum fuerit, omnisque nobilitas, quod Iugurthae diuitiis rem p. prodere putaretur. Haec tamen res Grani dictum aliqua luce perfundit, cum in ipso Nasica nihil magis haberet quod reprehenderet, quam in Scaeuola publicani. Consuli fortasse obicitur inperi dedecus: cum tanta Iugurthae ferocia pecuniae fiducia, et eorum, qui se illi uendiderant, inpunitate aleretur. Ceterum hic Nasica, ut ait Cicero in Bruto c. 34., *omnis sale facetiisque superabat.*“ Idem tamen Garatonius in Curis Secundis probabiliorem intellexit scholiastae explicationem esse, dicens: „Nunc huius hominis interpretatio conmendationem habet antiquitatis. Liuius XXXII, 8. *Attali deinde regis legatos in senatum consules introduxerunt.* Ambiguum est *reiectae:* ego itaque legationes ab Iugurtha repudiatas intellegebam, mandata scilicet, quae legati Romani detulerant; hic in aliut tempus externas Romae, quemadmodum auctiones, iustiti caussa delatas. Atque ita profecto, ubi hac de re agitur. Gabinia lex erat, qua consules toto mense Februario *cogi* dicuntur II. ad Q. fratr. 12., exteris legatis cotidie senatum dare. Quod igitur I. Epist. 4. legimus, *senatum haberi non posse mense Februario toto, nisi perfectis aut reiectis legationibus,* ita intellegendum est, ut senatus decernere alia de re nihil posset, nisi postquam legationum aut absoluisset negotium aut totum distulisset. Hinc I. ad Attic. 14., quae Idibus Februariis data est epistula, *senatus et de prouinciis praetorum et de legationibus et de ceteris rebus decernebat, ut ante, quam rogatio* (quam ferendam decreuerat) *lata esset, ne quid ageretur.* Differebat igitur legationes. Item Kal. Febr. alterius anni ibid. ep. 18.: *nos cogimur reliquis de rebus nihil decernere, — quare etiam legationes reiectum iri puto.*“ Nolo aliorum hominum doctorum explicationes conmemorare et refutare, quas quiuis falsas esse intelleget uera loci sententia exposita. Ac primum quidem monendumst, errare Garatonium, qui *legationes reicere* et hic et alibi semper significare *differre legationes* putat. Neque uerbum ipsum *reiciendi,* neque sententia locorum, in quibus elocutio ista usurpata reperitur, illam explicationem admittit. Uide modo I. ad Diu. 4.,

in quo *reiectis* manifesto significat *non auditis* uel *non admissis*. *Differendi* notionem tum tantum habere potest, cum additum aliquid est, ex quo de dilatione sermonem esse certo intellegitur, ueluti in Cic. Ep. ad Quintum fr. II, 3. *A Kal. Febr. legationes in idus Februarias reiciebantur.* et ibidem: *Interim reiectis legationibus in idus* etc.. Simplex autem elocutio *legationes reicere* ubique significat *legationes non audire.* Eodem modo *auctiones reici* dicuntur, cum *exerceri prohibentur.* Eae uero quoniam tamdiu tantum exerceri non possunt, quamdiu iustitium est, facile intellegitur, hoc loco, in quo iustitio edicto auctiones dicantur reiectae, recte *reiectas* explicari posse *dilatas.* Itaque certumst, ambiguitatem in uerbo *reiectae* hic esse, recteque iam Graeuium *auctiones reiectas* explicasse per *auctiones dilatas,* et *legationes reiectas* per *legationes non auditas.* Iam quae acerbitas in Grani responso sit, perspicue intellegetur. Nasica Granium tristem putarat esse, quod spe lucri, quod ex auctionibus in praecones solebat redundare, excidisset. Cui ita respondet Granius, ut non propter dilatas auctiones, set propter non auditas legationes se tristem dicat esse. Quo significat, non sua caussa se dolere, quippe qui dilatis auctionibus in tempus praesens tantummodo nihil lucri faciat, set eorum caussa, qui reiectis legationibus omnino priuentur lucro uel pecunia, quam legati, si essent auditi, dedissent. Uolt autem, qui lucro priuatus sit, ipsum intellegi Nasicam, cum consulis potissumum esset, efficere, ut legati audirentur. Et reuera quidem legatos tum temporis consuli, cuius opera auditi essent, pecuniam reddere consuesse, praeter interpretem Ambrosianum testatur Cicero ipse in Ep. ad Quintum fr. II, 12.: *De Commageno rege, quod rem totam discusseram, mirifice mihi et per se et per Pomponium blanditur Appius. Uidet enim, hoc genere dicendi si utar in ceteris, Februarium sterilem futurum.* Confer etiam quae ibidem paulo post addit: *Nihil est enim facilius, quam reliqua discutere. Set non faciam, ut illum offendam, ne inploret fidem Iouis Hospitalis, Graios omnis conuocet, per quos mecum in gratiam rediit.* et consule ad illos locos Manutium et Ernestium. Ceterum eo acerbius dictum illut erat, quo magis integritas Nasicae et uirtus omnibus nota erat, quem Diodorus, ut monitum iam a Garatoniost, ἀδωροδόκητον ἅπαντα τὸν βίον dicit. Denique miror, neminem editorum intellexisse, qui fuerint legati illi, quibus reiectis iustitium Cicero edictum esse ait. Erant filius Iugurthae duoque eius familiares ad senatum missi, ut patet ex Sallusti Iugurth. C. XXVII. et seq., scribentis: *Set ubi senatus delicti conscientia populum timet, lege Sempronia prouinciae futuris consulibus Numidia atque Italia decretae. Consules declarantur P. Scipio Nasica, L. Bestia Calpurnius; Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obuenit. Deinde exercitus, qui in Africam portaretur, scribitur; stipendium, alia, quae bello usui forent, decernuntur. At Iugurtha contra spem nuntio accepto, quippe cui Romae omnia uenum ire in animo haeserat, filium et cum eo duo familiaris ad senatum legatos mittit, iisque, ut illis, quos Hiempsale interfecto miserat, praecipit, omnis mortalis pecunia adgrediantur. Qui postquam Romam aduentarant, senatus a Bestia consultus: placeretne legatos Iugurthae recipi moenibus; iique decreuere, uti in diebus decem Italia decederent: consul Numidis ex senati decreto nuntiari iubet. Ita infectis rebus illi domum discedunt. Interim Calpurnius parato exercitu legat sibi homines nobilis* etc..

Medio in foro) Etsi in Proleg. L. I. C. III. §. 6. probandam Ambrosiani scripturam, uerba sic conlocantis, *in medio foro,* esse dixi, malui tamen hac in re ceterorum codicum auctoritatem sequi.

Domum descendens) In forum descendebant, non e foro domum; quare *discedens* omnino reponendum censeo; suffragatur nostrae sententiae Maffeianus liber. MANUTIUS. Manutius intellexit uerbi depranationem, meritoque probauit ex cod. Maffeiano *domum discedens*. Nam uolgata, quam editi scriptique ceteri (siquidem diligenter hi conlati) tuentur, absurda facile iudicabitur ex una obseruatione Manuti, quam ea conprobant, quae habet celeb. Ernest. in Ind. p. 456.. Contra exempla formulae *domum discedere* Drak. ad Liu. II, 31. abunde dabit. Idem consulendus ad IX, 14., ut quam saepe ista conmutentur intellegas. Adde Oudend. ad Caes. VII. B. G. 78.. Set licet etiam legere *domum decedens*, ut plane similem habeamus locum Liuiano illi priori: *decedentem domum* (e curia M. Ualerium, quom dictatura se abdicasset) *cum fauore ac laudibus prosecuti sunt:* quem locum Gron. et Drak. contra libros omnis frustra sollicitant, ut alibi diximus; confer eundem Ind. Ern. p. 440.. Quamuis autem *decedere* cum *discedere* frequentius confundatur, ut ibidem ostendit Drak. et Oudend. ad Caes. I. B. G. 45. et II, 7., tamen etiam cum *descendere* permutari uidemus duobus Liui locis IX, 22. XXXVI, 14. et alibi. Uerum his omnibus intercedit uir doctissumus, I. F. Grunerus, qui aput Sedul. III. Carm. 99. non mutandum contendit illut, *Inque tuam descende domum,* quom ibi Wopkens. ratione, ut ex dictis patet, summa reponere uoluerit *discede*. Infirmo sane nititur argumento Grunerus, ut fatebere, opinor, si Graeui adnotationem illam ipsam conferas, quam ille citat, ad VIII. ad Diu. 4.. At quid, si ei faueat hic Tulli locus, quo is uti iustius potuisset? Ego uero non arbitror, consulem *descendere* dictum fuisse tam, quom in locum publicum ueniret, quam quom inde domum abiret; neque generatim, quocumque eatur, eo *descendi*. Certae sunt formulae, suis propriis rationibus subnixae, ut passim uiri docti ostenderunt, quas excedere durum est. In his *descendere in aciem*, et quod huc maxume pertinet, *descendere in forum*, quod erat in ima ualle Romae positum. Uide Drak. ad Liu. III, 48. et ab eo laudatum Tennulium. GARATONIUS. Qui quom postea in Bau. *decendes*, in antiquissumo Ambr. autem, quicum Erf. consentit, *decedens* scribi uidisset, hanc ipsam scripturam iure meritoque uerissumam putauit.

Idem tribuno pl. — Druse, quid agis) Et haec dicacitas praeconis istius non minus urbanitatis habuisse uidetur quam asperitatis. Nam M. Licinius [1]) Drusus cum multa seditiose in tribunatu suo contra quam esset rei p. utile moliretur, aduentantem Granium sic compellauit: Grani quid agis? Ad hoc ille isdem uerbis, sed cum magna asperitate respondit: Immo tu Druse quid agis? hoc est, quae et quam periculosa et quam patriae metuenda conaris? SCHOLIA AMBROSIANA.

---

1) Recte Garatonius notauit lapsum ambrosiani interpretis (seu potius amanuensis) scribentis *Licinius* pro *Liuius*. Et quidem *Liuius* in orat. I. *pro Cornelio* est aput Asconium. A. MAIUS. Ex genere elogiorum historicorum lapidibus consignatorum, (quod genus totum pro spurio habebant Maffeius Crit. Lap. 3, 3. p. 226. ac Ruhnkenius ad Uellei. 2, 12., scite uero defendit Morcellius de St. Inscript. T. I. p. 256. ed. alt.) extat ap. Reines. p. 423, 58. titulus hic: *M. Liuius M. F. C. N. Drusus Pontifex. Tr. Mil. Xuir stlit. iudic. Tr. Pl. Xuir A. D. A.* (i. e. *agris dandis adsignandis*) *Lege sua. et eod. anno X. uir. A. D. A. Lege Saufelia.* (*Seruilia* Rup. Fortasse: *Saufeia* hodie nobis ignota, nam de C. Saufeio iam a. 654. cum Saturnino occiso cogitare non licet) *In magistratu occisus est.* (u. c. 663.). ORELLIUS.

Multa in re publica molienti) Cum Lambino, Garatonio, et Orellio uolgatam scripturam *in rem p.* mutaui ex Erfurtensis libri et Florentini primi auctoritate in *in re publica.* Sic Cic. in Pis. II, 5., quem locum Garatonius adtulit, *multa in re publica molientem*, et in Uat. IX, 21. *nihil in re publica molientem.*

Cum ille eum salutasset, ut fit, dixissetque) Uerba *ut fit*, quae non intellexit Weiskius post *dixissetque* transponenda iudicans, arcte cum uerbo *salutasset* iungenda sunt et explicanda, *consueto more.* Hic enim sensus est: Cum ille eum consueto more salutasset dicens: etc. Cfr. pro Mil. X, 28. *paulisper, dum se uxor, ut fit, conparat, conmoratus est.*

Ille M. Antoni uoluntatem — saepe perstrinxit inpune) *Uoluntatem*, si uerast lectio, intellegemus de sensu in re publica [scribe *rem publicam*] et partibus, ut προαίρεσις aput Graecos dicitur, quod contextus suadet. Nam hoc dicit, ut defendat libertatem Planci in reprehendendis consiliis, decretis magistratuum, senatus. Ernestius. Uerissuma lectio uolgatast, recteque satis ab Ernestio explicata, ut patet ex his locis: Cic. Philipp. XIII, 6, 13. *Ac ne illut quidem silentio praetereundum puto, quod clarissumi uiri legati, quorum habetis cognitam uoluntatem in rem publicam, eamque perpetuam atque constantem*, etc. et in Cat. III, 9, 22. *Dis ego inmortalibus ducibus hanc mentem uoluntatemque suscepi, atque ad haec tanta indicia perueni.* Prorsus aliena autem Orelli coniecturast, Ciceronem *uolubilitatem* scripsisse opinantis. Neque enim *uolubilitas* non addita uoce *linguae* hic poni, neque adtribui Crasso et Antonio potuit, de quibus longe aliter iudicat Cicero in Bruto C. XXXVII sqq., neque, utrumque ut fieri potuisse concedam, ullo pacto accommodata huic loco uolubilitatis linguae mentiost.

Nunc usque eo est oppressa nostra adrogantia ciuitas) Caute factum est ita pronuntiando nostra adrogantia; quoniam si uestra adrogantia uel quorundam superbia dixisset non adfigendo sermoni suam societatem aliquid offensae apud quosdam praepotentis contrahere potuisset. Scholia Ambrosiana. Permirumst, etiam post hoc interpretis Ambrosiani monitum Garatonium deteriorum codicum scripturam *uestra* praeferre potuisse, scribentem: „Cum dicit *uestra*, nobilitatem intellegit, in qua Laterensis numerabatur. Itaque ipsum Bauaricum *nostra adrogantia* exhibentem facile contempsi. At nunc in Ambrosiano autiquiore idem repertum uideo; scholiastem praeterea id inculcare ac defendere: *quoniam — potuisset.* Uerebatur id scilicet M. Cicero, qui hac libertate cotidie iure utebatur suo. Quis porro eum putet adrogantiae, quam reprehendebat, participem fieri uoluisse? Melius *nostra* explicasset, *nostrorum temporum.*" Cum minume hoc loco de libertate loquendi, qua ignobiles in nobilis uti prohibeantur, sermo sit, set de adrogantia senatoris, qualis Laterensis fuit, in publicanos, id quod tum ex uerbis §. 53. c. 13., tum ex §. 54. patet, ideoque adrogantia intellegenda sit ordinis senatori, necessario Cicero *nostra adrogantia* dicere debuit. Accedit, quod *uostra si* dixisset, id iudices ad se pertinere arbitrari debuissent.

Ut quae fuit olim — sit concessa libertas) Facta simul συγκρίσει [1]). Nam grauius deridebere hoc *a* praecone dicto, quam ab equite romano [2]). Grauius

---

1) Spatium unius uerbi expleui uocabulo graeco. A. Maius.

2) Codex *Nam grauius deridebere hoc praecone dictum quam ab equite romano.* Pro eo posuit Maius: *N. gr. d. si hoc a praecone dictum sit, quam si ab equite romano.*

praeconem cum inrisione, quam romanum equitem cum dolore dixisse, cum dolor excusatus sit impetu cogentis iniuriae, risus immoderatam plerumque contumeliosae audaciae licentiam praeferat. SCHOLIA AMBROSIANA.

§. 34. *Planci*) Patris, non fili, ut e superioribus et sequentibus intellegitur; dixerat enim Laterensis, questum esse de senatoribus Plancium patrem, et eas querellas aput senatores indices obesse filio debere. MANUTIUS.

A sociis) A societate publicanorum, qui Asiae uectigalia conduxerant. MANUTIUS.

Et a se) Qui erat in ea societate. MANUTIUS.

Iniuriam) Quod petentibus publicanis, ut induceretur locatio, quia nimium magno conduxissent, nullum a senatu responsum daretur. Hac de re sic ad Attic. Ep. 15. lib. I. scripsit Cicero: *Asiani, qui de censoribus conduxerunt, questi sunt in senatu, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse; ut induceretur locatio, postulauerunt.* Et ep. 16.: *Cato miseros publicanos tertium iam mensem uexat, neque iis a senatu responsum dari patitur.* MANUTIUS. Copiosius hanc rem expositam a Garatonio uidebis, cuius uerba §. 35. *Nam quod primus sciuit* in commentarium nostrum recepimus.

Cum senatus inpediretur) Uide quae §. 35. ad uerba *Nam quod primus sciuit* etc. monita sunt.

Hic) De Plancio patre adhuc loquitur; nam filius publicanus non erat, set senator. MANUTIUS.

§. 35. *Ego quia dico aliquid aliquando — me id dixisse dicunt*) Et oratorie totum hoc explicat, inuidiosius quasi de nimia libertate Cn. Plancii senioris quosdam loqui, quam ueritas ipsa patiatur; ad quod optinendum contra insimulationes inimicorum subnectit exemplum Cicero ipse de se, quem non ignoramus multum facetiis et urbanioribus dictis indulsisse, id quod locis pluribus in Uerrinis orationibus potuimus adgnoscere. Hoc ergo ait: quoniam soleo quaedam non ingrata festiuitate secundum sales urbanitatis dicere, idcirco plerique huiusmodi omne quod dicitur, etiamsi ab alio dictum sit, in me conferunt. Quare nihil mirum est, si quaedam falso etiam de Plancii libertate iactentur. SCHOLIA AMBROSIANA.

Nam quod primus sciuit legem de publicanis tum, cum uir amplissimus consul id illi ordini per populum dedit, quod per senatum si licuisset dedisset) Paulo supra locutus sum nihil obtineri potuisse per C. Caesarem, cum publicanis aput senatum patrocinaretur, contradicente scilicet M. Catone. Uerum postea consul idem C. Caesar legem tulit ad publicanorum commoda [1]) pertinentem, cui fauore promptissimo Cn. Plancii pater sine dubio adstitit, quoniam res utilitatis suae agebatur. Hoc ergo quidquid esset reprehensionis remouetur in ipsum Caesarem legis auctorem nuper latae. SCHOLIA AMBROSIANA. Legem de publicanis tulit C. Caesar consul, ut publicani tertia pecuniae debitae parte releuarentur; quo facto equestrem sibi ordinem adiunxit, cum et populum antea teneret; ita facilem ascensum ad eam, de

---

1) Monet Maius: „Confirmat Suetonius in Caes. XX., ubi de Caesare consule primum ait: *Publicanos remissionem petentes, tertia mercedum parte releuauit; ac ne in locatione nouorum uectigalium inmoderatius licerentur, propalam monuit.*“

qua semper cogitauit, singularem potestatem parabat. MANUTIUS. Me uero scholiastes adducit, ut rem hanc a Manutio leuius expositam clariore quadam luce perfundam. Initium luculenter ab ipso Tullio praebetur I. ad Attic. 17.: *Ecce aliae deliciae equitum uix ferendae, quas ego non solum tuli, set etiam ornaui. Asiani, qui de censoribus conduxerant, questi sunt in senatu, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse; ut induceretur locatio, postulauerunt. Ego princeps in adiutoribus, atque adeo secundus: nam ut illi auderent hoc postulare, Crassus eos inpulit. Inuidiosa res, turpis postulatio, et confessio temeritatis. Summum erat periculum, ne, si nihil inpetrassent, plane alienarentur a senatu. Huic quoque rei subuentumst maxume a nobis perfectumque, ut frequentissumo senatu et lubentissumo uterentur; multaque a me de ordinum dignitate et concordia dicta sunt Kal. Decembr. et postridie; neque adhuc confecta res est, set uoluntas senatus perspecta. Unus enim contradixerat Metellus consul designatus. Quin erat dicturus, ad quem propter dici breuitatem peruentum non est, heros ille noster Cato.* Hic tamen paulo post acerrume contradixit: nam Kal. Februar. anni sequentis ep. 18. *unus,* inquit, *est, qui rem p. curet, constantia magis et integritate, quam, ut mihi uidetur, consilio aut ingenio, Cato; qui miseros publicanos, quos habuit amantissumos sui, tertium iam mensem uexat, neque iis a senatu responsum dari patitur.* De hac iniuria Plancium patrem conquerentem paulo supra Cicero excussat: *cum senatus inpediretur, quominus, id quod hostibus semper erat tributum, responsum equitibus R. redderetur* etc.. Catonem uero ipsum reprehendit III. de offic. 22.: *Ego etiam cum Catone meo saepius dissensi; nimis mihi praefracte uidebatur aerarium uectigaliaque defendere, omnia publicanis negare.* Ibi minus accurata Heusingeri est adnotatio. Toto denique illo anno nihil publicanis responsi datum, Catone et consule Metello inpedientibus; quamquam C. Caesar cum Crasso et Cicerone *adfuit,* ut docet scholiastes, *caussae publicanorum,* inter eos, quos *adiutores* Cicero appellat. Quotiens igitur ea res agebatur, quod saepe factum ait Dio XXXVIII, 7., Cato dicendo eximebat diem: neque enim aliut facere poterat. Tandem anno DCXCIV. consulatum iniuit Caesar, neque tamen in senatu confecta res est: siue Cato etiam tum *pristina consuetudine dicendi mora diem extraxerit,* ut in alia re de Catone Caesar ipse I. B. Ciu. 32. postea scripsit; siue potius hac de re nihil rettulerit, ut ex Dione, Appiano, Suetonioque conficitur, consul in populari ratione uehementissumus. Ualerius Maxumus II, 10, 7. ex omni antiquitate unus est, qui *Catonem aduersus publicanos in curia dicendo diem extrahentem* narret a Caesare consule prehendi iussum, eumque uniuerso senatu prosequente pudore dimissum. Set potior est mihi Dionis auctoritas, qui libri illius initio accurate acta Caesaris in consulatu recenset, et c. 3. id euenisse tum scribit, cum de agraria lege in senatu ageretur, quae res erat multo grauissuma. Plutarchus adstipulatur in Catonis uita c. 33., set rostra male curiae substituit, errorемque ipse suum prodit, cum senatus Catonem prosequentis mentionem facit, qui certe non coibat in foro. Ateius quoque Capito aput Gellium IV, 10., qui rem, de qua consuleretur, non indicat, tamen in senatu gestam esse testatur. Errat igitur in loco Plutarchus, in caussa, ut opinor, Ualerius; quem quidem haut semel neglegentia lapsum deprehendi. Conuersus igitur ad populum Caesar legem hanc facile pertulit, qua non, ut postulatum erat initio, locationem induxit, set tertiam mercedum partem remisit. Quid ita? quia recens poterat locatio rescindi; elapso autem fere biennio iam id non erat integrum; quo quidem tempore accepti et soluti ratio constabat. Itaque hoc uidentur tempus respicere Suetonius in Caes. c. 20., Dio l. c., et Appianus II. Ciu. 13., cum a publicanis *remissionem, ἐκδικίαν, ἄφεσιν* postulatam dicunt. Sueto-

nius uero addit, Caesarem, *ne in locatione nouorum uectigalium inmoderatius licerentur,* (publicanos et equestrem ordinem) *propalam monuisse.* Ergo petendi caussa permansit, quae a primo fuit exposita. Set ab his uehementer dissentit scholiastes, aliamque docte caussam patefacit. *Cum princeps esset publicanorum Cn. Plancii pater, et societas eadem in exercendis uectigalibus grauissimo damno uideretur adfecta, desideratum est in senatu nomine publicanorum, ut cum iis ratio putaretur lege Sempronia, et remissionis tantum fieret de summa pecuniae, quantum aequitas postularet, pro quantitate damnorum, quibus fuerant hostili incursione uexati.* Quod Planci patrem publicanorum appellat principem, bene est: nam Cicero c. 15. *inter suos principem* dicit; immo etiam hoc capite extremo, *hunc a summo uiro principem esse ordinis iudicatum,* nempe ut c. 17. *ex CXXV iudicibus, principibus equestris ordinis.* De lege illa Sempronia singularis est locus III. in Uerr. 6., quo prouinciis *aut*, inquit, *inpositum uectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis et plerisque Poenorum, quasi uictoriae praemium ac poena belli, aut censoria locatio constitutast, ut Asiae lege Sempronia.* Cum igitur hi publicani, quos generatim ceteri nominant, *Asiani,* ut uidimus, a Tullio uocentur, et de censoribus conduxisse dicantur, consequitur, unam illam societatem fuisse, quae Asiae uectigalia ex lege Sempronia conduxerit. Neque tamen ea lege ratio putanda erat, set omnino *lege censoria,* qua nempe censores Semproniam secuti uectigalia illa locauerant; de qua cum alii ICti, tum egit abunde Brissonius VI. de formul. 81.. Egregiast in rem nostram insectatio Gabini de prou. cons. c. 5.: *Uidetis, P. C., non temeritate redemptionis aut negoti gerendi inscitia, set auaritia, superbia, crudelitate Gabini paene adflictos iam atque euersos publicanos, quibus quidem uos in his angustiis aerari tamen subueniatis necesse est — An, si qui frui publico non potuit per hostem, hic tegitur ipsa lege censoria; quem is frui non sinit, qui est, etiamsi non appellatur, hostis, huic ferri auxilium non oportet?* Aequa postulatio, quam si redemptores illi fecissent Asiatici, Cato ipse non oppugnasset. Quem tamen hoc etiam nomine reprehendit Casaubonus ad Sueton. l. c., quasi bello Mithridatico adflicti egerint lege censoria. Summo uiro scholiastes nunc auctor exoritur, ut diuinasse propemodum uideatur. Set commenticium hoc esse, testis certissumus, quem produximus, Cicero docet. Quis autem publicanos existumet caussam deteriorem, immo *turpem* adlaturos fuisse, quam patronus ipse dampnabat, si iustam, legitumam, usitatamque habuissent? qui porro habere poterant, cum bello Mithridatico extincto reuersoque ad triumphum Pompeio Asiae uectigalia conduxerint? Nam locatio facta eodem anno fuit quo postulatio, DCXCII., quod ante me Pighius T. III. Annal. p. 357. ex Tulli narratione consequi tam certum habuit, ut eius rei caussa censores nouos in illum annum induxerit, quorum nomina ignoremus. Atqui necesse non erat. Si etenim lustrum postero anno conditum ex I. ad Attic. 18. obseruasset, locationem in quartum Cottae et Isaurici censorum annum incidere perspexisset, bellumque illut inpedimento fuisse, quominus antea fieret. Quamquam etiamsi anno superiore fecerint, nihil est caussae, cur de sententia demoueamur. Set certe non ibi, *qui de censoribus conduxerant,* legendum est, uerum ex Uictori, Lambini, aliisque ante Gruter. editionibus, duobus Graeui codicibus, totidemque Britannicis *conduxerunt.* Recentes erant locationes quoque illae, de quibus e Liuio XLIII, 16. nouimus contumeliae caussa tribunum olim hanc legem promulgasse: *quae publica uectigalia, ultro tributa C. Claudius et Tib. Sempronius* (censores) *locassent, ea rata locatio ne esset, de integro locarentur, et ut omnibus redimendi et conducendi promiscue ius esset.* Illi etenim hoc ius quibusdam ademerant. Garatonius.

Primus sciuit legem de publicanis) Qui in tribu, quod principium fuit, primus suffragium tulit, legemque, quae ferebatur, suffragio suo conprobauit. Festus in *Niquisciuit: Nam sciscito significat sententiam dicito ac suffragium ferto; unde scita plebis.*

Si, quia primus sciuit, utrum id sortis esse uis, an eius, qui illam legem ferebat? si sortis, nullum crimen est in casu, si consulis, splendor etiam Planci etc.) Non dubito, quin is, qui primus legem sciscebat, deligeretur ab eo, qui legem ferebat; ut Sedulius a Clodio tribuno pl. legem in Ciceronem ferente delectus est, de quo sic oratione pro domo [c. 30.]: *Consulari homini P. Clodius euersa re publica ciuitatem adimere potuit concilio aduocato, conductis operis non solum egentium, set etiam seruorum, Sedulio principe, 'qui se illo die confirmat Romae non fuisse? Quodsi non fuit, quid te audacius, qui in aes eius nomen incideris? quid desperatius, qui ne ementiendo quidem potueris auctorem adumbrare meliorem? sin autem is primus sciuit, quod facile potuit propter inopiam tecti in foro pernoctans: cur non iuret, se Gadibus fuisse, cum tu te fuisse Interamnae probaueris?* Manutius. Addo quae Nic. Gruchius de Comitiis Rom. Lib. II. c. IV. p. 681. Thes. Graeu. T. I. ad explicandum huuc locum monuit: „Ex hoc Ciceronis loco intellegi potest, eum, qui primus suffragium ferebat, partim sorte deligi solitum, partim uoluntate rogatoris. Hactenus enim sors in ea re locum habebat, quatenus tribum centuriamue ostendebat, quae prima roganda esset; relicum uero erat in uoluntate rogatoris, ut ex ea tribu centuriaue praerogatiua aliquem deligeret, quem primum rogaret. Neque enim ita locus Ciceronis est interpretandus, ut sortitionem fieri dicamus inter eiusdem tribus centuriaeue homines, qui primus rogandus esset. Nam praeter id, quod tot sortitiones ponere ineptumst, id uero multost absurdius, omnis eiusdem tribus homines in cistam coici ad id modo sortiendum, quis primus esset rogandus; praesertim cum in eo, utrum primus an postremus suffragium diceret, nihil interesse posset, quod ad suffragi uim adtinet. Hic etiam locus ualet ad confirmandum id, quod paulo ante diximus, tributis comitiis non alium fuisse rogatorem tribuum, praeter ipsum magistratum, a quo habebantur comitia. Hoc enim loco diserte ponitur ipsum consulem Caesarem fuisse rogatorem suffragiorum iis comitiis, quibus lex lata est de remittenda publicanis tertia parte uectigalium.“ Ac firmius sane hoc argumentumst quam reliqua illa, quae respicit Gruchius, de quibus uide quae nos monuimus in Praef. ad Uarr. Lectt. ex cod. Erf. enotatas p. CLXVI sq..

CAP. XV.

§. 36. *Set aliquando ueniamus ad caussam*) Hactenus respondit maledictis, quae sunt extra caussam. Manutius.

In qua tu nomine legis Liciniae, quaest de sodaliciis, omnis ambitus leges conplexus es: neque enim quicquam aliut in hac lege nisi editicios iudices es secutus) Reprehendit Cicero Laterensem, quod Plancium lege Licinia de sodaliciis reum fecerit, cum non sodaliciorum, de quibus lex ista lata sit, crimina adtulerit, uerum eiusmodi, propter quae ambitus tantummodo accussari Plancius debuerit, idque unum secundum legem istam Laterensem fecisse ait, ut ipse iudices reo ederet. Ceterum uide, quae de lege Licinia in Proleg. L. III. C. III. p. LXXII sqq. monuimus.

Neque enim quicquam aliut in hac lege nisi editicios iudices es secutus) Ad ea quae sunt necessaria conclusis prioribus transit, et potuisse Laterensem de ambitu accusare significat, nisi maluisset idcirco reum lege Licinia facere, ut haberet

iudices editicios; de cuius [1]) formae acerbitate iam sumus in argumento praelocuti. Differentia igitur accusatoris ostenditur ideo inuadentis in legem Liciniam, quod ambitus probari non possit, de quo iudiees ex reiectione haberi soleant, aequalem scilicet numerum reicientibus tam accusatore quam reo. Uerum specta diligentius[2]) omnem contextum huius .... [3]), ut intellegas oratorio more speciem quandam ...[4]) in modum praescriptiuum facta senatus consulti mentione, qui [5]) secundum legem Liciniam quattuor edi tribus ab accusatore uoluerit, ex quibus reo liceret unam repudiare, ut de tribus reliquis iudicum haberet editionem. Tamen ab accusatore sic fieri uoluisse, ut eas ederet quas corruptas a candidato criminaretur. Hic uero Laterensis noluerat ipsas edere, quibus dicebat pecuniam datam; utique consulte, ne reo, a quo pecuniam sumpserant, fauore tacito patrocinarentur. Quasi negare itaque temptauit accusari posse lege Licinia Plancium, quando sint aliae tribus editae, nec illae potissimum quae sumpsisse pecuniam dicerentur, et quas ideo uel maxime senatus edi uoluisset, ut et iudicarent et testimonium uel contra reum uel pro reo ex ipsa ueritate perhiberent, qui sine dubio quid esset aput tribules suos gestum, optime scirent. SCHOLIA AMBROSIANA. Ex argumento interpretis, quod palimpsesto Uaticano seruatum nobis est, haec eius uerba huc pertinent: *Huic factioni coercendae legislator Crassus existimauit etiam genus iudicii multo periculosius comparandum, ut aput iudices editicios accusarentur, id est ut pro uoluntate accusatoris ederentur tribus, ex quibus unam tantummodo reicere posset reus; de reliquis autem iudices haberentur utique infestissimi causam dicentibus, utpote quos accusator ad uoluntatem suam praelegisset, edendo eas potissimum tribus, quas reo minus aequas fore arbitraretur.* Uide praeterea quae ego copiosius de iudicibus editiciis Proleg. L. III. C. III. §. 3. p. LXXVII sq. monui.

Quod genus iudiciorum) Offendor numero plurali uerbi *iudiciorum*, ideoque aut cum Lambino *iudicum*, aut *iudici* scribendum puto. Sic §. 37. *Acerbum omnino genus iudici.*

Si est aecum ulla in re nisi in) Euertit sententiam loci Ernestius, qui ex paucorum eorumque pessumorum codicum auctoritate *nulla* scripsit, particulam *nisi* tantum post *nullus* aut *non alius ullus* sequi posse contendens. In qua re magnopere falsum eum esse, si pluribus docere exemplis uellem, ridiculus profecto essem. Uerum uidetur Ernestius hoc dicere uoluisse, particulam *nisi* tum tantum poni posse, cum quae opponatur enuntiatio sententiam ne-

1) Sic Niebuhrius; codex *forma acerbitate.*

2) *Diligentius* ego ex coniectura scripsi pro *licentius*, quod in codice scriptum. Occupauit coniecturam meam Niebuhrius.

3) Supple unum uel duo uocabula. A. MAIUS.

4) Supple similiter. A. MAIUS.

5) Pro *mentione, qui* in codice est *mentionem quae;* A. Maius *mentione, quo* scripsit. Ceterum recte quidem monuit Garatonius: „Non senatus legem secutus ita decreuerat, set contra lex de senatus auctoritate ad populum lata ita sanxerat." Uerum interpretis haec uidetur sententia esse: senatum ab accussatore, qui sequeretur legem Liciniam, edi uoluisse etc.. Uide Proleg. L. III. C. III. §. 3. p. LXXVIII sq..

gatiuam contineat. Idque sane uerumst. Minume tamen opus est, ut enuntiatio opposita ipsam *non* particulam additam habeat, modo notione negatiua dicta sit. Sic hac ipsa or. C. XXXIII. §. 80. dictum: *Quid est pietas, nisi uoluntas grata in parentes?* Quo pietatem nihil esse aliut, nisi gratam in parentes uoluntatem significat. Adde Suet. Aug. 6. *Huc introire, nisi necessario et caste, religio est.* Eiusd. Ner. 33. *Denique bustum eius consaepiri, nisi humili leuique materia neglexit.* Plane uero eiusdem generis atque hic noster locus ille est, quem Garatonius ex libro de or. secundo c. 9. §. 36. adtulit: *aut si uia ulla nisi ab hac una arte traditur aut argumentorum aut sententiarum.* In utroque loco sententia, quam in mente habet scriptor, negatiuast, ut nostro in loco significet: *non est autem aecum ulla in re, nisi* etc., in illo: *non traditur ulla uia, nisi ab hac una arte.* Itaque tantum abest, ut *nulla* iubente latinitate, quae Ernesti opiniost, restituendum sit, ut a sententia loci prorsus abhorreat. Ita enim significaret orator, esse uero istut iudici genus alia etiam in re aecum. — Praeterea non dubitaui ex codicum B et E auctoritate *in* praepositionem addere, quam Tulliana loquendi consuetudo addi postulat. Cfr. Praef. ad Uarr. Lectt. ex cod. Erf. enot. p. XVII sqq., et uide Academ. I, 5, 19. *neque ulla alia in re nisi in natura quaerendum esse illut summum bonum.* de Fin. B. et M. II, 34, 111. *si ea nullam ad aliam rem nisi ad uoluptatem conquiruntur.* Ibid. IV, 17, 47. *qui nulla in re nisi in uirtute.* in Pison. XX, 48. *quod ad neminem nisi ad ipsum te pertineret.* Denique confer etiam Proleg. L. II. C. I. §. 8..

In hac tribuaria) Rem tribuariam dicit, quae pertinet ad tribus, quae tanguntur in iudicio de sodaliciis, quatenus a reo corruptae contenduntur.

De ipso denique ambitu) Cum plures uno de crimine leges essent, earum nominibus accussationes fiebant. Itaque singulari lege de sodaliciis Licinia Plancius accussabatur, set alia erat iudici forma, si quis ipsius ambitus nomine postularetur. Propterea dixit, *de ipso ambitu,* h. e. cum nominatim de ambitu iudicatur. Hoc Lambinus intellegens plenius expressum uoluit, *in ipso denique iudicio de ambitu.* Recta explanatiost; neque tamen sic loqui contra libros omnis cogendus orator. Est enim *βραχυλογία* eaque non obscura, cum facile rei, de qua disputat, nomen cuiuis occurrat, quod omissum intellegat, nimirum *iudiciis* ac *legibus.* GARATONIUS.

De ipso denique ambitu reiectionem fieri uoluerit iudicum alternorum) Explicat haec uerba aliqua ratione interpres Ambrosianus, supra adlatus, monens: „*differentia igitur accusatoris ostenditur ideo inuadentis in legem Liciniam, quod ambitus probari non possit, de quo iudices ex reiectione haberi soleant, aequalem scilicet numerum reicientibus tam accusatore quam reo.*“ Ista autem iudicum alternorum reiectio ex lege Uatinia fiebat, de qua Cicero in Uat. C. XI. §. 27.: *Et quoniam crebro usurpas, legem te de alternis consiliis reiciendis tulisse.* Ad quem locum, id est ad uerba: *spoliaretur beneficio et aequitate legis tuae.* interpres Ambrosianus haec adnotauit: *legem quidem hanc non improbabilem uidebatur P. Uatinius in tribunatu suo perrogasse, ut alternorum iudicum reiectio fieret.* Uide ibi Ang. Maium et Ernestium in Claui Cic. s. uoce legis Uatiniae.

§. 37. *Huiusce rei tandem obscura caussast*) Cur acerbum illut iudici genus senatus in sodaliciorum caussa exerceri uoluerit, neque in ceteras caussas transtulerit.

Cum ista in senatu res agebatur) Cum Cn. Pompeio II. M. Licinio Crasso II. coss. senatus consultum est factum, ut seuerissuma ista lex de sodaliciis ferretur, quam M. Licinius Crassus pertulit. Uide Proleg. L. III. C. III. §. 2. p. LXXV..

A Q. Hortensio) Qui caussam egit Planci ante Ciceronem. MANUTIUS. Cum Manutio consentit Garatonius.

Cui tumst senatus adsensus) Particula *tum* ad illut tempus referendast, quo senatus consultum factumst.

Cuiuscumque tribus largitor esset, et per hanc consensionem, quae magis honeste quam uere sodalitas nominaretur, quam quisque tribum turpi largitione corrumperet, eum maxume iis hominibus, qui eius tribus essent, esse notum) Sic hunc locum ex cod. Erf. auctoritate restitui. Uolgo ante Graeuium pro: *et per hanc consensionem, quae magis honeste quam uere sod.* scribebatur: *et per consensionem magistratuum, quae honeste sod..* De qua scriptura monuit Ernestius: „Haec est lectio uolgata; quam cum Graeuio e Ms. Erf. correximus, primo delendo *et* [quam copulam nec Erf. omittit nec Graeuius], addendoque *hanc*, deinde delendo *magistratuum*, quod inepta glossa addidit [immo ex *magis* ortum], denique post *honeste* addendo *magis quam uere;* quamquam haec ultuma nobis aliquam suspicionem glossae mouent. Uoluit dicere senatus: si per coitionem largitio facta et tribus corrupta esset; dixit primo, uerbo, quod et in deteriorem partem dicitur, *consensionem;* deinde eam honesto uerbo *sodalitatem* appellari in lege, cum sit proprie consensio uel coitio. Mox *corrumperet* est corrumpere uellet, tentaret; nisi legendum *corrupisset:* nam in sequentibus est de corruptione iam facta." Non minus quam Ernestius errauit Orellius, qui idem *et* copulam post *esset* omisit, arctissume iungenda uerba *cuiuscumque tribus largitor esset per hanc consensionem* contendens. Atqui prorsus necessaria copula *et* est, cum duo diuersa membra sint quae coniunguntur, *cuiuscumque tribus largitor esset,* et *per hanc consensionem, quae — nominaretur, quam quisque tribum turpi largitione corrumperet,* ideoque structura uerborum haec sit: eum, qui alicuius tribus largitor esset, et qui aliquam tribum per consensionem turpi largitione corrumperet. Prius qui faciebat, in *ambitus* crimen incurrebat, posterius qui committebat, *sodaliciorum* reus fiebat. Uide quae hanc in rem Proleg. L. III. C. III. §. 2. p. LXXIV sqq. disputaui. Porro falsus est Ernestius, quod pro *corrumperet* plusquamperfectum *corrupisset* ponendum fuisse censuit. Refert Cicero, quid senserit senatus, cuius oratio directa haec fuerit necessest: *cuiuscumque tribus largitor est, et quam quisque tribum — corrumpit, is maxume iis — est notus.* Quodsi in oratione directa indicatiuos praesentis erat positus, in oratione obliqua praecedente tempore notionis praeteritae consentaneum erat, ut coniunctiuos inperfecti poneretur.

Et per hanc consensionem, quae magis honeste quam uere sodalitas nominaretur) Athenis etiam quaedam fuerunt σπουδαὶ ἑταιρειῶν ἐπ' ἀρχάς, ut Plato tradidit in Theaeteto §. 78. Heindorf.. GARATONIUS. Male Schutzius in Ind. Lat. *consensionem* explicat uerbo *coitionis.* Uide Proleg. L. III. C. III. §. 2. p. LXXV sq.. *Consensione* hic eos significari, quos candidati sibi ad consequenda populi suffragia conciliassent, uno uerbo *sodalis,* ex membro adiecto *quae — nominaretur* manifesto apparet. Similiter sensu *conspirationis* uerbum illut cum alibi usurpatur, tum in Uerr. V, 9. *Nulline motus in Sicilia seruorum praetore Uerre, nullaene consensiones factae uidentur?*

Iis hominibus, qui eius tribus essent) Id est iis, qui non sunt corrupti. Nam qui sodaliciorum reus erat, minume omnibus tribus cuiuspiam, quam ferre cupiuerat, hominibus nummos dederat.

Acerbum omnino genus iudici) Cur acerbum sit, ipse Cicero C. XVI. §. 40. accuratius explicat.

CAP. XVI.

§. 38. *Terentinam*) Erfurt. et Bau. *Teretinam* constantissume scribunt. Alibi me sic inuenisse non memini, satisque constat *Terentinam* eam tribum appellatam fuisse, quod etiam nomen uiri docti a *Terento* deducunt, qui Romae locus fuit extra muros in campo Martio ad ripam Tiberis. Atinates in ea censebantur. Garatonius.

Et certe expectatumst) Orellius *certo* scribendum putat, quod duo *certe* diuerso sensu ita sese excipere posse uix credat. Non uideo, quid inpediat, quominus utroque loco *certe* eodem sensu dictum putemus.

Cuius tu tribus uenditorem et corruptorem et sequestrem Plancium fuisse clamitas) Sic habent omnes libri; set ego iis inuitis legendum puto *emptorem:* nam qui corrumpit, emit, non uendit; nisi quis dicat, uenditorem hic pro emptore usurpari; uel sic, proprie uenditorem esse positum, et significari, Plancium hanc tribum suis conpetitoribus pretio accepto concessisse, quod probabilius est. Huc fortasse pertinet id, quod infra [§. 45.] dicitur, *ne reficere necessariis suis suam tribum possint;* siue, ut malim legi, *ne sufficere,* etc.. Lambinus. Qui primum hoc legat, et Plancium corruptarum tribuum reum esse sciat, credat *emptorem* legendum esse, quod et Lambino in mentem uenerat; set *sequestrem* id non patitur, quod semper in hac re dicitur de conciliatore corruptionis, qui paciscitur, aput quem pecunia depositast, hoc est, uenditor tribus, qui suffragia uendit; quamquam idem etiam emit. Set quomodo Plancius *uenditor* et *sequester* est? nempe quia per eum uendit suffragia tribus ei, qui pecuniam dedit; sicut perductores sunt et uenditores et corruptores puellarum. Ernestius. Optumam esse uolgatam, non modo id euincit, quod sequitur, *sequestrem,* uerum etiam apertissume, quod infra legitur C. XVII. §. 43. *Uoltinia tribus ab hoc corrupta; Terentinam habuerat uenalem.* Garatonius. Uenditor tribus Terentinae erat Plancius, uel, quod eodem sensu dictumst, uenalem habuerat tribum Terentinam, quod eam conpetitoribus concessit, postquam largitione sibi eam deuinxerat. Cfr. C. XXII. §. 54..

Eam tribum profecto seuerissumorum praesertim hominum et grauissumorum edere debuisti) Cum seuerissumi sint et grauissumi homines, qui sunt in tribu Terentina, eo magis edere hanc tribum debuisti, quo certius erat, iudices ex illa tribu delectos pro seueritate sua, si tribulis corruptos scirent, omnium maxume contra reum testimonium ex ipsa ueritate perhibituros esse. Quod quidem testimonium eo plus ualeret, quo grauiores sunt homines, qui in tribu illa recensentur. Cfr. C. XVIII. §. 45. *Tribulibus enim iudicibus non modo seueritatem illorum, si ista uera sunt, set ne uoltus quidem ferre possemus. Hanc tu rationem cum fugeris, cumque eos iudices habere nolueris, quorum in huius delicto cum scientia certissuma, tum dolor grauissumus esse debuerit,* etc..

At Uoltiniam) Hagenbuchius nostras in dissertatione inedita de tribu Arniensi, non Narniensi, ad Cic. 2. Agr. 2. c. 29. ad h. l. haec notat: „Quod Uoltiniam tribum Cic. pro Plancio c. 16. et 17. uicinam facere uidetur Terentinae, Sigonius ad situm quoque seu loca tribuum refert, de Iur. ciu. Rom. Lib. I. c. 3. p. 13. (Ed. Lips. 1715. T. I. p. 40.): uereor tamen, ne subtilior sit haecce Sigoni tribuum ordinem enarrandi ratio quam uerior." Eandem tamen secuti sunt Boindinus et Beaufortius (*République Romaine* T. I. p. 174.) ac fatendum est, sub inperatoribus demum uariis coloniarum deductionibus, migrationibus singulorum ciuium, adoptionibus, libera denique cuiusque electione factum esse, ut urbium etiam Italicarum tribus

admodum essent incertae ac permixtae, cuius rei luculenta exempla tibi subministrabit Oliuerius ad Marm. Pisaur. p. 99.. Orellius.

Lubet etenim) Ita probante Garatonio pro uolgata scriptura *libet enim* ex Bau. edidi, quamquam obloquente Orellio, qui monuit: „*etenim* haut facile hoc loco receperim; etsi bis terue aput Ciceronem postponitur. Prima enim syllaba ex *διττογραφίᾳ* postremarum uocis praecedentis litterarum *lubET* manifesto est orta." Mirum profecto iudicium. Cum in optumo libro *etenim* scribatur, in deterioribus *enim*, faciliusque omitti librari neglegentia praecedente uerbo *lubet* primam particulae *etenim* syllabam potuisse quam additam ab librario esse pateat, sine dubitatione Bauarici scriptura recipienda erat. Idque eo magis, cum in reliquis etiam locis, in quibus *etenim* particula a Cicerone postposita reperitur, multos codices *enim* scribere uideamus. Loci hi sunt: De Re p. I, 2. *Quae etenim istorum oratio tam exquisita.* pro Caelio III, 6. *Sunt etenim ista maledicta peruolgata in omnis.* de Senect. IX, 29. *lubidinosa etenim et intemperans adulescentia.* Adde interpr. Uat. in M. Tulli or. Uatin. C. XIII. 5. p. 184. ed. Mai.: *ipsius etenim Uatinii lege, quam tulerat in tribunatu* etc.; Iuris ciu. Anteiust. reliquiae ed. A. Mai. p. 9. *Hinc etenim iurgia multa nascuntur.* ibid. p. 65. *parui etenim refert.* p. 66. *per filiam etenim, quae naturaliter agros retinuit, specie dotis, cuius capax fuit, defendi.*

Quid cum Ufentina) Hoc ego cum Orellio pro uolgata scriptura *Ueientina* restituendum putaui, conmotus non solum codicum optumorum, B et E, auctoritate, qui id ipsum habent, set etiam plurumorum librorum familiae tertiae scriptura, quae proxume ad lectionem *Ufentina* accedat. Nam *uientina,* quae scriptura in aliquot bonis codicibus est, aperte orta ex *ufentina* est, littera *f* librari neglegentia in *i* mutata. Deinde ex *uientina* ortae sunt hae scripturae, *bientina, mentina,* et *meritiria.* „Lapides quidem antiqui (Garatoni ad h. l. uerba sunt) passim offerunt, *Oufentina,* set in Mss. *Ufentina* scribi solere, iam docuit Drak. ad Liu. IX, 20.." — Ceterum tribus *Ueientinae* numquam omnino ab antiquis scriptoribus mentionem fieri memini, nisi quod On. Panuinius de Ciu. Rom. C. L. in lapidibus memorari eam ait.

Quid cum Crustumina) On. Panuinius de Ciu. Rom. C. L. p. 267. Thes. Graeu. T. I. de tribu hac loquens monet: „Huius tribus XIV inscriptiones uidi, in quibus semel tantum *CRU.*, semper uero uel *CLU.* uel *CLUST.* exaratum erat." Ego cur nihilominus, quamquam plurumi libri hic quoque *Clustumina* scribunt, uolgatum retinuerim, in libro de orthographia lat. exposui.

Maeciam) Hanc necessario restituendam scripturam fuisse uel is intelleget, qui codicum scripturas, quas uide in apparatu critico, examinauerit. Neque uero *Metiam,* quod Graeuius aliique scripserunt, set *Maeciam* ueram scripturam esse, ex antiquis inscriptionibus, ut monitum iam a Garatoniost, indubie docuit Manutius ad VIII. ad Diu. 8., neque aliter ipse Graeuius edidit multis ex libris IV. ad Att. 5., fauente etiam Drak. in Liuio, quamuis ante hunc Torrenius ad Ual. Max. II, 9, 6. ueram scripturam contenderit esse, *Moecia,* nescio quos auctores secutus. Nobiscum consentit etiam Dausqueius in Orthogr., atque similiter *Maecius, Maecilius, Maecianus.* Cfr. etiam On. Panuinius de Ciu. Rom. l. l. p. 282.. Ceterum de scriptura, quam Manutius posuit, *tertiam* pro *Maeciam* uide quae Proleg. L. III. C. III. §. 5. p. LXXVII sq. dixi.

Nam Maeciam non quae iudicaret, set quae reiceretur, esse uoluisti) Recte Garatonius, cuius ad hunc locum notam in Proleg. p. LXXVIII. posuimus, properea sperauisse Lateren-

sem suspicatur, fore, ut Maecia a Plancio reiceretur, quod homines illius tribus omnium maxume inimici Plancio essent, atque ipse fortasse Laterensis ei tribui adscriptus esset. Licuisse autem sodaliciorum reo unam de quattuor tribubus ab accussatore editis reicere, in Proleg. L. III. C. III. §. 3. demonstratumst.

§. 39. *Suo iudicio, non ad sententiam legis*) Sententia legis haec erat, ut accussator eas tribus, quas corruptas criminaretur, ederet ex iisque indices deligeret. Eam non secutus erat Laterensis, quod Uoltiniam et Terentinam, quas corruptas arguebat, ita deuinctas Plancio sciebat, ut reo patrocinaturas esse certo praeuideret.

Set ad suam spem aliquam) Tacite significat et tecte Cicero, eiusmodi iudices ab Laterense delectos esse, quos sperauerit propterea, quod inimicissumi Plancio essent, reum condempnaturos esse. Uehementer autem falsus est Ernestius ad hunc locum, coniungens uerba, *spem aliquam de ciuitate*, monensque: „Intellege de potestate testium ex uniuerso populo deligendorum, non e tribubus certis. Hoc infra clare dicit.“

De ciuitate delegerit) Recte dicuntur iudices ab Laterense de ciuitate delecti esse, quoniam accussator quattuor tribus, quas commodum fuerat, ediderat ex iisque una ab reo reiecta iudices delegerat.

Quid enim potest dicere, cur ista editio non summam habeat acerbitatem) Sic in omnibus codd. editionibusque scribitur. Nihilominus ego non dubitaui *potes* corrigere. Nam etsi in antecc. recte Tullius tertia usus persona de Laterense locutus est, propterea quod ad iudices necessario conuertenda oratio erat, tamen nunc denuo Laterensem debuisse conpellari, ex seqq. *Tu deligas* etc. manifesto apparet. Omninoque tenendumst, semper in hac oratione, nisi ubi ad iudices conuerti orationem oportebat, Tullium Laterensem ipsum adloqui solere. Cuius rei caussa in eost posita, quod minume ita Laterensem Tullius despiciebat, ut adlocutione eum indignum iudicaret. Ea enim sola fuit caussa, ob quam in orationibus Pison., Catill., et Uerrinis de Pisone, Catilina, et Uerre saepissume tertia usus persona locutus est. Quam facile autem *potes*, praesertim sequente u. *dicere*, in *potest* potuerit mutari, omnes uident. Sic infra §. 7. *nihil potes in te* plerique codd. uitiose *potest* scribunt. Ceterum sensus est: concedas necessest, Laterensis, acerbissumam istam tribuum editionem esse, quae accussatori lege Licinia concedatur, si quos commodumst iudices, quosque aut amicos tuos, aut inimicos rei, aut omnino crudelis existumas, deligis.

Remota ratione illa, quam in decernendo secuti sumus) Nisi eae tribus ab accussatore eduntur, quas largitione corruptas criminatur.

§. 40. *Tu deligas — cogas caussam de fortunis omnibus dicere?*) Offensi hoc coniunctiuo uiri quidam docti sunt, sine dubio propterea, quod quo uerbo auxiliari nos ad exprimendam uim primae personae huius coniunctiui potentialis, in interrogatione positi, uti solemus, id parum aptum huic loco uidebatur esse. Uerum quamquam eademst ubique huius coniunctiui potentialis ratio, siue prima siue secunda persona positast, tenendum tamen, hanc secundam eius personam aptissume saepe a nobis uerbo *uolendi* (*du willst — auslesen?*) reddi posse. Cfr. II. in Catil. VIII, 18. *Tu agris, tu aedificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus et copiosus sis, et dubites aliquid de possessione detrahere, acquirere ad fidem?* I. in Rullum I, 3. *Siluam uero tu Scantiam uendas nobis consulibus atque hoc senatu? tu ullum uectigal adtingas, tu populi Romani subsidia belli, tu ornamenta pacis eripias?* II. in Rull. XXVII, 74. *Tu non definias, quot colonias, in quae loca, quo numero colonorum de-*

duci uelis? tu occupes locum, quem idoneum ad uim tuam iudicaris, conpleas numero, confirmes praesidio quo uelis? populi Romani uectigalibus atque omnibus copiis ipsum populum Romanum coerceas, opprimas, redigas in istam decemuiralem ditionem ac potestatem? pro Murena IX, 21. *et cum longo interuallo ueneris, cum iis, qui in foro habitarunt, de dignitate contendas?* ibid. XXXV, 74. *tu mihi summum inperium, summam auctoritatem, tu gubernacula rei publicae petas fouendis hominum sensibus et deliniendis animis et adhibendis uoluptatibus?* pro domo II, 4. *Itane uero? quod in inperita multitudine est uitiosissumum, uarietas et inconstantia et crebra tamquam tempestatum sic sententiarum conmutatio, hoc tu ad hos transferas, quos ab inconstantia grauitas — deterret?* de Fin. B. et M. II, 24, 77. *Quodsi uoltum tibi, si incessum fingeres, quo grauior uiderere, non esses tui similis: uerba tu fingas et ea dicas, quae non sentias, — occultetur?*

Tu me ignaro — atque omnibus iniquos) Haec cur uncis incluserim et spuria putem esse, Proleg. L. II. C. II. p. LX sqq. exposui.

Et tuorum necessarios) De B et E scriptura, post *tuorum* addentium *amicorum*, monitumst in Proleg. Lib. II. C. II. §. 8. p. XLII..

Uel iniquos uel meos, uel etiam defensorum meorum) Quod primum uerbum *iniquos* adtinet, recte hoc a Wopkensio ad Tacit. III. Ann. 4. in Actis Traiect. T. II., quem memorauit Garatonius, contra Lambinum, qui paucissumorum codicum eorumque pessumorum scripturam *inimicos* praetulit, defensumst. Omnino dubitari nequit, quin saepe a Latinis *iniqui* substantiui loco dictum sit. Uide quae ad C. XXIII. §. 57. monita sunt. Nec hoc loco aliut quid ab auctore scriptum fuisse, codices manifesto ostendunt. Deinde uero offenderunt editores *uel* particulae ante *iniquos* et *meos* positae. Itaque Garatonius scribendum coniecit: *et inimicos uel meos, uel etiam.* Contra Orellius edendum curauit: *iniquos uel meos, uel etiam,* adnotans ad h. locum: „*uel* enim ante *iniquos* uel *inimicos* ex hoc ipso originem duxit, quod in margine adnotabatur: *iniquos* uel *inimicos.*" Garatoni coniectura multo audacior est, quam quae probari possit, cum *uel* atque *et* particulae tam diuersis scribi sint solitae conpendiis, ut numquam, quod meminerim, confusae reperiantur. Orelli coniectura non audacissuma solum, uerum etiam a sententia loci aliena. Nam si *uel* ortum ab eo esset, qui explicandi caussa putatur super *iniquos* scripsisse *uel inimicos,* deberet etiam id ipsum *uel inimicos* aut tantum *iniquos* in codicibus scriptum extare. Est autem in optumis ac longe plurumis *uel iniquos,* quorum librarios statuendum esset, id quod ab omni probabilitate abhorret, signum tantum glossae superscriptae, neque uero ipsam glossam recepisse. Cum codices fere omnes iique praestantissumi hanc scripturam, *uel iniquos uel meos,* tueantur, eamque sententia loci satis admittat, non uideo, cur audacioribus coniecturis indulgendum sit, quamquam hoc genus loquendi *uel iniquos uel meos* non offensione caret. Set uide Proleg. L. II. C. II. p. LXI sqq..

Consessum meorum iudicum) Contra latinitatem fuisse, quod ante Garatonium legebatur, *eorum* pro *meorum,* non opus est ut uerbo doceam.

Aput eosque me ne quinque quidem reiectis, quod in proxumo reo de consili sententia constitutumst, cogas caussam — dicere) Iam de sodaliciis causam dixerat P. Uatinius eodem defendente M. Cicerone; cuius exemplo negat iniquitate Laterensis esse Plancio permissum, quinque saltem iudices reicere, quo manifesta sit improbitas obstinate conitentis inimici, ut reus innocens oppri-

matur conspiratione magis iniquorum iudicum, quam criminis ueritate conuictus. SCHOLIA AMBROSIANA. Uide Proleg. L. III. C. III. §. 3. p. LXXIX..

§. 41. *Non enim — idcirco ista editio per se non acerba est*) Periculosius aliquantum fuerat euectus, ut hoc dicendo, uoluisti Plancium, Laterensis, aput inimicos iudices accusari, offenderet animos eorum, qui erant de causa pronuntiaturi. Uigilanter itaque illum quidem hoc animi habuisse testatus est, ut reus iniquis iudicibus uteretur, set fortunam multo prosperius secundasse, ut uiri spectatae humanitatis et incorruptae religionis in hanc cognitionem uenirent, quae innocenti reo obesse non posset. Iudices ergo non laesit, et propositum malitiosi accusatoris ostendit. SCHOLIA AMBROSIANA. Eadem arte usus est Cicero pro Sulla XXXIII, 92. *Uos reiectione interposita nihil suspicantibus nobis repentini in nos iudices consedistis, ab accussatoribus delecti ad spem acerbitatis, a fortuna nobis ad praesidium innocentiae constituti.*

Ad carnifices) Uno nomine *carnificum* conprehendit quos pauló ante *inexorabilis, inhumanos, crudelis* dixerat.

Idcirco ista editio per se non acerbast) In uno Ox. est *conditio.* Immo acerba est *conditio per se,* non Laterensis *editio;* nec defensori aliter licebat loqui. GARATONIUS. Primum nulla prorsus unius libri Ox. illius auctoritas est. Deinde uero rectissume se habet *editio.* Nam uerbis *ista editio* significatur eiusmodi iudicum editio, ut accussator quos uelit iudices ex tribus tribubus eligat, quorum nemo ab reo reici possit. Eam *per se acerbam* cum dicit, significat acerbam esse etiam non habita ratione huius caussae, in qua forte fortuna acciderit, ut iudices non essent carnifices, qualis edere uoluerit Laterensis.

CAP. XVII.

An uero nuper clarissumi ciues nomen ed. iud. non tulerunt) Opinatus olim eram et in hoc loco et in sex aliis Tullianis scribendum *Ain uero?* pro *An uero* esse, hac ductus caussa, quod quae proxume secuntur uerba, *nuper — non tulerunt, cum — parerent,* interrogando ecferri nequeunt, cum res ipsa doceat, Tullium hoc et uelle et debere cum adfirmatione dicere: *Nuper clar. ciues nomen editici iudicis non tulerunt, cum — parerent.* Accedit, quod ex perpetuo *An* particulae usu, si uerba *An uero — non tulerunt* arcte cohaerere putarentur, manifesto haec, quae alienissumast, sententia existeret: *Nuper ciues nomen ed. iudicis tulerunt.* Nihilominus sanam nunc huius loci scripturam uolgatam arbitror. Solent enim nonnumquam Romani nunc *An* nunc *An uero* particulis enuntiationem, quae duobus sibi oppositis membris constat, ita incohare, ut posterius tantum membrum cum interrogatione enuntietur, prius uero aliqua post particulas illas pausa facta pro sententia uel condicionali uel caussali proferatur, qua alterum nitatur. Eo modo *An uero* particulas Tullius et hic usurpauit et de orat. I, 58, 250. pro Fonteio VIII, 16. pro C. Rabirio V, 16. in Catil. I, 1, 3. pro Sulla XI, 32. de N. D. II, 6, 17.. Praeterea uide Maduigium in Emendatt. in Ciceronis libros philos. p. 38—46. et Handium de particc. latt. T. I. p. 349—352..

An uero nuper — non tulerunt) Adhuc eandem, quantum rebus ipsis apparet, inculcat iniquitatem iudicii, quod Laterensis ut ex editiciis haberet, maxime laborauerat. Et hac in parte commemorationem uidetur facere Tullius eius temporis, quo Ser*uius Sulpicius* .. SCHOLIA AMBROSIANA.

Editici iudicis) Bau. *aeditici*, h. e. *editicii*, quod cum in Erf. Graeuius repperisset atque probasset, cur non receperit, nescio. Seruius ad Uerg. III. Ecl. 50. *Editicius iudex est, quem una pars eligit*; locumque superiorem adfert ex cap. 15., cui plane similis hic esse debet. GARATONIUS. Ueram esse, quam Garatonius probauit, scripturam *editici iudicis*, uel sola praestantissumorum codicum, Ambrosiani, Bau., et Erf., auctoritate satis superque confirmatur. Cfr. Proleg. L. I. C. III. §. 2. p. XIX.. Consentit autem A cum B et E, licet leui cum errore *editicium* pro *editici* scriptum habeat. Accedit, quod uolgata scriptura, *editi iudicis*, a loci sententia prorsus abhorret. Nam *editi* iudices etiam ii erant, qui dudum iudicauerant ex lege Seruilia, qua et petitor et reus ex CDL uiris, qui quotannis iudicabant, C edebant, sic ut reus ex C, quos petitor ediderat, L, totidemque petitor ex iis, quos reus ediderat, reiceret. Itaque necessest de iudicibus editiciis hic sermo sit, qui quales fuerint, a me Proleg. L. III. C. III. §. 5. p. LXXVI sqq. dictumst. Leui tamen errore, in quem Ciceronis uerbis induci me passus sum, ibi contendi iudices editicios eos esse dictos, *qui ab accussatore ita fuissent constituti ut nemo eorum ab reo reici posset.* Uidetur hoc necessario effici his uerbis, quae Tullius §. 41. posuit: *nos neque ex delectis iudicibus, set ex omni populo; neque editos ad reiciendum, set ab accussatore constitutos iudices ita feremus, ut neminem reiciamus?* Set sunt haec quoque, ut multa alia, quae hoc capite Tullius dicit, oratorio more et cum rei amplificatione dicta; ueluti hoc ipsum, quod iudices a Laterense constitutos ex omni populo delectos esse ait, quos ex tribus tantum tribubus fuisse delectos certo scimus. Cfr. Proleg. p. LXXVI sqq.. Nam qui tandem iudices illi, quos nuper tulisse ciuis clarissumos negat, dici *editicii* potuerunt, si uera esset, quam cum Cicerone dedi, definitio, cum ipse doceat, fuisse eos, quos dicit *editicios*, quinquaginta illos, quos rettulerit reus, cum ex CXXV, ab accussatore editis, LXXV reiecisset? Itaque sic potius statuendum, dictos esse iudices editicios eos, qui a solo essent accussatore editi ita, ut certus tantum eorum numerus ab reo reici posset. Nam reiciendi facultas etiam ex lege Licinia data erat reo, cum ex quattuor tribubus, quas ediderat accussator, unam reiceret. Uide Proleg. p. LXXVI sq.. Id uero Cicero plane hic dissimulat, quo acerbius, quod in Plancium exercebatur, iudici genus uideretur, reiectionemque illam nullam simulat esse. Tenendum autem, in reliquis omnibus iudiciis et reo et accussatori edendi reiciendique iudicum potestatem fuisse concessam.

Nomen editici iudicis non tulerunt) Non concesserunt, ut accussator iudices editicios haberet, quod Manuti caussa moneo, qui in nota seq. haec male interpretatus est. Repetendam tamen eius ad hunc locum, ut ad obscuriorem, adnotationem putaui, licet errorum plenam, cum non una de eius sensu editorum sententia sit.

Cum ex CXXV iudicibus, principibus equestris ordinis, quinque et LXX reus reiceret, L referret) Non est credendum, hoc tempore lata iam Aurelia lege, quae iudicia inter tris ordines communicabat, solum equestrem ordinem iudicasse; set est intellegendum, totum illum numerum equitum Romanorum, qui diuersis iudiciis adsignati erant, fuisse CXXV; cum iis praeterea senatores et tribunos aerarios iudicasse; reum autem ex CXXV iudicibus equestris ordinis potuisse reicere quinque et LXX, et L referre; referebat autem eos ipsos, qui de CXXV supererant, qui demptis LXXV erant L. Quam potestatem licet reus haberet, eius tamen amici, clarissumi ciues, nomen editi iudicis in ea caussa non tulerunt. Hic quaero, cum dicat Cicero, *nomen editi iudicis*, ex quo ordine ederentur ab accussatore illi iudices; ex equestri uerisimile uix uidetur: nam illi CXXV non edebantur accussatoris arbitrio, set deli-

gebantur a praetore, ut arbitror, idque summa diligentia; quod ex eo constat, *principibus equestris ordinis;* ex iis autem L, quos reus, LXXV reiectis, referebat, accussatorem edidisse puto quos uolebat; quod reo non uidetur obesse potuisse, cum ederentur ex iis L, quos ipse probasset. Recte igitur dixit, *nomen editi iudicis,* quasi nomen ipsum tantum in caussa uersaretur, res ipsa nulla esset, utpote cum illa editio reum non laederet. Occurrit alia quaestio, cur unius equestris ordinis mentio fiat, senatores tribunique aerarii omittantur; quasi non ex iis reiciendi facultatem reus haberet, aut ii non item ut equites ederentur. Respondere licet, quod cum ratione consentit: cum tres ordines iudicarent, non ex uno equestri, set ex reliquis quoque duobus reum quosdam reiecisse, alios rettulisse, ex relatis autem accussatorem edidisse. Manutius. Oratione pro Plancio commemoratur quaedam lex de ambitu, quae tamen perlata non est, qua iudicium illut soli ordini equestri demandabatur. Cum nihil occurrat, quod contra reponam, locum ipsum explicabo accuratius. Ut enim Liciniae legis de sodaliciis acerbitatem amplificet, per quam accussator tribus edebat, ex quibus praetor [hoc falsum esse, ex Proleg. L. III. C. III. §. 3. apparet.] iudices sortiretur in reum, exponit, quam sit acerbum iudicium illut, quod a iudicibus ab accussatore editis fiat. Sic autem arguit a conparatione: *An uero nuper clarissumi ciues nomen editi iudicis non tulerunt, cum ex CXXV iudicibus, principibus equestris ordinis, quinque et septuaginta reus reiceret, quinquaginta referret: nos neque ex delectis iudicibus, set ex omni populo, neque editos ad reiciendum, set ab accussatore constitutos iudices ita feremus, ut neminem reiciamus?* Actum fuerat in senatu paulo ante, ut ambitus iudicia hoc modo fierent: Ederet accussator ex ordine tantum equestri iudices centum uiginti quinque; reus ex iis reiceret septuaginta quinque; quinquaginta reliqui iudicarent; set huiusmodi iudici formam clarissumi homines repudiauerunt. Nam iudices illos centum uiginti quinque edendos fuisse ab accussatore, non a praetore ipso, ut uolgo docent commentatores, perspicuum est; alioquin deterruma fuisset accussatoris conditio, qui neque recussare posset datos a praetore iudices, neque ex illis quemquam reicere, cum tam multos reiciendi facultatem reus haberet. Quod etiam ex iis, quae secuntur, si recte adtendamus uerborum uim ac sententiae, aperte conligitur: *nos neque ex delectis iudicibus, set ex omni populo, neque editos ad reiciendum, set ab accussatore constitutos iudices ita feremus, ut neminem reiciamus?* Sensus est: Iudices feremus non editos ex delectis iudicibus, set ex omni populo, non editos ad reiciendum? Tria notanda ueniunt: delectus iudicum, editio, et reiectio. Necesse erat prius deligere iudices, quam edere: *ex delectis iudicibus editos;* prius edere quam reicere: *editos ad reiciendum.* Non igitur, ut putat Manutius, post factam reiectionem a reo ex quinquaginta reliquis edebat iudices accussator, set iam illi centum uiginti quinque iudices editi fuerant ab accussatore. Hinc lex ipsa, quam ex S. C. quidam ferre cogitauerant nuper, iudices deligebat, cum ex equitibus R. tantum eos edendos esse praescriberet, quos oratorie Cicero principes equestris ordinis uocat; ex equitibus R. iudicibus a lege datis centum uiginti quinque accussator edebat; reus ultumo ex editis quinque et septuaginta reiciebat; proindeque illi centum uiginti quinque iudices dicuntur editi ex delectis iudicibus, editi ad reiciendum. Contra uero multo acerbiorem legem tulerat Crassus: primum ut accussator edere posset iudices non ex delecta aliqua parte populi, u. c. ex equitibus R., set prorsus ex omni populo [hoc quoque non uerum esse Proleg. l. l. docui.], etiam ex plebe; deinde ne ex editis ab accussatore reo liceret quemquam reicere. Legem illam superiorem, ait Cicero, adeo lenem non tulimus, hanc tanto iniquiorem feremus? *Nos neque ex delectis iudicibus, set ex omni populo,*

neque editos ad reiciendum, set ab accussatore constitutos iudices ita feremus, ut neminem reiciamus? Praeterea cum superioris legis commoda cum alterius incommodis conferantur, ex delectis iudicibus, ex omni populo; editos ad reiciendum, constitutos sine reiectione: si praetor, non accussator edidisset iudices illos centum uiginti quinque, dixisset procul dubio Cicero: *neque editos a praetore ad reiciendum, set ab accussatore constitutos,* etc.; quod enim non solum reiectionem non tolleret, uerum iuberet etiam edi a praetore iudices, quanto lenior lex illa fuisset, quae tamen fuerat repudiata? FERRATIUS p. 21—22. Uidendum, an hic reus, iudicibus LXXV ex eorum numero, quos accussator ediderat, ab se reiectis, proposuisse atque edidisse alios L deinde ipse dicatur. Nota est locutio, *ferre iudices,* de qua diximus ad c. 15. pro Comoedo. Accussator, qui iudices *edit,* eos utique *fert:* quid ergo, si reus in reiectorum locum alios contra proponens, eos *referre* sit dictus. Nam certe non uideo, quomodo Manuti et Ferrati explicationes id uerbum recipiat. Emendatio autem I. F. Gronoui [*ferret,* hoc sensu, pateretur sine sortitione ex illis edi, quoscumque uellet accussator ad illum numerum, quem ex lege iudicare oporteret] et periculosa est et hunc ipsum sensum habere potest aliumque illi tribuere non ausim. GARATONIUS. Eodem modo atque Garatonius explicuit Ernestius *referret,* adnotans: „reiectorum loco ederet.“ At ea significatione neque dictum alibi umquam uerbum *referendi* est, neque si uel maxume dictum esset, hoc potuit loco dici. Primum enim sententia totius loci apertissume declarat, Ciceronem de iudicio eiusmodi loqui, in quo acerba fuerit rei, non accussatoris condicio. Quodsi reo ex CXXV iudicibus, quos accussator ediderat, LXXV reicere licuit, et ipsi L edere, qui iudicarent cum quinquaginta illis, quos ex CXXV non reiecerat, id quod statuunt Garatonius et Ernestius statuereque debemus, si *referret* eo quo illi uolunt sensu accipimus: profecto multo acerbiorem accussatoris quam rei condicionem fuisse apparet. Accedit, quod, ut paulo ante uidimus, iudices illius, de quo Cicero loquitur, iudici dicti sunt *editicii;* quo nomine nullo pacto eos potuisse appellari, quorum partim a reo partim ab accussatore editi erant, ex iis, quae ad uerba *iudicis editici* et Proleg. p. LXXVI sqq. exposuimus, manifesto intellegitur. Denique insolenter etiam tum Cicero locutus esset, si ipsum illut uerbum, quod poni debebat, si id, quod Garatonius et Ernestius dicendum fuisse putant, dicere uoluisset, si uerbum inquam *ederet* pro *referret* posuisset. Postularent enim linguae leges, ut uerba *L ederet,* si essent posita, cum uerbis *ex CXXV iudicibus* iungerentur. Atqui ex iudicibus, ab accussatore editis, *reicere* quidem recte reus dicitur, set *edere* nec dictus umquamst nec dici potuit. Itaque certissumumst, recte Ferratium, cuius tota fere huius loci explicatio unice probandast, sic explanasse *referret,* ut sensum quod adtinet, idem esset atque *retineret.* Quaerendum tantummodo restat, quomodo *referret* isto sensu usurpari potuerit. Non adsentior omnino Orellio, qui postquam Ferratianam huius loci interpretationem recte probauit, haec addidit: „*Referret* igitur est: retineret, siue acciperet. Dupliciter autem explicari potest istoc uerbum: *referret* siue referri iuberet in album iudicum ei caussae adsignatorum, uel potius: *acceptos referret ab accussatore,* ex notissuma formula *acceptum referre quid.* Hunc autem germanum esse sensum conprobant ipsa uerba legis Seruiliae, Ferratio non memoratae, aput Sigon. de Iudiciis II, 27. et Brisson. de form. Lib. II. p. 140. Bach.: *ubei is (quei petet) C. uiros ediderit, iouraritque. tum eis praetor facito. utei is unde petetur. die XX. postquam eius nomen delatum erit. quos C. is. quei petet. ex hac lege ediderit. de eis iudices L legat edatue* cet.. *De eis* (*ex iis* ap. Sigon. p. 609. ed. Lips. 1715. T. 2.) inquit, *legat, edatue,* non uero: *alios contra ferat.*“ Quod Orellius dicit, *referret* accipiendum esse,

acceptos referret ab accussatore, id probari minume potest, siquidem *referre* umquam sensu isto usurpatum esse nullo doceri exemplo potest. Neque altera eius omnino uera explicatiost. Nam reum neque referre neque referri iubere potuisse eos, qui iudicarent, in album iudicum ei caussae adsignatorum, ex lege Seruilia intellegi potest, in qua C. IX. p. 44. ed. Klenz. scriptum: *Praetor, quei ex h. l. quaeret, facito ut C uiros, quos is quei petet et unde petetur ex h. l. legerint, ediderint, eosque patronos, quos is, quei petiuerit et is unde petitum erit sibei nominauerint, queiue eiei, quei petet, a praetore ex h. l. datei erunt, in taboleis popliceis scriptos habeat, eique, quei petiuerit et unde petitum erit, qui eorum uolet, ex taboleis popliceis eorum nomina legundi semper ius potestasque esto.* Itaque *referret* mea quidem sententia nihil aliut hic significare potest quam *nomina iudicum retentorum in libello scribere*, ita ut *referre* uerbo nostro *eintragen* respondeat. Sollemnis autem locutiost *referre in codicem*, uel *in album*, uel *in tabulas*, uel *in commentarium*. Exempla uide aput Gesner. Thes. L. L. T. IV. p. 113.. Absoluteque, quamquam alia de re, *referre* eo sensu positum a Cicerone in orat. Sull. C. XIV. §. 41.: *Itaque introductis in senatum indicibus constitui senatores, qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent. At quos uiros? non solum summa uirtute et fide, cuius generis in senatu facultas maxuma, set etiam quos sciebam memoria, scientia, consuetudine et celeritate scribendi facillume quae dicerentur persequi posse, C. Cosconium — App. Claudium. Credo esse neminem, qui his hominibus ad uere referendum aut fidem putet aut ingenium defuisse.* Ipsum autem reum consignata habuisse nomina iudicum, quos habebat, cum per se uerost simillumum, tum ex multis Uerrinarum actionum locis patet. Ceterum etsi non pertinet ad explicationem huius loci, monendum tamen, errare Garatonium, qui *ferre iudices* solius esse accussatoris tum ad h. l., tum ad or. pro Comoedo c. 15. contendit. Dictum *ferre iudices* etiam de reo esse, hic ipse locus manifesto ostendit, in quo scriptum sit: *nos — ab accussatore constitutos iudices ita feremus, ut neminem reiciamus?* Denique adponenda huc Garatoni uerba puto, quae ad c. 31. huius orationis de lege Tullia de ambitu conparatis iis, quae a Cicerone in or. pro Mur. c. 23. monita sunt, scripsit. Ibi haec exposuit: „Illut inprimis mihi adnotandum, quod ad hanc orationem maxume pertinet. *Idem* [pro Mur. c. 23.] *editicios iudices uoluisti, ut odia occulta ciuium, quae tacitis nunc discordiis continentur, in fortunas optumi cuiusque erumperent.* Hoc numeratur in iis, *quae mea*, inquit, *summa uoluntate senatus repudiauit.* Huccine igitur illut pertinet, quod supra uidimus c. 17. *nuper clarissumi ciues nomen editici iudicis non tulerunt* etc.? de re certe ibi agitur, quae ante Liciniam legem acciderit. Set turbant sequentia, *omniaque potius permiscuerunt, quam ei legi condicionique parerent.* Itaque iudices editicios bis repudiatos existumare licet, semel Ser. Sulpicio eos postulante, iterum ignoto alio tempore, set posteriore, antequam tamen Crassus inponeret.“ Dolendumst, quod Scholia Ambr., quae ad hunc locum scripta exstiterunt, maxumam partem perierunt. Uidetur tamen interpres ille Ambrosianus in ea fuisse sententia, ut Ciceronem ad illut respicere tempus putaret, quo Ser. Sulpicius iudices esse editicios uoluit. Coicio hoc ex extremis, quae seruata sunt, Scholiastae uerbis, a me p. 126. adlatis: *Et hac in parte commemorationem uidetur facere Tullius eius temporis, quo ser...* Nam ultumis litteris *ser* probabile mihi uidetur praenomen illius ipsius Sulpici contineri. Idem nunc uideo Niebuhrium suspicatum esse.

Omniaque potius permiscuerunt) Non intellego, quid sit *omnia permiscuerunt.* Suspicatus sum *permiserunt*, ferre uoluerunt, quam iudices editos. Ernestius. Rectissume dictum

permiscuerunt esse, hi loci probabunt. Cic. Or. IX, 29. *Qui* (Pericles) *si tenui genere uteretur, numquam ab Aristophane poeta fulgere, tonare, permiscere Graeciam dictus esset.* Idem II. contra Rullum XXXIII, 91. *Homines non inerant in urbe, qui malis contionibus, turbulentis senatus consultis, iniquis inperiis rem publicam miscerent, et rerum nouarum caussam aliquam quaererent.* Idem pro Mil. IX, 25. *Conuocabat tribus; se interponebat; Collinam nouam delectu perditissumorum ciuium conscribebat. Quanto ille plura miscebat, tanto hic magis in dies conualescebat.*

§. 42. *Set factum tuum a sententia legis doceo discrepare*) Quod quo sensu sit dictum, satis est a me Proleg. L. III. C. III. §. 3. p. LXXVIII sq. planum factum.

Et illut acerbum iudicium si — ita fecisses, ut — non modo non quererer) Uidentur uerba, *illut acerbum iudicium*, per se consistere, nec nerbum quo sustententur desiderare, quasi dicat: Et, quod acerbum iudicium est, si, quemadmodum in S. C. et lege scriptum est, ita fecisses, ut in Plancium et suam tribum Terentinam, et ab eo obseruatas ederes, (sic enim lego postulante sententia, non *ederent*) non modo non quererer, set iudicibus editis iis, quibus Planci integritas nota esset, absolutum Plancium putarem. Manutius. Ferratius p. 22. arctissume coniungenda uerba, *Et illut acerbum iudicium non modo non quererer*, putat, parentheseosque signis inclusit, quae interiecta sunt, *si*, *quemadmodum — ederes.* Mirumst, neutrum, nec omnino quemquam editorum uidisse, uerba *illut acerbum iudicium* pendere a uerbo *fecisses*, et subaudiri ad uerbum *quererer* debere. Itaque comma, quod ante me inter *iudicium* et *si* erat positum, deleui.

Ut huic et suam) Recte Garatonius hoc melius esse, quam quod ante eum in omnibus editionibus scriptum erat, *ut in hunc et suam*, contendit, rationem adferens hanc: „edebantur etenim reo, ut unam posset reicere, quod patet ex c. 16.."

Et suam et ab hoc obseruatas tribus ederes) Si qui *tribus*, quod nomen soli B et E seruarunt, ut spurium abicere uelit, is necessest ante omnia exemplis doceat, per consuetudinem latinam nomen illut in hoc loquendi genere omitti licere. Cfr. etiam Proleg. L. II. C. I. §. 8..

Iis iudicibus editis) Hic quoque etsi *iis* pronomen soli B et E habent, tamen abici nequit, cum eiusmodi iudicibus editis, qui testes idem esse possint, Cicero se Plancium putare absolutum dicat. Itaque pronomen illut necessarium ad sententiae integritatem est. Neque poterat uis illa, quae in pronomine istost, soli *iudicum* nomini tribui. Ita enim falsa cogitari oppositio poterat haec: *nullis iudicibus editis.*

Neque nunc multo secus existumo) Neque nunc metuo, ne Plancius ab iis, quos edidisti, iudicibus condempnetur, siquidem illi ex iis tribubus delecti, quas non criminaris corruptas esse, testes esse non possunt nec Plancium criminis conuincere. Cfr. C. XVIII. §. 46..

Ignotis) Ignotos iudices dixit non tantum qui Plancium ignorarent, ut interpretatur Manutius, set qui delicti etiam, quod a Plancio conmissum Laterensis arguebat, non satis gnari essent. Cfr. C. XVIII. §. 46..

In tenebris quam in luce caussam uersari maluisti) Hoc ipse Cicero accuratius §. 46. explicat.

§. 43. *Uoltinia tribus — uenalem*) Ex Laterensis sententia, non ex Ciceronis dicta esse, facile intellegitur.

Quid diceret aput Uoltiniensis, aut aput tribulis suos iudices? immo uero tu quid diceres?) Cum Uoltiniam tribum a Plancio corruptam, et Terentinam habuisse eum uenalem dicis,

edere profecto has tribus debuisti. Nam si Uoltinienses aut Terentini a te iudices essent delecti, quomodo tandem aput eos, homines seuerissumos et grauissumos (conl. §. 58.), Plancius, si tribus istas corrupisset, defendere se posset (conl. §. 45. extr. et §. 46.)? Quod cum dixisset Cicero, subito, ut declararet cogitari id plane non posse, a Plancio illas tribus corruptas esse, conuertit se ad Laterensem dicitque: *immo uero tu quid diceres?* id est, immo uero tu, si illos delegisses iudices, quomodo ullum Plancio crimen obicere posses, quod illi iure obiectum concederent?

Aut aput tribulis suos iudices) Praepositionem *aput,* quam familiae tertiae codices omittunt, repeti postulat Tulliana loquendi consuetudo, de qua uide quae dixi Praef. ad Uarr. Lectt. ex cod. Erf. enot. p. XVII sqq.. Ceterum cfr. etiam Proleg. L. II. C. I. §. 8..

Quem iudicem ex illis aut tacitum testem haberes, aut uero etiam excitares) Male haec Manutius, quem secuti sunt Weiskius et Wolflius, ita interpretatus est: „Iudicem ex illis neminem, neminem tacitum testem haberes: testimonium enim de Planci innocentia omnes dicerent.“ Neque quisquam reliquorum editorum falsam hanc interpretationem esse monuit, nisi quod comma, quod tres illi editores post *illis* posuerunt, reliqui non habent. Nimirum illi tribus hanc periodum membris constare male opinati sunt, quae duobus tantum constat. Non enim integrum membrum aut est aut esse potest, *quem iudicem ex illis haberes,* set *quem iudicem ex illis tacitum testem haberes,* quod dictum eodem modo, quo paulo post, *quem habet uicinum tribulem.* Sensus igitur hic est: nemo iudex ex illis aut tacendo Plancium delictum, cuius accussatur, commisisse testaretur, aut iussus a te testimonium dicere non defenderet Planci innocentiam.

Etenim si reus tribus ederet, Uoltiniam — edidisset) Erunt, qui quomodo haec cum antecedentibus cohaereant, non satis intellegant. Itaque monendumst, sententiam eorum, quae hac §. 43. dicta sunt, hanc esse: Uoltiniam tribum dicis a Plancio corruptam, Terentinam habuisse eum uenalem. Itaque edere has tribus debuisti, idque eo magis, quo certius est, Plancium, si corrupisset tribus illas, minume ab iudicibus earum tribuum, hominibus grauissumis et seuerissumis, absolutum fore. Uerum tua caussa istas tribus non edidisti, quod praeuidebas, fore, ut iudices ex iis delecti omnes innocentiam rei testarentur. Nam Plancius quidem minume fugisset Uoltiniensis aut tribulis suos iudices, sua fretus innocentia, duarum illarum tribuum hominibus maxume nota.

Si reus tribus ederet, Uoltiniam fortasse Plancius propter necessitudinem ac uicinitatem, suam uero certe edidisset) Cum ante Garatonium in omnibus editionibus hic locus ita scriptus extaret, *si reus tribus* (al. *tribum*) *ederet, Uoltiniam fortasse Plancius propter uicinitatem ac necessitudinem suam non edidisset,* recte ille uitiosam istam, et unice ueram, quam nos cum Orellio recepimus, scripturam esse docuit. Quod quamquam multis et inutilibus etiam uerbis docuit, tamen quorumdam lectorum gratia integram eius adnotationem hic recudendam putaui. „Quam sibi ab accussatore tribum edi uellet, edere Plancius dubitasset, aut etiam non edidisset? quam ob caussam? ob eam, quae maxume ad edendum inpellere debuisset. Deinde non conuenit, facultatem, quae accussatori dabatur, inminutam in reo fingere. Facile perspicitur ex iis, quae paulo ante uidimus c. 16., Plancium, si ius fuisset, tribus ad iudicandum saltem duas edere debuisse [haec non uera esse, ex Proleg. p. LXXVI sq. abunde patet.]. Ubi nunc igitur illa, in qua cum Atinatibus suis Plancius numerabatur, adsidua in hoc sermone comes Uoltiniae Terentina? Haec ego, quae cuiuis occurrere necessest, non poteram non intellegere;

set illut *fortasse* male me habebat, et ubi coniectura consisteret, non reperiebam. Est enim Erfurtensis ceteris etiam corruptior [minume uero]; ex quo uno *tribum* Graeuius sumpsit, Ernestus adsciuit, quod id putarent sequentibus consentaneum, in quo tamen ipso, etiam ut tum erat locus, uiri doctissumi fallebantur. Nam insperatam denique opem tulit tam deprauato loco Bauaricus [prorsus consentiente Erf., nisi quod in hoc male *tribum* pro *tribus* scriptum], in quo purus atque integer ita perscribitur: *Etenim si reus tribus ederet, Uoltiniam fortasse Plancius propter necessitudinem ac uicinitatem, suam uero certe edidisset.* Uerae lectionis reliquias tres Britannici [et alii non pauci] seruant. Leucst, quod unus habet, *necessitatem ac uissitudinem,* h. e. *necessitudinem ac uicinitatem.* Illut caput est, quod idem cum duobus aliis exhibet negatione deiecta *suam uero* [frequentissumast *non* et *uero* particularum permutatio in codd. saec. XIV. et XV. scriptis] *edidisset;* quod si uidere olim licuisset, ad emendationem fuisset profecto satis. Nam reliquom quod erat, *certe,* antecedens postulabat *fortasse;* in quo nunc explanando me locus praeclare constitutus adiuuit. Cum Plancius conpetitores non sine sua inuidia uicerit, ex XXXV tribubus quot tulerit, non est obscurum. Harum princeps Terentina certe fuit; in qua gratiosi homines uidentur fuisse, qui alias aliquas conciliarint: *neque enim,* ut ait c. 18., *interdicendum est, ne conficere necessariis suis suam tribum possint, ne par ab iis munus in sua petitione respectent;* mutua haec sunt officia non petitorum modo, uerum etiam amicorum, quibus late manet gratia, augescitque magnopere. Infra c. 19. *Quam tibi commodum est, unam tribum delige; tu — per quem tulerit, docebo.* Ipse uero Plancius et in sua tribu et in aliis erat gratiosus, neque in una Uoltinia magnas necessitudines habuisse credendus est. Cicero igitur, siue generatim loquitur, siue de ipso Plancio, semper suae designati magistratus tribui primas dat, secundas coniunctioribus. Generatim c. 15.: *Acerbum omnino genus iudici; set tamen, si uel sua uel ea, quae maxume esset cuique coniuncta, tribus ederetur, uix recussandum.* Hic autem modo, *si fecisses, ut huic et suam et ab hoc obseruatas tribus ederes.* Quod c. 16. *eas tribus,* inquit, *in quibus magnas necessitudines habet Plancius,* ideo fit, quod proxume Terentinam primum nominauerat, deinde Uoltiniam, *lubet etenim tibi nescio quid etiam de illa tribu criminari:* quod non modo alias non excludit, uerum etiam docet, qua de caussa una post Terentinam Uoltinia nominetur, ut modo, *Uoltinia tribus ab hoc corrupta.* Sic itaque statuendum est, Plancium, si potuisset, Terentinam editurum sine ulla dubitatione fuisse, quae omnibus de caussis erat sua; cum autem alias haberet aeque fere amicissumas, an ex iis Uoltiniam sumpturus fuerit, Ciceronem certo scire non posse, propterea *fortasse* dixisse; sermonem denique de duabus tantum illis institui, quod solae a Laterense nominatim arguerentur. Ex his porro aliquid me arbitror adiecisse ponderis ei disputationi, in quam incidi c. 16., ubi iudices de sodalitiis trinis ex tribubus delecti uidebantur. Praecipuum illut est, *suam et ab hoc obseruatas tribus.* Nonne duas suae adici debere putas?" Cur *uero* uncis incluserim, Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XXXVIII. dixi.

Et si quaesitor huic edendus fuisset) Pronomen *huic,* quod soli B et E habent, ad sententiae integritatem necessarium mihi uidetur. Eo enim omisso uerborum, *si quaesitor edendus fuisset,* hanc patet sententiam esse, ut Cicero omnino non fuisse quaesitorem edendum dicat. Atqui edidit quaesitorem accussator. Itaque ut id indicaret Cicero, quod uolt indicare, *si Plancio edendus quaesitor fuisset:* opus erat, ut Planci nomen uel pronomen eius adderetur. Quod etsi quodammodo ex antecedentibus suppleri potuit, negari tamen non potest, aptius, ut omnis ambiguitas remoueretur, nunc denuo adpositum esse. Praeterea interpretem credibilius

est, si quid addidisset, *reo* uel *Plancio,* quam *huic* fuisse adiecturum. Cfr. etiam Proleg. L. II. C. I. §. 8..

C. Alfium) Est omnino C. Alfius Flauus, ut dixi iam pridem ad c. 42., ibique nunc aliquid sum additurus. GARATONIUS. Garatoni dissertationi de C. Alfio in Proleg. L. III. C. II. p. LXX sqq. locum dedimus.

Quem habet, cui notissumus esse debet, uicinum, tribulem) Rectius foret *debeat,* quia praecedit *habet.* ERNESTIUS. Nihil prorsus mutandum. Sensus est: quem quoniam habet uicinum, tribulem, notissumus ei esse debet. Unde alienissumum fore modum coniunctinom patet. Non minus miror Orellium, qui Manutium secutus ad h. locum adnotauit: „*Alfium, quem habet* scil. quaesitorem, *cui notissumus esse debet; uicinum, tribulem* non pendent ex uerbo *habet*, set sunt epitheta ad uoc. *Alfium* referenda." Quae interpretatio uera esse nullo pacto potest cum aliis de caussis, tum maxume propter uerba, *cui notissumus esse debet;* quae si, id quod uolt Orellius, ad omissum nomen *quaesitoris* referuntur, ineptam continent sententiam. Non enim C. Alfio, quod quaesitor sit, notissumum Plancium debere esse dici potest, set quod uicinus sit et tribulis. Itaque uerba, *cui notissumus esse debet,* necessario cum iis, inter quae sunt interiecta, *quem habet uicinum, tribulem,* arctissume sunt coniungenda.

Cuius quidem aequitas, et ea uoluntas erga Cn. Planci salutem) Ante Garatonium et Orellium in omnibus fere editionibus pro *et ea uoluntas* scribebatur, *et meae similis uoluntas.* De qua scriptura monuit Garatonius: „Huius loci uetus deprauatio fuit, *et mea uoluntas,* quam etiam in quinque Britt. [aliisque multis] esse uideo. Deinde audaculus emendator extitit, a quo *meae similis* profectum est. Is uero non cogitauit, defensoris erga reum et quaesitoris uoluntatem similem esse non debuisse. Idcirco sequitur, *quam ille sine ulla cupiditatis suspicione prae se fert.* Erat igitur Erf. iampridem obtemperandum, nunc uero et illi et Bau. parendum est, qui uerissume dant, *et ea uoluntas.*" Cfr. in Uerr. I, 12, 35. *Nam illut mihi nequaquam dignum industria conatuque meo uidebatur, istum a me in iudicium iam omnium iudicio condempnatum uocari, nisi ista tua intolerabilis potentia et ea cupiditas, qua per hosce annos in quibusdam iudiciis usus es, etiam in istius hominis desperati caussa interponeretur.*

Non fuisse fugiendos tribulis huic iudices) Cum in plerisque editionibus scriptum extaret, *non fuisse fugiendum tribulem huic iudicem*, rectissume Garatonius uno uerbo numerum pluralem ex optumorum librorum auctoritate restituendum monuit. Nihilominus haec ad h. locum protulit Orellius: „Uerum haut deerunt, quibus adhuc praeferendum uideatur, *fugiendum tribulem huic iudicem;* hoc enim, inquient, tum conlectiue accipi potest, tum magis concinne respondet seqq. *quaesitorem tribulem;* tum denique ex ista lege Licinia non omnes iudices erant rei tribules, set cum maxume tertia eorum pars, ubi scilicet suam ipse tribum non reiecerat reus. Nihilominus optumis codd. parendum censui." Neque *iudex* ullo modo conlectiue potest accipi, neque concinnitas utriusque membri in eadem, quae sibi opponuntur, nominum terminatione quaerenda, quae aspere potius ad auris accideret, neque denique numerus pluralis, *fugiendos tribulis huic iudices,* ulla ratione significat, omnis iudices rei tribulis fuisse, set Plancium minume aegre fuisse laturum, si inter iudices etiam tribules eius fuissent.

CAP. XVIII.

§. 44. *Neque ego nunc consilium reprehendo tuum*) Concedit tandem Cicero, Laterensem, quamquam contra sententiam legis, tamen ad suum ipsius commodum accommodatissume

iudicium ita fecisse, ut reo et suam et ab eo obseruatas tribus non ederet. Uerum aliam statim huius rei rationem reddit, quam eam, qua ductus Laterensis alias tribus ediderat. Cicero enim fingit, non delectos a Laterense Planci tribulis esse iudices, quod Laterensis aput illos, qui maxume Planci innocentiam testati essent, ei sodaliciorum crimen obicere non ausurus fuerit, cum reuera Laterensis propterea noluisset illos iudices deligere, quod omnis a reo corruptos arbitrabatur.

Quod eas tribus, quibus hic maxume notus, non edideris) Sic ego primus scripsi. Ante me uolgabatur: *quod non eas tribus, quibus hic maxime notus erat, edideris.* In qua scriptura necessario debebat editores conlocatio *non* particulae, ante *eas* positae, offendere. Non pertinet enim particula illa ad pronomen *eas,* set ad uerbum *edideris,* a quo eo minus interiectis aliis uerbis seiungi debebat, quo manifestius est, in unam cum uerbo isto notionem coalescere, sic ut sensus sit: *recussaueris edere.* Neque uero aduersantur huic transpositioni codices, uerum maxume fauent. Nam plurumi iique optumi libri neutro in loco particulam illam habent, ut eo in loco reponendam eam certum sit, in quo facillumo librari errore excidere potuerit. Poterat autem facillume excidere ante *edideris* praecedente uoce *notus,* sic scripta, *not'.* Praeterea uide, quae de scriptura huius loci Proleg. L. I. C. III. §. 8. p. XXII. et L. II. C. I. §. 11. p. XLVIII. exposui.

Etenim quis te tum audiret illorum?) *Tum* addit significans, si iudices ex illis tribubus, quas non edidisti, delegisses.

Aut quid diceres? sequestremne Plancium? respuerent aures, nemo adgnosceret, repudiarent: an gratiosum? illi lubenter audirent, nos non timide confiteremur.) Cum olim legeretur, *repudiaretur* pro *repudiarent,* monuit Garatonius ad h. locum: „Erf. et Bau. *repudiarent;* neque id refertur ad *auris,* set, quod *nemini* contrarium est, *omnes* subaudire necessest. Loquendi ratiost exquisitior, quam huic loco aptissumam censeo.“ Etsi non dubito, quin *repudiaretur* librari errore ex *repudiarent* sit factum, praesertim cum hoc in optumis codd. repertum sit, tamen nec hoc a Cicerone puto scriptum esse, set interpreti deberi, a quo super *respuerent* fuerit positum. Idque tribus potissumum de caussis persuasissumum habeo. Prima haec est, quod *repudiarent* sic positum, ut nullo uinculo reliquis uerbis adnexum sit. Tantum enim abest, ut omissio nominis *omnes,* quod Garatonius supplendum putat, exquisita sit, ut maxume hiulcam reddat orationem. Altera positast in significatione uerbi, quae talis est, ut praemissis uerbis *respuerent aures, nemo adgnosceret* apte addi nullo pacto potuerit. Constat, uerbo *respuendi* cum uerbo *repudiandi* hoc commune esse, quod *reiciendi* uel *abiciendi* significatum habet. Nam *respuere* notumst proprie dici eum, qui id, quod in os sumpserit, ut stomacho taedium mouens reiciat, *repudiare* uero, qui id, cuius eum pudeat, dimittat uel abiciat. Quodsi translate, ut hoc loco, usurpantur haec uerba et conponuntur, eo patet differre tantummodo posse, ut *respuere* significet abicere aliquid, cuius nos taedeat, *repudiare* uero, cuius nos pudeat. Itaque erunt fortassis, qui hoc cum sit utriusque uerbi discrimen, apte hic uerba illa copulari potuisse opinentur. Quibus uti concedo, coniungi aliqua ratione uerba illa potuisse, ita omnino nego, sic ambo hic locum potuisse tenere, ut uerbis *nemo adgnosceret* seiungerentur. Quis enim, qui recte loquatur, postquam dictum aliquod accussatoris ab iudicibus ut contumeliosum reiectum, et ut fictum habitum iri dixerit, postmodo ut pudendum reiectum iri addet? Immo uerba *nemo adgnosceret* necessario finire membrum debebant, quoniam hoc summum erat, si iudices ficta et falsa accussatoris crimina habebant. Tertia caussa, ob quam *re-*

pudiarent a Cicerone scriptum nego, haec est, quod aequalitas membrorum, quam studiose sectatum Ciceronem esse omnes sciunt, addito uerbo illo prorsus euertitur, contra omisso uerbum uerbo egregie respondet. Nam *sequestremne* opponitur *an gratiosum*, uerbis *respuerent aures* uerba *illi lubenter audirent*, uerbis *nemo adgnosceret* uerba *nos non timide confiteremur*. Hanc orationis concinnitatem num credibilest Ciceronem euertisse, ut uerbum adderet, quod omni ex parte inutilest?

Legibus istis, quas senatus de ambitu sanciri uoluerit) Cum legeretur in codd. et editt. omnibus *sancire*, monuit Manutius: „Lego *sanciri:* non enim sanciebantur leges a senatu, set a populo.“ Est quod miremur, neminem editorum insequentium hanc facillumam et maxume necessariam Manuti emendationem recepisse. Neque Cicero, etiam si *sancire*, id quod numquam dictumst, senatus dici posset, qui leges ferendas decernit, *sancire uoluerit* dixisset, set necessario *sanxerit*.

§. 45. *Conficere necessariis suis suam tribum*) Conciliare suam tribum suis amicis et cognatis, ut aput Terent. *conficere alicui uirginem, nuptias, argentum.* Graevius. Male idem *suis*, quod asperius ad auris caderet, deletum uoluit.

Plena etiam antiquitatis) Plena morum antiquorum, quos maiores nostri obseruarunt. Plin. lib. II. ep. 2.: *Iam hoc ipsum pulchrum et antiquom, senatum nocte dimitti.* Et in Paneg. 76.: *Iam quam antiquom, quam consulare, quod triduum totum senatus sub exemplo tui sedit.* Graevius.

Isto in genere) In isto genere hominum, qui aput tribulis suos gratiosi esse uoluerunt. Cfr. §. 44. extr..

Et hodie esse uidemus quam plurumos gratiosos) Uehementer miror, quod his uerbis nemo editorum offensus est. Quomodo enim recte locutus Cicero existumari potest, dicens: *Isto in genere et fuimus ipsi, cum ambitionis nostrae tempora postulabant, et clarissumos uiros esse uidimus, et hodie esse uidemus quam plurumos gratiosos.* Nemo non intellegit, uerba *Isto in genere* ita esse conlocata, ut non tantum ad primum uerbum *fuimus,* set etiam necessario ad sequentia *esse uidimus et hodie esse uidemus* referenda sint. Iam ipsa illa uerba *Isto in genere* apertumst non alio posse sensu dicta esse, quam, *isto in genere hominum, qui gratiosi aput tribulis suos esse uoluerunt.* Haec autem si subintellegis, id quod fieri oportet, ad extremum membrum, *et hodie esse uidemus quam plurumos gratiosos,* ineptissume patet additum adiectiuom *gratiosos* esse. Neque uero aut latinitas aut loci sententia admittit, ut uerba *isto in genere* cum adiectiuo *gratiosos* arcte coniungantur, hoc sensu: *istiusmodi gratiosos.* Minume enim de uario gratiosorum hominum genere exponit, set simpliciter semper fuisse uiros bonos docere uolt, qui aput tribulis suos gratiosi esse uoluerint. Quae cum ita sint, non dubito equidem, quin *gratiosos* ab interprete explicationis caussa super *quam plurumos* scriptum et a librariis in textum receptum sit.

Decuriatio tribulium) Oxoniens. unus, *tribuum;* medius est Bau., in quo *tribulum,* set pro *tribulium,* ut ego quidem interpretor. Nam etiam supra c. 19. *tribulis decuriasse,* atque ita solet. In Epist. ad Q. Fratrem II, 3. *SCum factum est, ut sodalitates decuriatique discederent.* Garatonius. Cum non Bau. solum, uerum etiam Erf. plurumique codd. familiae tertiae *tribulum* scribant, uidendum erit, num forte haec genitiui forma a Cicerone usurpata sit.

Decuriatio tribulium, descriptio populi) Non eodem sensu *decuriatio tribulium* dicitur, quo *descriptio populi.* Nam decuriare tribulis dici uidetur, qui tribulis suos in decurias, id

est in classis quasdam distribuit, singulis decuriis decuriones praeponens, quorum est, efficere, ut decuriae, quibus praesunt, eam in comitiis sententiam ferant, quam ferri uolt is, qui tribulis dicitur decuriare. Ea ratione non opus habebat is, qui u. c. a tribu sua aedilis uolebat creari, ut singulos homines, qui eius tribus erant, appellaret sibique deuinciret, set satis erat, illos tantum homines, quos decuriones fecerat, largitione alioue modo sibi conciliasse. Isti autem decuriones [1]) aut auctoritate sua, aut gratia, aut precibus, aut largitione, aut denique ui solebant efficere, ut ea, quam uolebant, in comitiis sententia a decuriis suis ferretur. Alterum illut, *describere populum*, de eo dictum uidetur, qui reliquam populi multitudinem, quae non erat in ipsius tribu, simillumo modo in classis quasdam distribuebat, iisque classibus praeficiebat, qui aut largitione corrupti aut alia quacumque ratione adducti efficerent, ut classes, quibus praeerant, eam declararent in comitiis sententiam, quam declarari uolebat is, qui populum describebat. Eodem sensu statim post *conscribere* dictum puto esse.

Et bonorum omnium uim ac dolorem excitarunt) Rarum dicendi genus, *uim bonorum excitarunt*, pro inpulerunt bonos, ut uehementer in eos, qui haec facerent, animaduertendum putarent. Nec usurpaturum Ciceronem fuisse puto, si non adiectum uerbum *doloris* esset.

Sequestrem fuisse) Sic et mox iterum. Est h. l. qui spondet pecuniam; et quidem suam, qui est caput pecuniae. Mox ipse egisse dicitur *per sequestrem*, quod aliter est. u. Clau.. ERNESTIUS. Ernestius h. l. sequestrem esse dicit, qui pecuniam spondeat suam, caput sit pecuniae. Set haut facile umquam *sequester* dicetur, qui sui honoris caussa suffragia corruperit, et eodem modo accipiendum erit, ut aliis locis, ubi idem confertur in Plancium. Nempe si de ea tantum culpa, quam Plancius, cum ipse aedilitatem peteret, contraxerit, sermo esset, neque *uenditoris* (cap. 16.) neque *sequestris* nomen in eum conueniret. Set latius patet hoc crimen, et Laterensis utique Plancio obiecerat, illum suam quoque tribum corrupisse, ut aliis eam, qui honorem ambirent, turpi largitione posset conciliare. Eadem sententia cap. 17. est: *Terentinam habuerat uenalem* Plancius. Ita scilicet *uenditoris* nomen, contra quam uoluit Ernestius, proprie est accipiendum, et *sequester* quoque eodem modo dicitur, ut aliis locis, qui operam *aliis* praestat in corrumpendis suffragiis siue iudicum siue tribus; aput quem pecunia deponitur, qui promissam singulis pecuniam soluit. HULDRICUS. Quamquam recte Huldricus Ernesti interpretationem ueram posse esse neganit, tamen, quam ipse protulit, explicatio non magis uerast. Nam si quam aliis in comitiis, quam quibus aedilis est creatus, Plancius culpam contraxerat, eius profecto nunc ab accussatore, qui id unum agebat, ut inlegitumo modo aedilitatem Plancium consecutum esse doceret, accussari nullo pacto potuit. Neque Cicero ad ea respondendum putasset, qui cum dicit: *Haec doce, haec profer, huc incumbe, Laterensis, decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse, pronuntiasse, diuisisse*, etc. manifesto de eo tantum delicto loquitur, quo effecisse reus arguebatur, ut aedilitatem consequeretur. Itaque non est dubium, quin sequester fuisse Plancius ab Laterense sit dictus, quod coitione facta cum Plotio conpetitore (cfr. C. XXII. §. 53.) tribus quasdam pro pecunia, aput eum deposita, Plotio concesserit uel uendiderit, quemadmodum uicissim Plotius existumandus est tribus quasdam, quas sibi deuinctas habuerit, Plancio concessisse.

---

1) Etsi numquam isto sensu decurionum nomen usurpatum repperi, tamen non est dubium, quin, qui sodales dicuntur, illi ipsi fuerint, quos ego decurionum nomine notaui.

Pronuntiasse) Pecuniam promisisse. Confert Lambinus pro Cluent. c. 29. et Suet. Caes. c. 19., Garatonius II. ad Q. Fratrem 15. *uel H. S. centies constituunt in praerogatiua pronuntiare.*

Tum mirabor) Nunc non miror; quia cum haec docere et proferre contra Plancium non posses, ideo tribum eius et ab eo obseruatas, quibus notissumus esse debebat, edere noluisti. MANUTIUS.

Armis) Iudicibus, ex_tribubus iis delectis, quas Laterensis a Plancio corruptas dicebat.

CAP. XIX.

§. 46. *Cupidos sui*) Qui omni studio id agebant, ut magistratum, quem petebat, Plancius adipisceretur.

Sin quia gratiosi sint accussandos putas) Sic B et E; ceteri libri pro *sint* scribunt *sunt.* „Post *quia* subiunctiuom nolebat Graeuius, quem in meis nondum prolatis [nunc prolatis] ad Milonianam c. 22. adnotationibus refutaui. Hic autem utrumque rectum uidetur, set in adfirmatione indicatiuom praefero.“ GARATONIUS. Non satis constanter indicatiuom *sunt* praefert Garatonius; manifesto uitiosum erat *sint*, quod tum demum ferendum, si Laterensis tantum putaret esse gratiosos, non uere essent. Alia ratio est in constructione obliqua. BAKIUS. Immo manifesto uitiosus hic indicatiuos est, non quo reuera non fuerint gratiosi, quos cupidos Planci fuisse Cicero ait, set quod membrum, *quia gratiosi sint*, pars debet existumari orationis, quam Cicero fingit Laterensem posse proferre. Directam enim pro his uerbis si Laterensis ponis orationem, haec debet esse: *puto illos accussandos, quia gratiosi sunt,* minume uero: *puto illos accussandos.* Itaque propterea coniunctiuos *sint* prorsus necessarius est, quia Laterensis haec uerba, *quia gratiosi sint,* esse existumari debent, quae cum referebat Cicero pro indicatiuo ab Laterense posito necessario, ut in omni oratione obliqua, coniunctiuom debebat ponere.

§. 47. *Gratiosum* [*esse*] *in sua tribu Plancium*) Recte hanc uerissumam huius loci scripturam esse Garatonius iudicauit. „Illut uero, *gratiosum esse tribulibus Plancium*, quod obtinet iam inde a Naugerio, pro eo, quod supra ipse dixit Cicero c. 18., *semper fuerunt boni uiri, qui aput tribulis suos gratiosi esse uellent,* quodque adeo latina postulat consuetudo loquendi, illut, inquam, non fero mehercule, ut neque tulit Lambinus, uir latine doctissumus, qui emendauit, *gratiosum esse aput tribulis Plancium.* Nunc denique omnem mihi dubitationem liber optumus [Erf.] suamque Lambino coniecturam excussit.“ GARATONIUS. Cum *gratiosus* secundum analogiam omnium, quae in *osus* exeunt, adiectiuorum is tantum dici possit, qui multa gratia, fauore floreat, sponte intellegitur, non potuisse *gratiosum esse alicui* recte dici. Neque uero quae ante Garatonium obtinuit scriptura ullius boni codicis auctoritate nititur. Uide apparatum criticum. Immo omnes libri id ostendunt a Cicerone fuisse scriptum, quod B et E ipsum habent. Neque II. in Uerr. III, 14, 17.: *set isti ipsi equites Romani, splendidi homines et a l i i s p r a e t o r i b u s g r a t i o s i, uincti Apronio traditi sunt.* uerba *aliis praetoribus* pendent a u. *gratiosi,* set ablatiui consequentiae sunt. Praeterea uide quae Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XXXVI. de hoc loco monui.

Quod multis benigne fecerit) Hic aput Graecos est εὐεργέτης, quod eleganter latine ita conuerteris, cum praesertim uetustissuma et praestantissuma bilinguis inscriptio praeiuerit aput

Sponium T. III. Itiner. p. 145., cuius mihi est ad II. in Uerr. 63. curis secundis referendae locus. Garatonius.

In operas) In negotia prouincialia publicanorum; hinc *operas dare* pro *negotium curare, tractare rem.* Manutius. Cum pater huius Planci inter principes publicanorum esset, plurumi ex eadem tribu Terentina beneficio Planciorum obtinuerant, ut mitterentur ad operas publicanorum societatibus dandas in uectigalibus exigendis et rationibus conficiendis, atque ita fuerant lucellis aucti, quorum gratiam Cn. Plancio suffragiis suis in aedilitatis petitione rettulerunt. XIII. ad Diu. 9. *Cn. Pupium, qui est in operis eius societatis* etc., ubi Cortium uide, et quae adtulit ex Sigonio Graeuius, et quos citauimus ad II. in Uerr. 70.. Garatonius.

Noli obseruantiam sancire poena) Cod. Barb. *sarcire*, quam uarietatem in Liuio quoque VIII. 7. repperit Drakenb.. Hic autem *obseruantiam sancire poena* ualet, statuere obseruantiam candidatorum poena, quae manet ambitum, esse afficiendam. Supra c. 16. *Dubitatis, quin eas tribus, in quibus magnas necessitudines habet Plancius, cum ille non ediderit, iudicarit officiis ab hoc obseruatas, non largitione corruptas?* Ita Latini dicunt *capite aliquid sancire*; ita Cicero III. de Legg. 20. *Uis capite, auaritia multa, honoris cupiditas ignominia sanciatur.* Garatonius. Hanc locutionem Zinzerlingius in Prom. Crit. c. XXV. p. 81. inlustrauit exemplis; quem libellum nactus multo postea sum, quam priores adnotationes edideram. Addendus est locus ex c. 34. quem Arusiano confirmante sanauimus, aput quem hic quoque legitur. Idem.

Haesitantem) Cum quid diceres, non haberes. Manutius.

In hoc sodaliciorum tribuario crimine) Crimen tribuarium est, ut recte ab Ern. in Clau. explicatum, quo obiectast Plancio tribuum corruptio. Ea quod per sodalis facta arguebatur, propterea *sodaliciorum tribuarium crimen* dictumst.

Ad communem ambitus caussam contulisti) Communem ambitus caussam dicit respectu habito sodaliciorum, quae sic ab ambitu discrepant, ut species a genere. Sensus igitur: postquam criminis sodaliciorum conuincere Plancium non potuisti, talia obicis, quae uniuersi ambitus crimina sunt.

§. 48. *Unam tribum delige*) Scilicet earum, quas tulit Plancius.

Per quem tulerit docebo) Qua ratione Plancius eam sibi suffragantem habuerit. Manutius. Acerba satis ironia, *per quem* dicens, significat Laterensem ipsum; neminem alium, inquit, in culpam uoca; tute tua superbia ac morositate fecisti, quo minus aedilitate te donaret populus Romanus, nimis a te posthabitus. Orellius. Simplicius uidetur, *per quem* explicare *cuius studio*, ut hac eadem sectione dicit orator, *possis, quorum studio tuleris, explicare.*

Num possum — aut) Cfr. Cic. ad Diu. I, 9, 15. *Num potui magis in arcem illius caussae inuadere, aut magis obliuisci temporum meorum?* et Ramshorn. Gr. L. §. 174. not. 4. p. 504..

Conferre pedem) Proprie dictus is est, qui tam prope accedit ad aduersarium uel hostem, ut in eodem uestigio stet, quo aduersarius, neque prius recedat, quam aut uicerit aut uictus sit. Cfr. Erasm. Adag. p. 24..

Insector) Erf. *insequor*. Uolgatam tuetur similis locus pro Font. 1. *Insector ultro atque insto accussatori, iudices; insector, inquam, ac flagito testis.* Uidit Ernestus. Set Cicero uariare potuit, estque optumi codicis optuma lectio. Uide ad c. 6. pro Sextio. Garatonius. Quamquam *insequor* recte potuit dici, ut locus supplementi pro Flacco 3. ed. Mai. p. 53. ed. Cramer. p. 98., ab Orellio adlatus, *accussatorem urgebo atque insequar, et ultro crimen ab*

aduersario flagitabo, declarat, tamen in re dubia unius Erf. libri scriptura reliquorum omnium codd. scripturae praeferri non debet.

Nec erit haec alia ratio Plancio ac tibi, Laterensis) Cum dicit Cicero, non aliam hanc rationem Plancio esse ac Laterensi, significat, non periculosius esse Plancio, docere, qua ratione singulas tribus, quarum suffragiis aedilis creatus sit, tulerit, atque Laterensi foret, si quas tribus tulit, iuberetur, quorum studio tulisset, explicare. Quibus uerbis Plancium ostendit tribus, a quibus sit factus aedilis, aeque legituma ratione tulisse atque Laterensis eas, quas tulit, tulerit. — Ceterum recte uidit Garatonius, uolgatam huius loci scripturam, *nec erit haec alia ratio ac Laterensi,* necessario posthabendam esse huic B et E optumorum codicum scripturae, *nec erit haec alia ratio ac tibi, Laterensis,* cum toto hoc loco Cicero Laterensem ipsum adloquatur. Uolgata tum tantum tolerari posset, si iudicibus haec Cicero diceret. Atqui addita huius ipsius membri explicatio, quae continetur uerbis *nam ut, quas — redditurum,* in quibus ipsis adloquitur Laterensem, manifesto ad Laterensem haec dicta esse ostendit. Ceterum uide quae Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XXXVI. de hoc loco monita sunt.

Me tibi ipsi aduersario cuiuscumque tribus rationem poposceris redditurum) Non sine caussa pronomini *tibi* adiecit uerba *ipsi* et *aduersario,* eam significans Planci docere se posse innocentiam esse, ut non alii tantum, de reo minus seuere iudicantes, set ipse accussator concedere cogatur, nihil a Plancio admissum esse, quo tribus corrupisse dici queat.

CAP. XX.

§. 49. *Set cur ego sic ago*) Hic *ego* nullam habet uim, ut saepe alias. Itaque auctore Erfurtensi deleui. Graeuius. Cum multo plura huius pronominis temere ab librariis omissi quam additi exempla extent, eo minus dubitaui retinere pronomen, quo certius est, etiam alibi a scriptoribus latinis additum *ego* reperiri, ubi uix ullast personarum oppositio. Ceterum nexus orationis hic est. Conprobare Cicero C. XIX. uolebat, Plancium suffragia tribuum, quas tulisset, non largitione deuinxisse. Id nunc negat demonstrandum a se esse propterea, quod priora comitia, in quibus Plancius aedilis sit designatus, eo modo sint habita, ut nullo pacto tribus corrumpi potuerint.

Comitiis iam superioribus) Intellegenda sunt ea, quae an. 699. Cn. Pompeio II. M. Licinio Crasso II. Coss. haberi coepta, set propter obnuntiationem absoluta non sunt. Nam de binis comitiis, quae magistratibus creandis habita sint, nullo pacto cum Manutio cogitari posse, cum aliunde certumst, tum manifesto ex uerbis §. 50. apparet: *Quo quidem tempore, Laterensis, si id facere noluisses, quod multi nobiles saepe fecerunt, ut, cum minus ualuissent suffragiis quam putassent, postea prolatis comitiis prosternerent se* etc. Ubi cum *prolata* dicantur comitia, apertum est, propterea comitia, quibus aediles in annum 700. creandi erant, bis esse habita, quod quae an. 699. habere consul coepisse dicitur, non absoluta set obnuntiatione uel nuntiatione inpedita sunt. Aliut enim est *differre* uel *proferre comitia,* aliut *bina comitia magistratibus creandis habere.* Itaque non opus esse censui, ut Ferrati uerba, fuse contra Manutium Epp. L. III. ep. 5. p. 167—170. disputantis, huc adscriberem. Uide autem quae Proleg. L. III. C. I. §. 2. exposuimus.

Quae comitia primum habere coepit consul cum omnibus in rebus summa auctoritate, tum harum ipsarum legum ambitus auctor) Duo sunt de hoc loco monenda. Primum consulem, qui habere comitia illa coepisse dicatur, fuisse M. Licinium Crassum, id quod a nobis in Proleg.

p. LXIX. demonstratumst. Deinde errare eos editores, qui post *consul* comma ponant. Propterea enim negat Cicero Plancium corrumpere tribus potuisse, quod superiora comitia primum ab eiusmodi consule haberi coepta sint, qui cum omnibus in rebus summa auctoritate fuerit, tum ipsas illas ambitus leges pertulerit; quo significat, minume toleraturum illum consulem fuisse, ut in comitiis, quae ipse haberet, ipsum illut facinus, quod grauissuma poena sanciendum putarit, admitteretur. Alterum argumentum, quo Plancium tribus corrumpere non potuisse conprobare studet, hoc est, quod comitia illa subito praeter opinionem omnium haberi coepta sint.

Conparandi) Conparare ut alibi ita hic significat, quae ad rem aliquam gerendam necessaria sunt, parare, nobis, *die gehörigen Vorbereitungen treffen.*

Uocatae tribus; latum suffragium; diribitae tabellae, renuntiatae: longe plurumum ualuit Plancius) Nolo hic repetere, quae in Dissertatione de significatione uerbi *diribere*, quae dissertatio insertast Praef. ad Uarr. Lectt. ex cod. Erf. enot. p. CXXVI—CLVIII., de hoc loco p. CXLI sqq. exposui. Docui ibi, necessario *diribitae* pro uolgato *descriptae* ex optumorum codd. auctoritate restituendum esse, simulque excidisse uocem *tabellae* post *diribitae*, quam ego non dubitaui textui inferre. Porro extra omnem controuersiam posui, *diribere* cum reliquis in locis omnibus tum hic *tabellas in cistas coniectas disponere* significare. Aliquid tamen etiamnunc hoc in loco me offendit, uerbum dico *renuntiatae*, quod nescio an ab antiquo interprete additum sit. Quod ut credam, tribus conmoueor caussis. Primum *renuntiari* et homines quidem solent, quibus magistratus demandatus est, et suffragia dici, uerum numquam *tabellae* aut dictae sunt ab antiquis scriptoribus renuntiatae aut recte dici potuerunt. Itaque iam ipsa elocutio per se aliquid habet offensionis. Deinde addito hoc uerbo *renuntiatae* membrorum etiam aequalitas euertitur, quae omisso eo egregiast: *Uocatae tribus; latum suffragium; diribitae tabellae: longe plurumum ualuit Plancius.* Denique magis etiam intellegitur, qui factum sit, ut uox *tabellae* omitteretur, si *renuntiatae* ab interprete super uocem *tabellae* scriptum statuimus. Nunc enim genuinam uocem *tabellae* recepto uerbo superscripto, id quod saepenumero in hac oratione factum ostendimus Proleg. L. II. C. I. §. 8., expulsam esse perspicuumst. Ceterum tributa illa fuisse comitia aedilicia, Proleg. L. III. C. IV. §. 1. docuimus.

An tandem una centuria praerogatiua tantum habet auctoritatis, ut nemo umquam prior eam tulerit, quin renuntiatus sit: tu aut his ipsis comitiis consularibus, aut certe in illum annum aedilem Plancium factum miraris) Sic hic locus in editionibus fere omnibus ante Garatonium scriptus extabat, qui primus corruptelam perspexit haec monens: „Haec nihil ad Plancium disiunctio pertinet, cuius neque centuriata comitia fuerunt neque consularia, set tributa et aedilicia: nam quod ea consul habuerit, cuius propria potestas erat, neminem potest nisi inperitissumum fallere, qui comitia nesciat ab iis, qui creandi essent, magistratibus nomen accipere. Quid est denique, *aut certe in illum annum*, cum Plancius utrisque comitiis iam fuerit in annum suum designatus? Patet omnino, disiunctionem totam ad argumentationis protasin pertinere. Id praesidiis, quae tum habebam, olim praestiteram, ut unde deiecta fuerat restitueretur. Set nescio quomodo, quod non hic solum euenit, excidit adnotatio. Est igitur in uno Franci codice, in meo, et in Barberini margine, item in una uetere editione aput Graeuium (de tribus meis nunc non reminiscor) non *consularibus*, set *consul*, quae alibi quoque contigit permutatio; isdem autem in libris aliisque praeterea ueteribus editis atque in Aldina

pronomen *tu* non ubi nunc extat, set infra sic conlocatur *aedilem tu Plancium.* Etiam in Barb. est, *factum esse miraris.* Haec omnia Bau. inprimis et Oxx. quattuor egregie confirmant. Unum est in Bau. singulare, quo tamen lubentissume caruissem, *Ain tandem?* Manutium tamen uide ad IX. Epist. 20.. Iam igitur falsam loci lectionem proiciamus, ueram reponamus: *An tandem una centuria praerogatiua tantum habet auctoritatis, ut nemo umquam prior eam tulerit, quin renuntiatus sit aut iis ipsis comitiis consul, aut certe in illum annum: aedilem tu Plancium factum esse miraris,* etc.." Hanc scripturam, quam sententia loci requirit, confirmant etiam qui per me conlati sunt codices. In hoc uno non adsentior Garatonio, quod B et E scripturam, *Ain tandem,* uolgatae posthabendam duxit. Numquam enim *An tandem* eo sensu, quo *An uero* supra C. XVII. §. 41., ad quem l. uide quae p. 126. adnotaui, Tullius posuit, usurpatum uidi. Contra optumumst *Ain tandem,* significans fere idem quod *Quid tandem?* Cfr. ad Diu. IX, 21. ad Att. VI, 2. de Fin. IV, 1, 1. de Legg. I, 20, 53. II, 10, 23. III, 6, 14. de Re p. I, 15. et de *Ain tu* de or. I, 36, 165. Brut. XLI, 152. ad Att. IV, 5. VI, 1. X, 8. XII, 6. Tuscul. V, 12, 35. de Re p. I, 15.. Falso etiam *esse* Garatonius pro genuino habuit. Cfr. Proleg. L. II. C. I §. 16. p. LIII..

Cuius in honore non unius tribus pars, set comitia tota comitiis fuerint praerogatiua) Multis in libris est *praerogata,* quod regnauit usque ad Graeuium, et a quattuor Oxonn. retinetur, cum in alio utraque coniuncta sit lectio, unus etiam habeat supra *una centuria praerogata.* In multis quoque *fuerit,* neque in Oxonn. solum quattuor et in Aldina aliisque ueteribus, uerum etiam in ipsis optumis B et E. *Praerogatiua* scilicet substantiue posita uisa est, quod et ipsum falsum est: nam ut *centuria praerogatiua* dicitur, ita etiam *comitia* dici debent; et, si maxume uerum esset, tamen *comitia* flagitabant, ut *fuerint* sequeretur. Nullam uero in lectione ante se peruolgata sanam esse sententiam recte Graeuius iudicauit. Id quoniam apertum est, piguit explanare. At ab Ernesto postea inconsiderate *praerogata* relatumst. Quis enim dubitet, quin superiora comitia posterioribus fuerint praerogata? Nihil est autem praerogata fuisse, nisi quid in Plancium contulerint intellegatur; quod facit ex usu conmuni adiectum, *praerogatiua.* Nam *comitia praerogatiua* noue quidem fortasse, uerum ad rem apte dicuntur, quae idem praestiterint, quod quae prima sortito rogata sit, in tributis comitiis tribus, in centuriatis centuria, omen ut adferrent pignusque quodammodo, qui prior eam tulerit, candidato. *Centuria praerogatiua* est *exigua pars populi,* cui *populus uniuersus* opponitur; est *unius tribus pars,* cui tribus omnes, hoc est, *tota comitia* opponuntur, quae unius centuriae loco fuerunt Plancio praerogatiua. Ita *comitiis* addere necesse non est, quam uocem libri optumi [unus Pithoe. liber omittit] praetermittentes duo suspectam Graeuio fecerunt. Set recte addit B, aliique omnes, et probat Ernestus. Nam secunda comitia perspicuitatis caussa nominantur. Cum prioribus populus uniuersus praerogatiuam Plancio dederit suae uoluntatis, ut Cicero ipse loquitur I. Act. in Uerr. 9., secundis non ea tribus, quae prima rogata est, set priora fuerunt comitia illa praerogatiua. GARATONIUS. Recte Garatonius scripturam *praerogata* a loci sententia alienissumam esse docuit; uerum quam ipse recipiendam duxit scripturam *praerogatiua* cum ita explicat, ut *praerogatiua* pro adiectiuo habeat, minume a uolgata differt. Nam adiectiuo *praerogatiuos* nonnisi is significari potest, qui primus suffragia fert. Ea ipsa autem significatio aliena ab hoc locost, in quo apparet hoc debere Ciceronem dicere, in Planci honore tota comitia superiora faustum omen posterioribus comitiis fuisse. Itaque non dubito, quin *praerogatiua* pro substantiuo habendum sit, atque, ut in Cic. Epp. ad Diu. XV, 5.

quodsi triumphi praerogatiuam putas supplicationem et alibi, *faustum omen* significet. Simul perspicuumst, uerbum *comitiis* non inutile additamentum esse, set ad structurae integritatem necessario requiri. Recte autem datiuos se habet. Cfr. Ouid. Metam. V, 550. *dirum mortalibus omen bubo.*

§. 50. *Quin omnis ad te conuersura fuerit multitudo*) Sic plerique codices cum Arusiano Messio. Ante Garatonium ante *fuerit* pronomen *se* addebatur. „Hoc eiecto pronomine locutio exoritur elegans et antiqua, criticis perspecta iam et probata. Uide inprimis Cortium ad Sallust. Iug. Exc. VI., qui recte Lucreti uersum IV, 511. ita ex Mss. et uett. editt. adfert, *Inde retrorsum redit et conuertit eodem:* nisi quod melius in editis, *Indeque,* aut certe alia ei parti [particulae] quaerenda est medicina, cum contra libros *reddit se* a Lambino emendatum uideatur. — Arusiani auctoritatem in praefatione uoluminis septumi adieci. Caesar simillume V. B. G. 49. *omnemque ad eum multitudinem conuertisse;* qui locus erat mihi a Cortio fortasse sumendus: lubenter etenim cum Dauisio sic intellego, *perscribit, hostes ab se* (Q. Cicerone, quem obsidebant) *discessisse, omnemque ad eum* (Caesarem) *multitudinem* (hostium) *conuertisse,* quod confirmari hoc Marci loco uidetur. Nam si cum Cortio intellegas, hostis omnem multitudinem ad Caesarem conuertisse, minus perspicue *suam* arbitror subaudiri. Anceps tamen est locus, eoque magis Tullianus ille pro Cluentio 55.. Set in Academicis aput Augustinum III. contra Acad. 7. uix dubito, quin *te* deleam legamque, *Rursus ad illum conuerte et quaere* etc.. Totum fragm. uide aput Patric. T. III. p. 30. et Ernest. T. IV. p. 1103.. Gellius certe antiquam locutionem renouauit, ut solet, XIII, 24.: *Ac deinde ad eum* (Fauorinum) *conuertit* etc.; item I, 26. *Is — conuertit ad me, qui interrogaueram.* Ita Gronouius, et ex Mso. Gifanius inter Mureti Epist. I, 76. atque ita legitur in codice Barberino.“ GARATONIUS. In Praef. Uol. VII. ed. Neap. p. IX. haec monuit Garatonius: „Duo sunt etiam Plancianae loci, de quibus ille [Arusianus] bene meretur, si nos uicissim ab illo, quod facillumum factu est, inmania librariorum errata depellamus. *Conuersus,* inquit, *ad te pro conuertendus. Cic. pro Planc. Non dubito, quin omnes conum ū. f. m.* Lege, *Conuersurus ad te,* atque in exemplo, quod est ex c. 20. pro Plancio, *quin omnis ad te conuersura fuerit multitudo.*“ Non minus corrupte hic Arusiani locus aput Maium p. 504. scriptus extat. Ceterum de hoc u. *conuertendi* usu uideatur etiam Kritz. ad Sallust. Cat. VI, 7..

Numquam enim nobilitas, integra praesertim atque innocens, a populo supplex) Exprobrat identidem superbiam, quod nimia fiducia nobilitatis dedignatus sit populo supplicare ac propterea non inpetrauerit aedilitatem, quae a Plancio uerecundius atque demissius peteretur. SCHOLIA UATICANA. Eadem quae ego huic scholio praeposui uerba in palimpsesto Uaticano praeposita reperiuntur. In quo cum omissum *fere* aduerbium sit, quod soli B et E addunt, spurium utique uideri potest esse. Uerum multa cum ab eo, qui commentarium illum scripsit, uerba Tulliana consulto non descripta esse certum sit, quae ad membri, quod explicaturus erat, sensus integritatem non necessaria erant, incertum manebit, utrum a Tullio an ab interprete *fere* profectum sit. Uide Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XL sqq..

A populo R. supplex repudiata fuit) Uenet. sec., Iunt., Crat., et, ut probabile est, aliae editt. antiquae, *Populo Romano supplex,* quod nemo animaduertit, set quod sane deterius non est. In uolgata enim expectes: *supplex a populo Ro. repudiata fuit.* Itaque *a,* quod illae omittunt, uncinis inclusi. ORELLIUS. Prudenter fecit Orellius, quod in noua editione praepo-

sitionem uncinis non inclusit. Ea enim omissa dura admodum existit oratio. *Supplex* est *cum supplicabat.* Cfr. pro Sestio c. 24. §. 54. *Gener, et Piso gener a Pisonis consulis pedibus supplex reiciebatur.*

Secundo, ut existumarer) Monet Goerenzius ad Cic. de Legg. I, 13. p. 54. unum hunc locum sibi innotuisse, in quo *secundo* non addito nomine *loco* positum sit.

Ambitioni) Multis enim ambientibus honos datur; set iis iucundior esse debet, quorum dignitati datur. MANUTIUS.

CAP. XXI.

§. 51. *Appium Claudium*) Quid est, quod Appium dicit *aedilem non esse factum?* constat enim ex c. 12. de Har. Resp. gestam ab Appio hoc eodem aedilitatem fuisse. Tantane hominem nobilissumum cupiditas sumptuosi magistratus et minume necessari tenuit, ut eum petere iterum uoluerit? Alia etenim ratio est C. Mari, noui hominis; quem tamen non bis aedilitate curuli deiectum, set semel curuli, semel plebeia discimus ex Plut. in eius uita c. 5., ut iam optumo repugnari Erfurtensi non possit, cuius lectio rem hanc notat adposite ponitque ante oculos, qui *duabus aedilitatibus repulsus.* Set hac una omnino ratione hi duo Ciceronis loci conciliari possunt. Forte cum Tullius Appium dicit, *uiuo patre suo,* aedilem non esse factum, intellegit patre mortuo factum esse; cum autem dicit, *eundem sine repulsa factum esse consulem,* intellegit, aedilem quidem fuisse, set post repulsam. Itaque Pighius Appi aedilitatem conlocat anno DCLXI. factumque putat aedilem anno statim post repulsam. Set quod ait repulsum fuisse, quia cum Gaio fratre petierit, id Gai consulatu subuertitur, quem ille cum altero C. Claudio horum patruele confundit. Confer quae diximus ad l. c. de Har. Resp.. GARATONIUS. Cfr. etiam de Appio Claudio Cic. de Re p. I, 19. ibique A. Maium.

In ista aedilitate offensiuncula accepta) Priscianus p. 614. [Lib. III. c. 6. p. 131. Krehl.] *ista in aedilitate,* ut sit, *ista offensiuncula,* quae mox sequitur, *in aedilitate accepta.* GARATONIUS. Nihil mutandum; *in ista aedilitate* cum dicit, eleuat hunc honorem, ut in Uerr. Act. I, 13. *ego autem* (ero) *aedilis, hoc est, paulo amplius quam priuatus;* et in hac ipsa oratione c. 3. *his leuioribus comitiis;* c. 5. *istam aedilitatem.* ORELLIUS. Quamquam Prisciani scriptura a sensu non aliena est, nolui tamen, etsi eadem in E repertast, in re dubia a plurumorum codicum auctoritate desciscere.

Summos honores) Consulatum: is enim summus honor fuit. Set miror, cur dixerit, *Uidit pater tuus;* cum utrumque Laterensis uidere potuerit; quamquam aedilitatis petitionem adulescentulus, et fortasse puer uidit. MANUTIUS. Non id nunc agitur, quos uiros Laterensis filius cum aedilitate deiecti essent summos honores esse adeptos uiderit aut uidere potuerit, set quos Laterensis pater uiderit, quem Cicero exemplis illis edoctum, nobilissumos saepe uiros offensiuncula in aedilitate accepta summos a populo R. honores consecutos esse, minume, quod filius nunc praeteritus sit, esse miraturum ostendit.

Auus uero tuus et P. Nasica tibi aediliciam praedicaret repulsam) Totum hoc — [1]) sufficienter impleuit — [2]) quoniam fecerat ille quaestiunculam, ut ambisse

1) Uersiculus uacuus. A. MAIUS.

2) Uersiculus cum dimidio uacuus. A. MAIUS.

Plancium ex hoc probaretur, quod praepositus esset nobilissimo senatori. Hic ergo quasi ex persona patris eius et aui de aliis etiam nobilibus intulit mentionem, quos repulsos ab honore constabat. Illò igitur tendit argumentationis effectus, eos uel maxime, qui blande et suppliciter petant, facilius designari solere; quando superbia nobiliorum ad inuidiam siue odium procliuior esse consuerit. SCHOLIA UATICANA. In his, quae praeposita uerba Tulli sunt, nihil a uolgata scriptura Uaticanus discrepat, nisi quod uitiose *ibi* pro *tibi* scribit.

P. Nasicae) Scipioni Serapioni, qui Tib. Gracchum priuatus interfecit; ideo sequitur: *quo ciue neminem ego statuo in hac re publica fortiorem.* MANUTIUS.

Duabus aedilitatibus repulsus) Haec etsi unius est Erfurtensis libri scriptura, reliquis *duabus aedilitatis acceptis repulsis* exhibentibus, tamen eam, a Garatonio ad huius §. uerba *Appium Claudium* unice probatam, non dubitaui propter eam ipsam, quam Garatonius adtulit, caussam recipere. Plut. in uita Mar. c. 5. uerba haec sunt: *Δύο γάρ εἰσι τάξεις ἀγορανομιῶν, ἡ μὲν ἀπὸ τῶν δίφρων τῶν ἀγκυλοπόδων, ἐφ' ὧν καθεζόμενοι χρηματίζουσιν, ἔχουσα τοὔνομα τῆς ἀρχῆς· τὴν δ' ὑποδεεστέραν δημοτικὴν καλοῦσιν. Ὅταν δὲ τοὺς ἐντιμοτέρους ἕλωνται, περὶ τῶν ἑτέρων πάλιν τὴν ψῆφον λαμβάνουσιν. Ὡς οὖν ὁ Μάριος φανερὸς ἦν λειπόμενος ἐν ἐκείνῃ, ταχὺ μεταστὰς ᾔτει τὴν ἑτέραν. Δόξας δὲ θρασὺς εἶναι καὶ αὐθάδης ἀπέτυχε· καὶ δυσὶν ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ περιπεσὼν ἀποτεύξεσιν, ὃ μηδεὶς ἔπαθεν ἄλλος, οὐδὲ μικρὸν ὑφήκατο τοῦ φρονήματος.* Ceterum cfr. quae Proleg. L. II. C. I. §. 4. hoc de loco monuimus.

§. 52. *Benigne a populo factum uideretur*) Detracto sumptu, qui in ludos ab aedilibus faciendus erat, cum ipsi non essent ualde diuites. ERNESTIUS.

Tribunus militum L. Philippus — facti non sunt) Miro errore in plerisque editionibus, Graeui, Ernesti, Schutzi, aliorumque comma post *militum* est positum. Quae res adduxit Wolfium, ut putaret Ciceronem dicere, L. Philippum, C. Caelium, et reliquos qui conmemorantur aedilitate esse praeteritos. Atqui modo neganit orator se aedilicias amplius repulsas conlecturum esse; nihil ut moneam de reliqua interpretationis istius peruersitate. Cicero tribunum militum non esse factum L. Philippum dicit, qui postea fuerit consul, etc..

Quaestor C. Caelius) Sic legendum est, non, ut uolgo, *Q. Caelius.* Hic enim est ille C. Caelius Caldus, qui repulsam tulit in quaestura; consulatum autem obtinuit an. U. C. DCLIX. conlegam nactus L. Domitium Ahenobarbum. LAMBINUS. Nemo ullum librum laudauit, qui *C. Caelius* haberet; uerum cum ita praenomen emendassent Corradus ad Brut. p. 287. ed. Flor., Manutius, et Lambinus, id receptum omnibusque transmissum a Grutero fuit, et a Pighio probatum ad an. DCLIX., cum omnes ante Lamb. editi et cod. Barb. habeant, *Q. Caelius.* Sollemnis autem illast permutatio. Uide quae de C. Seruilio Ahala diximus ad c. 52. pro domo. GARATONIUS.

Cn. Orestes) Sic legendum, non, ut uolunt quidam, *C. Orestes:* hic est enim ille Cn. Aufidius Orestes, qui consul factus est anno ab U. C. DCLXXXII. cum P. Cornelio Lentulo Sura. LAMBINUS.

Quos tamen omnis consules factos scimus esse) — [1]) exsecutus congestis nominibus plurimorum uidetur mihi aliquid et ad consolandum Laterensem facere,

---

1) Supple duo ferme uocabula. A. MAIUS.

ne diffidat reliquis honoribus post aedilitatis repulsam; quando illi hac specie honoris non inpetrata peruenerint tamen ad fastigium consulare. SCHOLIA UATICANA. Haec quae praeposui uerba Tulli Uaticanus habet.

Quae tibi ultro pater et maiores tui — dicent, neque u. quo te liberent, set ut — cohortentur) Scribendum est *liberarent — cohortarentur:* praecedit enim *dicerent.* Atque sic edidi. Uitia orta sunt a conpendiis scribendi, sicut in ed. R. et Br. est etiam *dicent* pro *dicerent.* Nec uero *dicent* uerum est, quia ante iam est inperfectum. ERNESTIUS. Necessaria haec correctio esset, si Laterensis se nescire dixisset, quid responsurus esset patri mortuo et maioribus, si ex inferis redirent. Atqui cum ex initio huius capitis, *Quaeris etiam, quid imaginibus tuis, quid ornatissumo atque optumo uiro, patri tuo respondeas mortuo,* luculenter appareat, Laterensem de imaginibus, id est de patre ac maioribus sic esse locutum, ac si uiui essent homines, qui ei exprobrauerint, quod aedilitatem non esset adeptus: aptissume Ciceronem etiam de patre ac maioribus Laterensis sic loqui patet, ac si etiamnunc in uiuis sint et cum Laterense conloqui possint, ideoque rectissume et *dicent* et *liberent* et *cohortentur* se habere. Eodem modo iam §. 51. Laterensi obiecerat: *atque illut caue potius, ne tua ista querella dolorque nimius ab illis sapientissumis uiris* (patre et maioribus) *reprehendatur.*

Non consolandi tui gratia) Iacturam enim tuae dignitatis nullam fecisti, ut consolandus esse uidearis. MANUTIUS.

Est aliquid etiam de uirtute significatum tua) Quod reseruare populus Laterensem ad maiorem magistratum, in quo ei magnae utilitati esse posset, uideri potest uoluisse. Cfr. §. 15..

CAP. XXII.

Noli enim existimare non magnum quendam motum fuisse illius petitionis tuae, de qua ne aliquid iurares destitisti) Tacite quidem subiecit causam, quae Laterensi uel maxime obfuisse uideatur, quod eum dicat aliquid noluisse iurare, ac propterea impugnatum, quo magis repulsam ferret. Existimamus igitur eum legem Iuliam significare, quam Caesar consul agrariam tulerat de uiris[1]) creandis et per seditionem, quantum se habet fides historiae, et M. Bibulo seruante de caelo[2]). In hanc Laterensis uidetur iusiurandum suum dicere noluisse — [3]) tamen M. Tullius non expressit ipsam legis Iuliae mentionem, ne Caesaris animus laederetur. SCHOLIA UATICANA. Respicitur petitio tribunatus, a qua destitit Plancius, ne sibi opus esset in legem Caesaris de agro Campano diuidundo iurare; in quo Cicero ad Atticum II, 18. Laterensem scribit existumari laute fecisse. SCHUTZIUS. Cfr. huius or. C. V. §. 13..

Quam ambitionis ratio postulabat) Non debebas te, cum tribunatum plebis peteres, talem ostendere, qui optumatibus, id quod non iurando in legem Caesaris declarasti, magis quam populo faueres.

---

1) Scribe si lubet *triumuiris.* Namque ager diuidebatur per delectos triumuiros aut quinqueuiros aut decemuiros. Immo Augustus agrum Campanum lege ipsa Iulia diuisit per delectos XX uiros. Sueton. Aug. C. IV.. A. MAIUS.

2) Lege Sueton. Iul. C. XX..

3) Supple uerba duo. A. MAIUS.

§. 53. *Noli putare nullos fuisse, quorum animos tuus ille fortis animus offenderet*) Ne quis pro *offenderet* scribendum *offenderit*, id quod primo aspectu melius uideatur, iudicet, monendumst, in hunc sensum uerba esse dicta: *fuerunt, qui offenderentur,* ideoque recte inperfectum esse positum.

An te illa argumenta duxerunt? dubitabitis, inquit, quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius?) Ex parilitate congruentium suffragiorum nitebatur probare Laterensis conspirationem quandam fuisse, quando et hic, qui reus est, et Plotius per easdem tribus designati sint. Respondetur a Tullio, non esse mirandum, quippe cum designatio in duobus eandem habuerit aequalitatem suffragantium. Puncta enim hic non aliter quam in defensione Murenae suffragia significa*nt*. Et magis — [1]) id confirmat paratum ut aediles sortirentur, quoniam discerni huiusmodi magistratus nisi sorte non possent. SCHOLIA UATICANA. Eadem quae scholio praeposui uerba Tulli in palimpsesto Uat. praeposita sunt, qui eo tantum a uolgata scriptura dissentit, quod uitiose *inquin* pro *inquit quin* habet. Praeterea tuetur *dubitabitis;* ex quo iniuria a me B et E auctoritate *dubitatis* rescriptum esse apparet.

An te illa argumenta duxerunt?) Pronomen *illa* refertur ad sequentia, et ad *duxerunt* supplendum: ut crederes, per coitionem tribus corruptas esse. Nexus, quem quidam editores non perspexerunt, hic est. Pergit Cicero, quod §. 48. coepit, demonstrare, non corruptione tribuum set legituma ratione Plancium aedilitatem esse adeptum. Ac primum quidem §. 49. tribus a Plancio non esse corruptas, ex eo satis elucere dicit, quod prioribus iam comitiis, in quibus nulla aut fuerit aut esse potuerit largitionis suspicio, Plancius aedilis esset designatus. Nihilominus addit fieri potuisse, ut posterioribus comitiis Laterensis crearetur aedilis, si modo populo interea satis demisse supplicasset, neque magnae populi parti infensus fuisset, cuius animi relicta tribunatus petitione uehementer ab eo fuerint abalienati. Quae cum ita sint, ex eo, quod quamuis dignissumus aedilitate Plancio tamen postpositus sit, omnino argumentum negat duci ad probandum posse, Plancium corruptis tribubus esse aedilem factum. Iam patet rectissume pergere oratorem uerbis: *An te illa argumenta duxerunt?* etc., neque quicquam in iis mutandum esse.

Dubitatis, quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius?) Neque haec uerba neque quae proxume secuntur ab editoribus explanata sunt, quamquam prae ceteris explicatione egebant. Tria potissumum sunt, quae nobis hoc de loco monenda uidentur: primum, quae fuerit coitio, quam Laterensis Plancium inter et Plotium factam dicit; deinde quam uim argumenta habeant, quibus probare studuit Laterensis, coitionem factam esse; denique quomodo Cicero argumenta illa ab Laterense adlata refellere conatus sit.

Ac primum quidem cum coitionem a Plancio cum Plotio factam Laterensis dicit, conuenisse inter eos de tribubus corrumpendis, ut ambo aediles crearentur, significat. Ex pacto illo uterque certum quendam tribuum numerum ita debebat sibi conciliare et deuincire, ut earum suffragia non alius quam Plancius et Plotius ferrent. Istiusmodi coitione multo facilius candidatos magistratum quem petebant adipisci potuisse, uidere in promptust. Nam finge Plan-

---

1) Uersiculus prope uacuus. A. MAIUS.

cium fortasse de octo uel decem tribuum uoluntate certum fuisse, earumque suffragia se laturum esse sciuisse, tamen is numerus non tantus erat, ut aedilis posset creari. Totidem tribuum suffragia puta Plotium habuisse deuincta; nec is sperare poterat, se aedilem futurum esse. Atqui si inter utrumque conueniebat, sibique inuicem id effecturos se esse promittebant, ut quas tribus Plancius se esse laturum sciebat, earundem suffragia Plotius ferret, eodemque modo Plancius eas una tribus ferret, a quibus Plotius se declaratum aedilem iri sciebat, tum profecto fieri non potuit, quin ceteri conpetitores dimouerentur, Planciusque et Plotius aediles fierent. Eiusmodi pactum autem eo faciliori negotio confici potuit, quo unusquisque eorum, qui coibant, in tribubus, quas sibi deuinxerant, gratiosior erat. Itaque quae tribus uerbi caussa Plancio unice fauebant, eas cum alterius etiam candidati nomen tabellis, quas in cistas coiciebant, inscribere deberent — nam binorum semper candidatorum nomina ab unaquaque tribu in comitiis aediliciis simul tabellis inscribi debuisse sponte intellegitur — facile apparet, lubentissume cum Planci nomine Ploti nomen tabellis inscripturas fuisse, cum id Plancio plurumum prodesse uiderent. — Ceterum uide quae de significatione uerbi *coitionis* a uiris doctis non satis perspecta Proleg. L. III. C. III. §. 2. p. LXXV sqq. exposuimus.

Sequitur, ut quibus argumentis Laterensis coitionem esse factam probare studuerit, uideamus. Adtulit ille duo, a Cicerone breuiter relata, primum *quod tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius*, alterum, *quod nonnullas tribus punctis paene totidem cum Plotio tulerit Plancius.*

Ac prioris quidem argumenti haec est sententia, ab interpretibus non perspecta, plerasque tribus, quas Plancius tulerit, una cum Plancio Plotium suffragiis suis declarasse aedilem.

Ex iis, quae de uerbo *coitionis* monuimus, facilest intellectu, cur ista res Laterensi uideri debuerit suspicionem coitionis habere. Ille sic ratiocinabatur. Si cunctus populus nulla corruptus largitione unice Plancio et Plotio fauisset, probabilest, omnium omnino tribuum maxumam partem tabellas Planci et Ploti nominibus inscriptas in cistas fuisse coniecturam. Atqui nec tulerant ambo omnis tribus, nec alias Plancius alias Plotius, set quas Plancius easdem paene omnis Plotius etiam tulit. Iam si Laterensis hoc praeterea conpertum habebat, id quod fieri facile potuit, in altera parte tribuum, quas Plancius et Plotius tulerant, minume Plancium, in altera minume Plotium fuisse gratiosum: tum profecto, cum nihilominus ab isdem paene omnibus tribubus, quas Plancius tulerat, Plotium etiam declaratum aedilem intellexisset, necessario Plancium cum Plotio coiuisse suspicari debebat.

Istam uero suspicionem uehementer augeri oportebat, si demonstrari potuit, in isdem tabellis paene omnibus tribus cuiusdam, in quibus Planci nomen inscriptum erat, Ploti nomen, alterius aedilis, fuisse scriptum, ideoque eosdem homines paene omnis tribus illius, quorum suffragia Plancius tulerat, alterum aedilem Plotium declarasse. Quod quamquam Laterensis, cui tabellarum inspiciendarum potestas non esset data, certo probare minume potuit, tamen concludere iure ex eo potuit, quod tribus quasdam totidem paene punctis Plancium cum Plotio tulisse audiuerat. Finge enim, Plancium et Plotium tribum quampiam, quae ex centum hominibus constiterit, ita tulisse, ut Plancius octoginta et duo, Plotius septuaginta et octo puncta, Pedius uiginti et duo, Laterensis octodecim ferret: ecquid uerosimilius, quam septuaginta et octo illa, quae tulit Plotius, suffragia ab isdem esse hominibus lata, qui Plancium octoginta et duobus suffragiis aedilem declarauerant? quamquam fieri utique potuit, ut de septuaginta et octo illis suffragiis, quae Plotius tulerat, uiginti et duo ab aliis lata essent, quam ab iis, quo-

rum suffragia Plancius tulerat. Minor contra coitionis suspicio erat, si eiusmodi tribus, quam ex centum hominibus constitisse ponimus, suffragia cuncta Plancius, quinquaginta Plotius, triginta quinque Pedius, quindecim Laterensis tulerat. Uerum utrumque si factum erat, quod factum esse Laterensis dicit, ut tribus plerasque cum Plotio tulisset Plancius, et nonnullas quidem punctis paene totidem: tum recte casu id accidisse negare Laterensis et coitionem esse factam coicere potuit.

Callide Cicero, qui erat eius mos reum defendentis, utrique argumento ita respondet, ut non doceat inania esse diligenterque refutet, id quod facere non potuit, uerum ut breui reiciat, ac si nullius sint momenti, adeoque ridicula facere studeat [1]). Nam quae ad primum Laterensis argumentum respondet: *an una fieri potuerunt, si una tribus non tulisset?* ea speciosa quidem, uerum minume ex omni parte uera sunt. Etenim si Plancius undeuiginti tribus tulisset, ex iisque undeuiginti duas Plotius, nouem Pedius, octo Laterensis, reliquas autem sedecim tribus Plotius, ex iisque octo Pedius, octo Laterensis: Plancius et Plotius necessario aediles facti essent, ita tamen, ut duas tantum tribus una ferrent. Itaque hoc quidem uerumst, nonnullas tribus necessario Plancium et Plotium una ferre debuisse, cum una fierent aediles, uerum illut fieri non oportebat, ut, quod factum Laterensis dicit, tribus plerasque una ferrent.

Alterum argumentum, ab Laterense adlatum, hac potissumum ratione refelli putat, quod maiores sortitionem aediliciam non constituissent, nisi casu accidere posse intellexissent, ut conpetitores pares suffragiis essent. Nec his dictis Laterensis argumentum plane redarguitur, qui non pares suffragiis Plancium et Plotium fuisse, set nonnullas tribus, quas fortassis largitione etiam corruptas arguebat, punctis paene totidem tulisse dixisset.

Sortitionem aediliciam) Duo creabantur aediles curules. Fieri tamen poterat, et ut plures quam duo peterent, et ut plures etiam pares suffragiis essent. Quod si accideret, constitutum est a maioribus, ut sortirentur, quinam ex iis aedilitatem gererent. Sin autem soli duo totidem suffragia tulissent, sortitio locum non habebat; ii enim aediles renuntiabantur, cum duo tantum aediles esse oporteret. MANUTIUS. Cfr. etiam Nic. Gruchius de Comit. Rom. Lib. II. c. 4. p. 685 sq. Thes. Graeu..

§. 54. *Et ais prioribus comitiis Aniensem a Plotio Pedio, Terentinam a Plancio tibi esse concessam*) Ante Garatonium in editionibus omnibus *Pedio* desiderabatur, quod nomen recte Garatonius ex B et E codicum auctoritate restituendum monuit. Neque uero omissum in reliquis codd. est, set mire tantum corruptum. Uide uarr. lectiones. Necessario autem nomen Pedi hic addi debuisse, declarant uerba, quae secuntur, *hos, quos iam tum coniunctos fuisse dicis, iacturam suarum tribuum, quo uos adiuuaremini, fecisse.* In quibus cum dicat, *quo uos adiuuaremini,* manifestum est, tribus Aniensem et Terentinam non soli Laterensi concessas esse, set alteram tantum Laterensi, alteram conpetitori eius, ideoque *Aniensem*

---

1) Saepius hac arte usus est Cicero, ut pro Milon. C. X., ad cuius capitis uerba, *Statim conplures in hunc faciunt de loco superiore inpetum*, interpres Uaticanus p. 111. ed. Mai. optume haec monuit: *Pars haec narrationis aliquanto turbatior est. Sine dubio in ea multa finguntur; uerum hanc omnem confusissimam permixtionem cursim praeteruolat: non enim debent cum mora protrahi, quae uideri iudicibus possunt aliquod habere figmentum, ne orator, si laciniosus sit, in mendacio deprehendatur.*

a Plotio Pedio etc. dici debuisse. Accedit, quod, si utraque tribus Laterensi concessae essent, Cicero non *tibi esse concessam* dixisset, uerum *tibi esse concessas.*

Aniensem a Plotio Pedio) Fortasse, Garatonius inquit, in tribu Aniensi A. Plotius censebatur. Reuera censitum eum in ista tribu fuisse, disertis uerbis testatur Cicero, statim post dicens: *hos* (Plancium et Plotium) *iacturam suarum tribuum fecisse.* Nam *sua tribus* est, in qua quis censetur. Cfr. c. 15. §. 37. *Acerbum omnino genus iudici, set tamen, si uel sua, uel ea, quae maxume esset cuique coniuncta, tribus ederetur, uix recussandum.*

Esse concessam) Quid sit *tribum* uel *centuriam alicui concedere,* multis exponit Nic. Gruchius de Com. Rom. Lib. I. c. 4. p. 622 sq. Thes. Graeu..

Ne in angustum uenirent) Ipsius Laterensis haec uerba fuisse, quibus significauerit, ne suffragiis necessariis priuarentur, ex sequentibus intellegitur, in quibus Cicero ridiculum hoc loquendi genus reddit.

Nondum cognita populi uoluntate) Superioribus comitiis, cum Plotius et Plancius de populi erga se uoluntate, quam postea latis suffragiis cognouerant, certi nihil scirent. MANUTIUS.

Set tamen tu A. Plotium, uirum ornatissumum, in idem crimen uocando indicas, eum te arripuisse, a quo non sis rogatus.) Ante Garatonium hic locus in omnibus paene editionibus sic scriptus extabat: *Set tamen tu an Plotium, uirum ornatissumum, in idem crimen uocandum indicas? an dicis, eum te arripuisse, a quo non sis rogatus?* Eam scripturam quamquam nimis uerbose recte tamen in eam, quam recepi, hortantibus codicibus mutandam esse Garatonius docuit, haec monens: „Nullum profecto signum corruptionis apparet. Uideram utique codices meos et ante Naugerium editos praetermittere *an dicis,* quod etiam sex Oxonn. [et paene omnes mei; uide etiam Proleg. L. II. C. I. §. 1..] faciunt. Quom hi locum sine iusto sensu relinquerent, cur non contemnerem? Set multa, quae uidentur, contemnenda non sunt. Nam simul ac in Bauarico uidi esse *uocando,* statim intellexi, uerbum a primo accussatiuo antecedenti accommodatum inconsulto fuisse, ut saepe accidit, deinde, ne sensus inperfectus esset, perite satis *an dicis* adiectum. Haut tamen omni caret macula ipse Bau., qui sensum sine adiectione ista [*an dicis*] egregie continuans retinet tamen *indicas,* quom esse oporteat *indicas.* Quod in sequentibus iterum peccauit, ubi recte legitur, *indicas, aut eos testis te adducere:* namque ibi habet ille cum Erf. optume *producere,* pessume uero cum duobus Oxonn. *indicas.* Set hoc leuissumum: tantast enim conmutationis huius ex facilitate frequentia, ut non modo, utrum locus postulet, sumi iure possit, uerum etiam debeat. Sic itaque legendum uidetur: *Set tamen tu an Plotium, uirum orn., in idem crimen uocando indicas, eum te arripuisse, a quo non sis rogatus?* Quom Laterensis coitionem Plancium inter ac Plotium factam criminetur, quin eadem caussa utriusque sit, dubitari non potest. Uocatur igitur in idem crimen omnino Plotius; qua una re Bauarici lectio maxume praestat. Uolgata enim dubitationem habet, quae nulla est; atque idcirco in altera parte, quae coniuncta debent esse diuellit. An, inquit, socium criminis Plancio adiungis Plotium? an uero, si non adiungis, quem tibi commodum fuit, arripuisti? Ualet hoc in caussa pari, in dispari non ualet. Set manet adhuc *an,* ubi *nonne,* uel *non* requiras, ut sit adfirmatio. Ita me ad fere necessariam emendationem ratio deducit, qua sequenti similis fiat hic in adfirmando locus. Ea uero tam promptast quam probabilis. Quom enim huic Plotio praenomen fuerit *Aulo,* facillume illius nota *A.* in *an* conuerti potuit; quod erit certe multo modestius, quam *non* ante *indicas* addere. Sic igitur interrogatione sublata placet: *Set tamen tu A. Plotium* etc. Supra

c. 7. *Tu neque Q. Pedio, forti uiro, suscenses, neque huic A. Plotio, ornatissumo homini, familiari meo; et ab eo, qui hos dimouit potius quam ab iis, qui in te ipsum incubuerunt, te depulsum putas.* Quae caussa, cur non Plotio, set Plancio suscenseat? quae porro, cur non illum, set hunc Laterensis accusset? aut nulla, aut ita leuis, ut non appareat. Hoc enim significat, quom ait: *a quo non sis rogatus:* quod non serio uereque dicitur, quasi a Plotio rogatus fuerit."

Eum te arripuisse) Plancium te sine ratione idonea, temeritate quadam in ius uocasse. Non enim simplicem *accussandi* notionem, ut uidetur Manutio Graeuioque, *arripere* habet. Exempla dabit Gesnerus sub h. uoce.

A quo non sis rogatus) Ut ne nomen suum a te deferretur.

Nam quod questus es) De sensu *nam* particulae mira comminiscitur Weiskius. Dixerat modo Cicero, uideri Laterensem, ut Plancium potissumum reum faceret, cum in idem crimen uocarit A. Plotium, hac conmotum caussa esse, quod a Plancio, ut ne nomen suum deferret, non sit rogatus. Eius sententiae rationem nunc reddit, ita ut argumenta, quibus Laterensis, ut Planci potissumum nomen deferret, ductum se dixerat, nihil ualere moneat.

Pluris te testis habere de Uoltinia) Qui Uoltiniam a Plancio corruptam esse testentur. Cfr. C. XVII. §. 43. *Uoltinia tribus ab hoc corrupta.* Incredibiliter in his explicandis errat Weiskius.

Indicas, aut eos testis te producere, qui, quia nummos acceperint, te praeterierint, aut te ne gratuita quidem eorum suffragia tulisse) Negat Cicero, quos Laterensis de Uoltinia testis se habere dicat, eorum audiri testimonium posse. Nam aut corrupti sunt, inquit, a Plancio, ut te praeterirent; quo facto testes esse non possunt, cum sint corrupti; aut tales sunt, qui non corrupti a Plancio tamen hunc maluerint quam te suffragiis suis aedilem declarare; quo facto inprobabilest, eos contra Plancium esse testimonium dicturos, nisi pecunia a te empti ad testimonium perhibendum huc accesserint. Uerum Laterensis cum diceret, pluris se testis habere de Uoltinia, quam quot in ea tribu puncta tulerit, mea sententia hoc uidetur uoluisse conprobare, tribum illam manifesto per sodalis coactam esse, ut Plancium suffragiis suis aedilem crearet, idque ex eo patere, quod multi tribus illius homines, qui se non fecerint aedilem, ideoque a se corrupti dici nequeant, a Plancio tribum illam corruptam testentur; quos, si a Plancio nummos accepissent, minume contra eum testimonium esse dicturos; itaque coactos esse ui, ut Planci nomine tabellas inscriberent, necessario statuendum esse. Atque hoc, quod Laterensis obiecit, crimen, etsi denuo callide Cicero reiecit, tamen diluisse minume potest dici.

CAP. XXIII.

§. 55. *Neque enim qui illi nummi fuerint, nec quae tribus, nec qui diuisor, ostendis*) Pro *ostendis*, quod optumorum codicum B et E auctoritate, quibus Lb accedit, primus restitui, uolgo legebatur *ostenderis.* Quae scriptura etsi quibusdam cum Orellio facilius per errorem in *ostendis* mutari potuisse uideatur, quam contra, maxume cum syllabae *er* hoc signo ' superscripto indicari sint solitae, tamen a Cicerone non potest profecta iudicari, cum loci sententiae aduersetur. Est enim *ostenderis* idem fere atque *ostendere poteris.* Iam cum his uerbis *neque enim* etc. explicet Cicero, cur, quod modo dixit, crimen illut refrixerit, id est, non amplius pro uero crimine habeatur: necessest, hanc adferat caussam, quod Laterensis, qui

illi nummi fuerint etc. non *ostendat,* minume uero, quod non facile *ostensurus sit.* Itaque sensus hic est: crimen illut nunc non adgnoscitur, quoniam non ostendis, qui etc.. Ceterum coniunctinom ab indocto librario illo, qui codicem scripsit, ex quo libri familiae tertiae originem duxerunt, propter antecedens *fuerint* positum puto. Simillumas corruptelas idem librarius pluribus Ciceronianis uerbis intulit.

Eductus ad consules) De hoc uerbo uid. Clau. Ernesti. Ita plane in ueteri edicto aput Gell. XI, 17. *Si quis eorum ad me eductus fuerit.* ubi etiam usque ad Stephanum editum fuit perperam *adductus.* GARATONIUS.

Cur non eius damnationi aliquid ad hoc iudicium praeiudicii comparasti) — —[1]) Probat ipsum aduersarium iudicasse, nihil omnino suspicionis esse, quod in Plancium posset oboriri ex persona eius, qui diuisor fuisse uideatur, quoniam eundem neque reum fecerit, neque ullam uel tenuem probationem habere aduersus eum potuerit; quo damnato siue dubio consequenter uideretur de Plancio praeiudicatum. SCHOLIA UATICANA. Habet Uat. uerba Tulli sic ut praeposui scripta.

Set neque tu haec habes, neque eis confidis) *Habere* hic, ut alibi, diligenter cognitum, perspectum habere, nosse significat. Cfr. Cic. in L. Pis. c. 22. §. 55. *Habes reditum meum.* Id. II. in Uerr. V, 10, 25. *Habetis hominis consilia, diligentiam, uigilantiam, custodiam, defensionemque prouinciae.* Id. pro Flacco c. 21. §. 48. *Habetis et honestatem hominis, et auctoritatem testimoni, et caussam omnem simultatis.* Id. pro Rege Deiotaro c. 7. §. 21. *Habes crimina insidiarum.* Itaque sensus est: Set neque tu diligenter cognita habes, quae Plancio obicis, crimina, neque eis fidem habituros iudices esse proptereaque Plancium condempnaturos esse speras.

Nimium retinens equestris iuris et libertatis) De sententia confer, quae Cicero c. 13. §. 55. dixit. Participium *retinens* cum genitiuo iunctum etiam a Cic. Ep. ad Q. Fr. I, 2, 5. *Sui iuris dignitatisque retinens.*

Multi etiam communes inimici reorum omnium) Significari his uerbis ipsos illos testis, quos Laterensis produxerat, ex initio §. 56. intellegitur.

Animos iudicum [suis testimoniis]) Uerba *suis testimoniis* cur uncis incluserim, in Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XXXVI. expositumst.

Aut gratum populo Romano sit) Quasi gratiam populi Romani sibi concilient, ut qui seuere in eos omnis, in quos ambitus commissi suspicio cadat, animaduertendum significent, eamque ob caussam sese ab istiusmodi crimine longissume semper afuturos esse atque omnino integerrumos et esse et fore ostendant.

Aut ab eo facilius ob eam caussam dignitatem quam uolunt consequantur) Primus Franci: *aut eo facilius ob eam causam;* non sperno; est, *aut tanto facilius.* GRAEUIUS. Hanc lectionem probat Ernestus. Plaut. Poen. IV, 2, 60. *tum autem si quid tu adiuuas, eo facilius poterit facere.* Mihi uidetur *ab eo* repudiandum propter uocem quae sequitur *dignitatem,* qua non honores populi Romani significari arbitror, set illam, quae honores quidem illos potest adferre, set quae factis adquiritur, neque praemiis, uerum se ipsa nititur, auctoritatem ho-

---

1) Uersiculus cum dimidio uacuus. A. MAIUS.

nestatisque opinionem ac meritorum. Uide Ind. ipsius Ern. p. 470.. Hoc maxume Tullianum est, locoque huic maxume aptum; hoc illa praepositionis eiectione obtinetur. Tamen *eo facilius ab eam caussam*, id uero habet meo iudicio redundantiam quandam ultra copiae Tullianae modum. Satis profecto erat, *aut eo facilius dignitatem, quam uolunt, consequantur.* Itaque *ob eam caussam* interpreti adscripserim; cui suspicioni aditum codex ille patefacit. Set *ab* eiecisse, sit satis. Garatonius. Cum nulla prorsus unius Franci libri auctoritas sit, id quod in Proleg. L. II. C. I. §. 16. ostensumst, minumeque uerosimile sit, librarios, si *aut eo facilius* scriptum repperissent, ea in locutione offensuros et praepositionem *ab* fuisse addituros, equidem nihil dubito, quin *ab eo* ex ipsa sit Ciceronis manu profectum. Neque est, quod uerbum *dignitatis* eo quo Garatonius uolt sensu dictum accipiamus; quo facto sane *ab eo* dici non potuit. Ernestius, qui in Clau. Ciceron. multus est in explicandis huius uerbi significationibus, eam ipsam conmemorare omisit, qua cum alibi tum hic usurpatumst. Contendit Manutius ad Cic. Epp. ad Diu. II, 9., quod alii homines docti negauerant, uerbo *dignitatis* nonnumquam nil aliut nisi *honorem*, id est, *magistratum* significari. Quae sententia neque uera omni ex partest neque falsa. Res haec est. Cum *dignitas* ipso definiente Cicerone de Inu. II, 55, 166. *alicuius honesta et cultu et honore et uerecundia digna auctoritas* sit, nemo non intellegit, fieri debuisse, ut dignitas cum in eo esse diceretur, qui honestissuma uita maxumisue in rem publicam meritis istiusmodi, quam Cicero memorat, auctoritatem sibi conparasset, tum uero etiam in eo, qui munere uel magistratu eiusmodi fungeretur, qui administrantem magna quadam et cultu et uerecundia digna auctoritate ornaret. Ac prioris quidem significationis exempla ubiuis sunt obuia, ab Ernestio etiam l. l. nonnulla adlata; posterioris exemplum extat in Ciceronis Epp. ad Diu. II, 9., in qua Caelio, quod esset aedilis curulis factus, his uerbis gratulatur: *Primum tibi, ut debeo, gratulor laetorque cum praesenti, tum etiam sperata tua dignitate.* Quo in loco *dignitatis* maluit uerbum ponere quam *magistratus*, quia qui aedilitatem curulem adeptus erat, plus auctoritate, quam muneri isti admotus consequebatur, quam negotiis, quae aedili gerenda erant, solebat gaudere. Consequebatur enim aedilis curulis, teste Cicerone in Uerr. V, 14, 36., antiquiorem in senatu sententiae dicendae locum, togam praetextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendae. Itaque uerbum *dignitatis* non simpliciter pro magistratu a Cicerone esse positum Manutius debebat contendere, set ita poni pro magistratu, ut magis auctoritatis, quae est in magistratu, quam munerum, quae inponit magistratus, ratio habeatur; quamquam seriores scriptores dignitatis uerbo eandem adtribuerunt notionem atque magistratus. Sic Plinius H. N. Lib. V. C. I. p. 258. ed. Franz. *Quia dignitates*, inquit, *cum indagare uera pigeat, ignorantiae pudore mentiri non piget.* Ad Plancianae orationis locum ut reuertamur, facile iam intellegetur, propterea Ciceronem communis illos reorum inimicos dixisse sperare, fore, ut a populo R. *dignitatem quam uellent* consequerentur, non autem *magistratum*, quod qui ita semper ut illi testimonium de ambitu dicunt, eam ob caussam auctoritatem magis et cultu dignam et uerecundia, quae inest in magistratibus, quam officia uel munera, quae inponuntur magistratibus, sibi tribuenda esse a populo declarant. Non enim tam idoneos sese ea re ad obeunda magistratuum munera ostendunt, quam dignos, quibus auctoritas ista magistratibus quos populus defert tribuatur. — Ceterum uerba *ob eam caussam*, quae Garatonio non minus suspecta sunt uisa, ut omitti potuisse salua sententia concedo, ita recte addi etiam a Cicerone potuisse contendo. Simillumus locus extat in orat. Pison. C. XXIV. §. 57. *Quom omnium tuorum scele-*

rum haec pactio extiterit, ut, si tu totam rem publicam nefariis latronibus tradidisses, Macedonia tibi ob eam rem quibus tu finibus uelles redderetur. Hoc quoque loco eo minus necessaria adiectio uerborum *ob eam rem* fuit, quo magis in uerbo *redderetur* iam ea notio inest, quam uerba illa continent. Nam *reddere* hic pro aliqua re aliut quid dare significat. Adde Cic. ad Diu. XIII, 47. *Set tamen ut scires, eum a me non diligi solum, uerum etiam amari, ob eam rem tibi haec scribo.* et ex Graecis Xenoph. Memor. I, 3, 7. *τὸν Ὀδυσσέα — ἀποσχόμενον τοῦ ὑπὲρ τὸν καιρὸν τῶν τοιούτων ἅπτεσθαι, διὰ ταῦτα οὐ γενέσθαι ὗν.* et eiusdem Anab. I, 7, 3. *ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, οὐκ ἀνθρώπων ἀπορῶν βαρβάρων συμμάχους ὑμᾶς ἄγω, ἀλλὰ νομίζων ἀμείνονας καὶ κρείττους πολλῶν βαρβάρων ὑμᾶς εἶναι, διὰ τοῦτο προσέλαβον.*

§. 56. *Quibuscum me, iudices, pugnantem more meo pristino non uidebitis; non quo mihi fas sit quicquam defugere, quod salus Plancii postulet*) Figmento quodam uerecundiae declinat eam partem, quae difficultatis aliquid habere uideatur, aduersus quorundam testimonia contendi [1]); et non sine — — [2]), quae se omnem Plancio sollicitudinem debere testatur. Sic et religioni, quam magnis beneficiis eius debet, satis facit, et pedem refert ab insectatione testium, quibus dicit esse parcendum. SCHOLIA UATICANA. Habet Uat. uerba Tulli sic ut praeposui scripta; ex quo apparet, recte et *defugere* restitutum et *more meo pristino* Bauarici et Erfurtensis librorum auctoritate scriptum esse.

Quod ita de me meriti sunt illi ipsi, quos ego testis uideo paratos) Animaduerte oratoris calliditatem, qui testium etiam, quos reprehendit, beneuolentiam captare studeat, cum eorundem studio effectum dicit esse, ut in patriam reuocaretur, ob eamque rem obstrictum se iis esse declarat. Manifestumst enim, nullo de alio merito cogitari hic posse. Cfr. quae diximus ad C. I. §. 1. p. 60..

Ut eorum reprehensionem uos uostrae prudentiae adsumere, meae modestiae remittere debeatis) Insolentius haec dicta. Errat Schutzius, qui *adsumere* in lex. Cic. nunc nostro uerbo *sich vorbehalten* respondere monet. Ualet hic *adsumere,* quod alibi etiam significat, sibi aliquid uendicare, facere, quod ab alio potius debet fieri. *Uostrae prudentiae* dictumst pro uobis pro uostra prudentia, ut *meae modestiae* pro mihi pro mea modestia. Itaque sensus est: Uos pro uostra prudentia, qua intellegitis non recte a me reprehendi eos posse qui optume de me meriti sint, facere nunc debetis, quod me facere conueniebat, atque ipsi inprobare eos testis, quos ego inprobandos esse nisi uiolatis modestiae legibus docere non possum.

§. 57. *Nonnulli etiam nostri iniqui*) Duo sunt loci Tulliani, quibus hanc ego formulam exhiberi sine uarietate cognorim. Alter hic est, in quo unus de coniectura Lambinus *inimici;* alter V. in Uerr. 69.: *Ego mei iam rationem offici confido esse omnibus iniquissumis meis persolutam.* Nam supra C. XVI. §. 40. codices uariare iam uidimus [at optumi plurumique ibi *iniquos* tuentur]; item XI. ad Diu. 27. *tam defendo, quam me scio a te contra iniquos solere defendi;* set Mss. nonnulli *inimicos;* ubi Ernest. inprobauit *meos,* cum tamen ipse in

---

1) Non uideo, qui recte se *contendi* habere possit, de quo nihil admonuit A. Maius. Scriptumne fuit *contendendi ?*

2) Supple uersiculum. A. MAIUS.

Ep. 1. ad Brut., in qua edebatur, *aliquid a suis, uel per suos potius inimicos ad te esse delatum*, reduxerit *iniquos* multis ex Mss., quibus Barb. accedit. Probauit enim ad extremum *iniquos meos, tuos, suos, nostros,* quod eius etiam testatur Index hac uoce nuper auctus p. 568.. Ei ut adsentiar, mouet me praestantia codicum, quos ab hac parte stare uideo; in epist. Medicei, in Uerrina Regii, aliorumque Parisinorum, quos diligenter inspectos arbitror, in hac denique orat. Erfurtensis [quocum B consentit], qui C. XVI. §. 40. habet *uel iniquos uel meos.* Haec potest ratio uel errantem tegere in sollemni permutatione, de qua Drak. ad Liu. XXVIII, 29.. Ceterum fateor, me dubitationem omnem nondum expellere potuisse. Garatonius. In omnibus a Garatonio adlatis locis unice ueram scripturam *iniqui* esse, sapientibus liquebit. Addo A. Gelli N. A. X, 26. *Asinio Pollioni in quadam epistula, quam ad Plancium scripsit, et quibusdam aliis C. Sallusti iniquis dignum nota uisumst.* Similiter dictum *inuidi mei* a Cic. ad Diu. II, 9. *ultorem non modo inimicorum, set etiam inuidorum meorum.* et I, 4. VII, 16..

Nihil facilius emittitur, [nihil] citius excipitur, latius dissipatur) Cur ita scripserim, expositum in Proleg. L. II. C. I. §. 6. p. XXXIII. est. Ibidem §. 2. p. XXX. in sequentibus minume *aut* ante *neglegatis* omitti debere monui.

Set si quid sine capite manabit, aut [quid] erit eiusmodi, ut non extet auctor, qui audierit: aut ita neglegens nobis esse uidebitur, ut, unde audierit, oblitus sit, aut ita leuem habebit auctorem, ut memoria dignum non putarit) Sic hic locus in omnibus editionibus, etiam in nouissumis interpunctus legitur. Recte autem hanc interpungendi rationem ferri non posse Maduigius primus uidit, qui in *Emendatt. in Ciceronis libros Philos.* Hafn. MDCCCXXVI. p. 168. de loco nostro haec monuit: „Haesit Garatonius, offensus neglegentia, quam inesse putabat; uerum ea, ut nunc est, neglegentia non est, set peruersitas; quis est enim *auctor*, *qui audierit?* immo *auctor* est, a quo primum fama exiit, et a quo is, qui ad iudices defert, se audisse dicit (*unde audierit*); reprehenditur autem primum rumor, si auctore caret; deinde testis leuis, qui rumorem se audisse profitetur; set salua res est, modo distinguas: *aut si quid erit eiusmodi, ut non extet auctor; qui audierit, aut ita neglegens uobis uidebitur* etc. h. e. *is autem, qui audierit.*" Uerba *auctor, qui audierit* minume posse coniungi, uidit etiam Bakius, qui tamen non satis putauit, colon post *auctor* ponere, set praeterea uerba *qui audierit, aut* sic transponenda *aut, qui audierit* iudicauit. Quae ipsa mutatio mihi quoque paene necessaria uidetur, cum uolgata scriptura omni nexu careat, nisi forte aliut in hoc loco mendum latet. Itaque uolgatam scripturam licet uitiosam nunc retinere malui. Garatoni ad h. l. uerba uide nota proxuma. — Ceterum quae uerba uolgo ante *erit* addita reperiuntur *si quid,* eorum alterum cur eiecerim, alterum uncis incluserim, Proleg. L. II. C. I. §. 6. p. XXXIII. est expositum. Addo, etiam hanc ob caussam uerba illa non potuisse a Cicerone scribi, quod uerba *erit eiusmodi, ut non extet auctor* nonnisi explicandis uerbis quae praecedunt, *et si quid sine capite manabit* inseruiunt. Nemo enim non uidet, non potuisse *si quid* repeti nisi si sequentia nouam ac diuersam sententiam continerent.

Aut ita neglegens nobis esse uidebitur) Si esset syntaxis exigenda seuerius, dici debuisset, *uideatur:* pendet enim a superioribus, *ut non extet auctor, aut,* si extet, *ita neglegens* etc.. Sic etiam mox *habeat* pro *habebit,* ubi *si quid* subaudire incommodum est. Atqui sunt haec ad loquendi consuetudinem cotidianumque sermonem accommodata. Garatonius.

CAP. XXIV.

§. 58. *L. Cassium*) Qui erat subscriptor Laterensis.

Ne illum quidem Iuuentium tecum expostulaui) Pro *expostulaui* Pantagathus *expostulabo* legendum putauit, quod probauit Ernestius textuique intulit Schutzius. Mirum est, non intellexisse uiros doctos, futurum *expostulabo* plane alienum ab hoc loco esse, in quo cum Cassio iam responsurum se esse Cicero dicat, profecto cum Laterense nunc nolle se conloqui ostendit. Atqui *expostulabo* si dixisset, in sequentibus etiam cum Laterense disputaturum se declararet. Unice uerum igitur *expostulaui* est, quod refertur ad orationem superiorem, in qua contra Laterensem Cicero disputauit. Sententia totius loci haec est: Multa de te, Laterensis, a Cassio dicta sunt, quae non recte esse dicta facile, si uoluissem, docere potui. Uerum ne illut quidem refellendum putaui, quod qui primus de plebe aedilis curulis sit factus, e gente tua Iuuentia oriundum fuisse dixit, ideoque Plancio te propter generis nobilitatem fuisse anteponendum docere studuit.

Primum de plebe aedilem curulem) Ernestius ad h. l. negat Pighium hunc Ciceronis locum de Iuuentio primo de plebe aedili curuli tetigisse. At eum utique tetigit ad A. U. 588. T. I. p. 272. et ex h. l. Ciceronis alterum aedilem eumque primum de plebe nominat Iuuentium Thalnam. Quum autem dicit Ciceronem *testari* hunc primum de plebe aedilem fuisse, non animaduertit Ciceronem ipsum nihil aliut dicere, quam se hoc primum a Cassio audisse, idque ipsum num uerum esset addubitare. Schutzius.

In quo, Cassi, si tibi ita respondeam, nescisse id populum R., neque fuisse quid nobis narraret, praesertim mortuo Coneo) Iuuentiae familiae, ex qua Laterensis contextum generis habebat, probaturus ueterem nobilitatem Cassius praeiactauerat, hunc aedilem primo ante alios loco fieri debuisse. — —[1]) igitur in Cassium facta[2]) M. Tullius negat, populum, id est uulgus inperitorum, iudicare paenitus de familiae clarioris nobilitate potuisse, ut nonnisi peritiores uetustatis et qui antiquitatem per historias legerint haec scire facillime possint. Atque ideo mentionem Conci uidetur interposuisse, qui per illud tempus decesserat, homo curiosus et diligens eruendae uetustatis. Nam historicus — — — Scholia Uaticana. Habet Uaticanus haec quae proposui uerba Tulli sic ut dedi scripta; ex quo hoc primum apparet, recte me uolgarem scripturam Proleg. L. II. C. I. §. 14. contra Bauarici lectionem defendisse. Nam leuis error est, quod *quid* pro *qui id* in Uat. scriptum est. Non probo autem, quod *tibi ita* pro *ita tibi* habet, cum *tibi* encliticum, *ita* autem cum ui dictum sit. De *Conci* nomine quid dicam nescio. Nam ut ex *Longino* uetustissumi illius librari culpa nomen *Conci* ortum esse suspicer, uix possum adduci. Accedit, quod ipse Erfurtensis non scribit *Longino,* set *longe,* et quod, Bauaricus quid habeat, non

---

1) Supple duo uocabula. A. Maius.

2) Sic ego ex coniectura scripsi. Codex, quem secutus est A. Maius, habet *factam Tullius,* si recte legit Maius. Non est autem dubium, quin ante *igitur* exciderit substantiuom aliquod, casu ablatiuo positum, ad quod *facta* referendumst. *Factam* si uera esset scriptura, statui deberet, ante substantiuom illut, quod excidisse dico, *post* praepositionem fuisse positam. At hoc non aptum foret loquendi genus.

certo scimus: ex silentio enim Garatoni nihil certo concludi potest. Quid, quod etiam de Orat. I, 60, 256., quo solo in loco praeter hunc locum historici illius mentio facta uidetur, codices, quantum scio, non *Longino* set *Longo* habent. Scripta ibi haec sunt: *Reliqua uero etiamsi adiuuant, historiam dico et prudentiam iuris publici et antiquitatis iter et exemplorum copiam, si quando opus erit, a uiro optumo et istis rebus instructissumo, familiari meo, Longino mutuabor.* Neque tamen *Conci* nomen ab ullo scriptore Latino umquam usurpatum uidi. Itaque alii iudicent.

Longino) C. Cassio Longino, qui fuit historiae et antiquitatis peritissumus, ut dicit Or. I, 60., ex quo cognosci res potest. Ernestius.

Me hic id ex te primum audisse) Modeste refellit eum ut mendacem. Manutius.

Perelegans et persubtilis oratio) Prius ad electum uerborum, posterius ad tractationem rei pertinet. Monui hoc Weiski caussa.

Equitis Romani) Nondum senatorium ordinem adeptus erat Cassius. Manutius.

Respondebo ad ea, quae dixisti) Miror, ne Orellium quidem Ciceronis mentem adsecutum esse. Hoc dicit: Talia sunt a te, Cassi, dicta, ad quae Planci defendendi caussa non opus esset uerbo respondere; uerum quoniam forma orationis eiusmodi fuit, ut diligenter ab iudicibus audireris, eruditioni tuae hunc tribuam honorem, ut respondeam ad ea, quae dixisti.

Quae pleraque de ipso me fuerunt) Pro *me*, quod est in libris optumis B et E aliisque, plerique scribunt inepte *fine*. In uerborum autem *ipso me* conlocatione ne quis offenderet, praecauere studuit Garatonius monens: „Cicero pronomina ita conlocauit etiam I. in Uerr. 25. *ueritus, ne quid in ipso se offenderetur.* pro domo 23. *in ipsum me.* in Pis. 20. *nisi ad ipsum te.* de H. R. 27. pro Lig. 8. pro Deiot. 3.. Plinius etiam III. Epist. 4. *si ab ipso me inpetrassent.*" Non alienum erit, quod non fecit Garatonius, hac oblata occasione monuisse, cur illis in locis aliisque pronomen personale pronomini *ipse* postpositum sit. Eadem autem in conlocandis his pronominibus regula ualet atque in nominum propriorum et appellatiuorum conlocatione. Constat, nomen proprium ante appellatiuom ponendum esse, si appellatiuom nominis propri explicandi caussa adiciatur, contra appellatiuom nomini proprio praeponendum esse, si nomen proprium nominis appellatiui explicandi caussa adiciatur. Itaque Cicero hac ipsa oratione C. XIV. §. 33. dixit: *Consuli, P. Nasicae, praeco, Granius, inquit,* propterea, quod infumi hominis in nobilissumum maledictum conmemorare et quomodo consuli praeco maledixerit exemplo quodam docere uoluit. Nomina igitur *Nasicae* et *Grani* explicandorum appellatiuorum caussa, *consulis* et *praeconis,* adiciuntur ideoque eis postponi debebant. Quae si praeponerentur, non inter *nobilitatem* potissumum et *ignobilitatem* oppositionem faceret Cicero, set aliquid de Nasica et Granio se narraturum esse ostenderet. Eodem modo pronomina personalia aliis nominibus postponi debent, si aliorum illorum nominum explicandorum caussa adiunguntur. Itaque exempli caussa *unus ego* dicendumst, si oppositiost inter *unitatem* et *pluritatem,* ut ita dicam, atque pronomine *ego* tantummodo explicatur, quis ille *unus* sit, qui pluribus opponatur. Cfr. Cic. pro Sulla C. VI. §. 18. *Quae si de uno me cogitasset.* de H. R. C. XXII. §. 47. *Quae quamdiu haerebant in uno me.* pro Sestio C. LXIX. §. 145. *susceptae sunt propter unum me.* in Uatin. C. VII. §. 17. *num quis ex toto conlegio legem sit ausus ferre, praeter unum te.* ibidem *id unus tu.* Philipp. XI, 9. *Nemo erit praeter unum me.* Contra necessario dicere debet *ego unus*, qui de se potissumum aliquid praedicat idque praeterea de alio nemine ualere addit. Sic hac ipsa oratione C. XXXI. §. 75. debebat dici: *nisi forte ego*

unus ita me gessi in iudiciis. Adde pro Sulla C. IX. §. 28. *Quare non sum nescius, quanto periculo uiuam in tanta multitudine inproborum, cum mihi uni cum omnibus inprobis aeternum uideam bellum esse susceptum.* Ibidem C. X. §. 29. *quod omnium mentes inproborum mihi uni maxume sunt infensae.* pro domo C. XXVIII. §. 75. *decreuit senatus, ut omnes, qui rem p. saluam uellent, ad me unum defendendum uenirent.* Ibidem C. XXXV. §. 94. *praesertim cum mihi uni — iurato dicere fas fuisset.* pro Sestio C. VII. §. 15. *intentus arcus in me unum.* Eodem denique modo pronomen *ipse* pronominibus personalibus praeponi debet, si notio pronominis *ipse* primariast maxumeque urgenda, pronomen autem personale explicandi tantummodo pronominis *ipse* caussa adicitur. Exempla rem patefacient. Plin. III. Epist. 4. *Factum,* inquit, *senatus consultum, ut darer prouincialibus patronus, si ab ipso me inpetrassent.* Quo loco *ab ipso me* dictum hoc sensu: si ab eo ipso, quem cuperent patronum, id est a me inpetrassent. Cicero in Pis. C. XX. §. 48. *Si familiam tuam dimisisses, quod ad neminem nisi ad ipsum te pertineret, amici te tui constringendum putarent.* Hic quoque *ad ipsum te* dixit Cicero significans: quod ad neminem nisi ad eum ipsum, qui familiam dimisisset, id est ad te pertineret. Plane eodem sensu dictum *ipsum te* in orat. pro Lig. C. VIII. §. 23. *Si responderit Tubero Africam, quo senatus eum sorsque miserat, tibi patrem suum traditurum fuisse: non dubitabo aput ipsum te, cuius id eum facere interfuit, grauissumis uerbis eius consilium reprehendere.* Hoc enim dicit Cicero: aput eum ipsum, cuius — interfuit, id est aput te etc.. Neque alia ratiost loci, quem ex or. pro Deiot. C. III. §. 8. Garatonius adtulit. Quibus ex locis patet, nostro loco *de ipso me* dixisse Ciceronem hoc sensu: de eo ipso, qui responsurus est, id est de me etc.. Contra si *de me ipso* dixisset, significasset, expectauisse se fore, ut Cassius de aliis hominibus diceret, uerum de se nec de aliis dixisse. Quod quemadmodum non expectauit, ita etiam expectasse se significare non potuit.

In me reprehendendo) Quia Plancium defenderem. MANUTIUS.

Non ingrati) Meam enim erga bene de me meritos pietatem ostendunt. MANUTIUS.

§. 59. *Qui esset familia consulari*) Hoc significabat Cassius, faciliorem sine dubio esse uiam ad honores iis, qui familia essent consulari, quam equitum Romanorum filiis; quod cum in Laterense contra cecidisset, coici licere, gratuita comitia non fuisse. MANUTIUS.

Tamen honorum aditus numquam) Cur *illi* pronomen eiecerim, expositum in Proleg. L. II. C. I. §. 11. p. XLVI. est.

Quamquam ad praecepta aetas non est grauis) Uerbum *grauis* sensu praegnanti dictum, estque aetas ad praecepta non grauis, quae propterea, quod infirma adhuc est necdum adulta, ad praecepta nondum apta siue idoneast. Quod patet maiore cum laude Ciceronis fili dictum esse, quam si *apta* uel *idonea,* cuiusmodi uerbum editoribus quibusdam hic ponendum uisumst, scriptum esset. Recte autem aetas appellatur *grauis.* Sic Cic. Cat. M. C. X. §. 33., cuius loci iam Graeuius mentionem fecit: *ut et infirmitas puerorum et ferocitas iuuenum, et grauitas iam constantis aetatis et senectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat.* Itaque sententia loci, quod Baki caussa moneo, haec est: Quin etiam filio meo, quamquam ad eam aetatem nondum peruenit, ut imbui praeceptis possit, hoc tamen unum praeceptum iam nunc dare soleo: *uigilandum est semper* etc.. Ceterum ueram hanc, quam interpretatus sum, scripturam esse, docui Proleg. L. I. C. III. §. 13. p. XXVII sq., ubi integras etiam editorum ad h. locum adnotationes descriptas uidere licet.

A Ioue ortus) Atreus fortasse, Iouis pronepos. Ioue enim Tantalus, Tantalo Pelops, Pelope Atreus natus est, quem poetae scelestum atque inpium fingunt; historiae ingenio excelluisse et solis eclipsim praedixisse narrant. MANUTIUS.

Nosti cetera. Nonne?) Magna cum acerbitate haec uerba dicta sunt. Iam enim ad Cassium pertinere Atti illa uerba, quae post *bonis* sequebantur, *id, quod multi inuideant multique expetant, inscitiast Postulare, si laborem summa cum cura ecferas Nullum,* tecte significat, cum in antecedentibus tantum se filio suo ea, quae Attius scripserit, solere praecipere dixisset. Egregie igitur Cassi animum, a quo lacessitus interrogatusque, utrum sibi putaret, equitis R. filio, faciliorem fuisse ad adipiscendos honores uiam, an futuram esse filio suo, qui familia consulari esset, repungit ita, ut Laterensem, quem propter solam maiorum suorum nobilitatem ad summos honores euehi debuisse significarat, stultitiae coarguat, cum, quemadmodum poeta dicat, inscitia sit id, quod multi expetant, postulare, si nullum laborem ecferas. Ceterum uide quae de scriptura huius loci Proleg. L. II. C. II. p. LVI sqq. monuimus.

Grauis et ingeniosus) Uolgo male *ille* post *grauis* additur. Uide Proleg. L. II. C. I. §. 6. p. XXXIII..

Poeta) Attius. Cfr. Garatonius ad or. Sest. C. XLVIII. p. 201. ed. Neap.. — Ceterum cur *scripsit,* quod post nomen *poetae* in codicibus repetitur, expunxerimus, monitum Proleg. L. II. C. II. p. LX. est.

Et ad laudem) Cur *ad* ante *laudem* ex B et E receperim, Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XLII. exposui.

§. 60. *Cn. Scipionis*) Eius fortasse, cui *Asinae* cognomen fuit; qui post alterum consulatum de Poenis triumphauit. MANUTIUS.

Quod ei minus inuideretur) Patris enim gratia factus uideretur; nunc ei, quia equestri loco natus aedilitatem obtinuerit, inuidetur. MANUTIUS.

Gloriae dispares) Forcellinus in u. *gloriae* et Ernest. ad Tacit. Ann. 3, 45. *gloriae* numerum pluralem esse uolunt, set concinnius est repetere ex praecedentibus: *gloriae* gradus *dispares.* ORELLIUS. Manifestumst, *gloriae* casum esse genitiuom. Ceterum confer pro Milon. C. XXXV. §. 97. *hanc* (gloriam) *denique esse, cuius gradibus etiam homines in caelum uiderentur ascendere.*

CAP. XXV.

M'. Curio) Male in codicibus et hic et alibi scribitur *M. Curius.* Est autem hic intellegendus M'. Curius Dentatus, qui secundum consul an. u. 479. Pyrrhum regem uicit. Cfr. A. Maium ad Cic. de Re p. III, 3. et scholia Ambr. ad or. pro P. Sulla C. VII. p. 134. ed. Mai. sec. ibique Maium.

C. Fabricio) Est C. Fabricius Luscinus, qui secundum consul a. u. 476. perfugam, qui Pyrrho regi uenenum se daturum promiserat, regi ipsi tradidit.

C. Duilio) Male in libris *P. Duellio* scribi, uiderunt iam Ursinus, Manutius, Ernestiusque. Manifestumst enim, significari hic C. illum Duilium, qui a. u. 494. consul aduersus classem Poenorum prospere pugnauit, primusque omnium Romanorum ducum naualis uictoriae triumphum duxit. Ob quam rem perpetuus ei honos habitus est, ut reuertenti a coena tibicines canerent et funale praeferretur. Cfr. Glandorpi Onomast. p. 309 sq. „At magna est difficultas in nomine [*Duellio*], quam interpretes, nullo hic dissentiente codice, non adtigerunt. Neque

uero dissentiunt in Oratore c. 45., ubi haec habemus: *ut duellum, bellum, et duis, bis, sic Duellium eum, qui Poenos classe deuicit, Bellium nominauerunt, quom superiores appellati essent semper Duellii.* Ursinus autem ad c. 13. de Senect. *Duellium* habet, inquit, anticus liber, et ita scribebant antiqui. Neque aliter codices plerique Liuiani; uide Drak. ad II, 58. III, 54. item Ualeri Maxumi III, 6, 4. Quinctilianus accedit, qui I. Instit. Orat. 4. p. 44. ex Tullio sic habet: *fecit ex duello bellum, unde Duellios quidam dicere Bellios ausi.* Tres ibi tantum libri *Duilios,* nullus *Bilios.* Alter est eiusdem locus I, 7. p. 87., ubi columnam rostratam memorat, *quae est C. Duellio in foro posita.* Ita scriptum etiam in optumo Pontani codice testatur Pighius T. II. Annal. p. 24.. Uarietates tamen aliquot *Duilio* fauent. Eadem in re Plinius XVI. H. N. 39. XXXIV, 5. usque ad Harduinum *C. Duellio;* mutauit ille, ut in Seruio ad Uerg. XI. Aeneid. 206. Burmannus. Idem in Tacito II. Annal. 49., Ammiano XXVI, 3. aliisque factum, nulla uarietate notata. Nam quo tempore in Fastis quom consularibus tum triumphalibus *C. DUILIUS.* inuentus est, id uiri docti statim arripuerunt; quom quidem ea scriptio non modo Liuio, uerum etiam Ciceroni conueniat. Graeuius et Ernestus consensum codicum ueriti sunt, quem tot alii multo ante contempserant. Quin etiam quom eadem aetate ex fori ruderibus inscriptio illa prodierit, quae in basi Duilianae columnae incisa fuerat, primo illius uersiculo extritum nomen a Ciacconio restitutum est *C. BILIOS.* Ego uero id fuisse non arbitror. Nam eius uersiculi, qui aput Lipsium et Gruter. p. CCCCIV. plane deest, in exemplo Lafreriano hae sunt reliquiae, C. D. . . . . M. F. M. N. C . . . L. Set neque hac de re quaero, neque de tempore, quo nominis inmutatio contigerit. Quod enim caput est, numquam ipse passus esset Duilius in monumento publico Bilium se ad uolgi arbitrium nominari. Sic Atilii, qui Serrani uolgo appellabantur, *Saranos* se in nummis titulisque inscribebant. Denarii quidem argentei Saranorum in aetatem incidunt ipsius Duili; set lapis aput Maffeium Mus. Ueron. p. CVIII. saeculi est ab U. C. septumi. Probabilius itaque a Pighio suppletur ibi *DUILIOS,* quem Donatus de urbe Roma II, 7. p. 131. et alii secuntur. Nam *I* longiusculum non modo in Fastis eo loco extat, uerum etiam in eadem illa inscriptione, in qua bis *PRIMOS.* exaratum est. Quod quidem suspicionem Ciacconi conprobat, archetypam non esse illam, set restitutam. Quamquam enim haec distingui temporibus accurate non possunt, uidetur tamen id signum Duiliani non esse temporis, quo signo pro *EI* posito et contractio et quantitas indicatur. Antiquior scriptio fuit, PREIMUS. MEILIA. CEIUIS. posterior, PRÍMUS. MÍLIA. CÍUIS.; mitto plura doctis notissuma. Est igitur uerisimile, in basi columnae a primo fuisse, C. DUEILIOS. Ita in celeberrumo gentis Didiae nummo, qui ad eum Didium, de quo mox Cicero, eruditorum consensione refertur, set est fortasse uetustior, legitur T. DEIDI., quom in altero posteriore sit T. DIDI. IMP., et in Fastis utrisque T. DIDIUS., in quibus etiam ex *Leiuio* LIUIUS. ex *Peisone* PISO. et alia similiter. In nummis SERUEILI. sunt, qui postea *Seruilii:* uide Raschi Lexic. T. IV. p. II. p. 755.. De quantitate Sili uersus VI, 665. dubitare non sinit,

Exuuias Marti donumque Duilius alto
Ante omnis mersa Poenorum classe dicabat.

Iam uero quom littera *L.* geminata in hoc nomine, quod in millenis aliis est factum, numquam fuerit, ut luculento Fastorum testimonio conperimus; nihil autem sit frequentius quam litterarum *I* et *L* permutatio; atque hoc adeo in nomine nihil facilius: *Duellius* ipsa est antiqua scriptio *Dueilius.* Hoc non eo dico, ut restituam; nolim profecto, etiamsi Tullius ita scripserit. Set mira est MSorum cum remotiore antiquitate consensio: fortuitam dicas licet;

uel tu a *duello,* quod notius erat uerbum, arcesse. Aequom est enim orthographia posteriore nos uti, modo ne mendosa, qualis est in Duellio. Est igitur alterum *L* extrudendum, deinde pro *E* scribendum *I*, quo etsi celsiore non utimur, diphthongus tamen a Graecis accepta repraesentatur. Iam in Catone c. 13. *Duillum* a MSis traditum nonnulli in *Duilium* optume conuerterunt. Hoc autem loco Manutius ueram lectionem unus adnotationi suae praescripsit, et Aldo filio recipiendam reliquit. At in Oratore, quamquam olim uiam praeiuerant Ciacconius ad columnam, Muretus ad Tacitum, Colerus ad Ualerium, locis citatis, Merula ad Ennium p. 59. et Schottus ad Uictorem Uir. inlustr. c. 38.: nullus tamen, quod sciam, editor fuit, ne Schutzius quidem, qui a MSorum errore discesserit. *Bilius* porro cito obsoleuit; nemo certe ueterum usus est, excepto fortasse Polybio I, 22., aput quem qui perperam in antiquioribus MSis est *Αἴβιος,* uidetur fuisse *Βίλιος*, non, ut aput ceteros minus antiquos Graecos, *Δουίλιος;* quam Ciacconi, Mureti, Pighi, et Ursini sententiam Scaliger quidem Casaubonusque repudiant, set aetas Polybi defendit, qua id audire ille potuit, haut tamen ex monumentis ediscere. Hanc formam sic adamabat Ciacconius, ut in alios quosque transferre uellet; Ursinus postquam *Duelium* probauerat, *Bilium* in Séruio maluit ad Uerg. III. Georg. 29., quod esset in suo codice *Uilius;* Muretus uero contra libros et sine caussa Horatianum *Uillium* I. Serm. 2, 64. Milonis familiaritate notum hominem deiciebat, ut *Bilium* nescio quem introduceret. *Uilius* in Seruio *Iulius* est: nam ibi *Duilius* per librarios D. IULIUS. erat factus, deinde *D.* omissum, etiam additum *Caesar;* quae res Donatum l. c. Nardinumque Rom. antiq. V, 16. p. 315. ita decepit, ut Seruium de C. Duilio locutum esse, ne ex Poenorum quidem mentione intellexerint." GARATONIUS. Male uolgarem scripturam *Duellii* A. Maius ad I. de Re p. C. I. tuetur.

Atilio Calatino) Sermost de A. Atilio Calatino, qui a. u. 496. et 500. consul fuit. Conponitur cum Duilio etiam a Cic. de Re publica I, 1.

Etenim in uirtute multi sunt ascensus) Duplex huius loci scriptura in codicibus extat; optumi libri, B et E, sic scribunt: *Etenim in uirtute multi sunt ascensus;* ceteri: *Est enim in uirtute multis ascensus.* Lambinus, cui ignota optumorum codd. scriptura erat, alteram sic inmutauit: *Est enim in uirtute multus ascensus* et praeterea haec monuit: „Nihil fere inmutaui ex antiqua scriptura; tantum ex *multis* feci *multus.* Set uelim pro *in uirtute* legi *ad uirtutem.* Alii sic legunt, *Etenim ad uirtutem multi sunt ascensus;* quam lectionem probo. Alii sic legi uolunt: *est enim ad uirtutem unicus,* seu *unus ascensus;* quam etiam probarem, nisi tam longe abesset ab antiqua scriptura. Set proxuma superior mihi magis probatur, ut cum Ciceronis sensu magis consentanea. Hoc enim sentit Cicero, neminem eorum, qui hodie uiuant, esse Curio et Fabricio et ceteris antiquis similibus uirtute parem; multos tamen honoribus esse pares. Ratio haec est: nam honorum finis est consulatus; ad quem cum quis ascenderit, altius progredi non potest; in uirtute uero, seu ad uirtutem multi sunt ascensus; aliique aliis sunt uirtute praestantiores. Uerbi caussa antiqui uirtute nobis antecellunt, neque nobis ad eorum uirtutis magnitudinem peruenire licet; set alii nostrum ad eam propius accedunt, alii longius ab ea absunt. Eosdem honores tamen, quos illi ceperunt, nostrae aetatis homines quam plurumi sunt consecuti. Quare uirtutis multi sunt ascensus, honoris unus." Haec Lambinus, quibus Graeuius deterreri non potuit, quominus uolgatam scripturam deteriorum codicum seruaret. Ea autem ferri nullo modo potest. Prima caussa haec est, quod uerbum *est,* quom, ut hoc loco, sine praecipua ui est, in initio enuntiationis conlocari numquam solet; altera positast in sensu, quem scriptura illa praebet, ab hoc loco plane alieno. Non

enim hoc dicere potest orator, quae illius scripturae sententiast, *ad uirtutem multis licere peruenire,* set necessario, quod ex membro opposito, *honorum finis est consulatus,* manifesto apparet, hoc debet dicere: honorum gradus paucos esse, sic ut qui consulatum adeptus sit, altius in honoribus progredi non possit, uirtutis autem plurumos. Itaque certissumumst, *multi ascensus* unice ueram scripturam esse. Rectissume etiam *in uirtute multi ascensus sunt* dictum, quo significat: cum quis uirtuti studet, plures sunt gradus, quos ascendere possit, quam cum honorum cupidus est, quorum finis est consulatus, quem qui consecutus est, altiores gradus ascendere nequeat. Similiter dictum *in uirtute procedere et progredi* Cic. de Fin. B. et M. IV, 23, 64. — Ceterum *sunt,* quod B et E post *multi* addunt, incertumst, utrum ab interprete sit an a Cicerone profectum. Uide Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XLII..

Horum si diligenter quaeras, uix decumam partem reperies gloria dignam) Sic edidit Ernestius, haec adnotans: „Pro *quaeras* Ms. Erf. *quaeres,* quod Graeuius sine necessitate recepit, seruato *reperis.* Set pro eo in edd. uett. est *reperies,* cui bene conuenit *quaeras.* Et sic edidi. Si fauerent libri, scriberem *quaeras — reperias.*" Post Ernestium Garatonius haec ad h. locum adnotauit: „Retinendum est *quaeras — reperias,* ut omnium silentio a Naugerio ad Gruterum editum fuit. Optumum esse, quis neget? ut aput Terent. Eun. 1, 16. *si postules, nihilo plus agas,* et passim aput optumos quosque. Mutatum id miror. Ferri posset, *quaeres — reperias;* an non tamen esset *quaeres — reperies* congruentius? Immo nunc *reperies* Ernestum dedisse uideo ex iis, quibus careo, ueteribus editis." Neque Garatonius neque Ernestius recte in constituendo hoc loco uersati sunt. Non enim quaerendum, quid dici potuerit, set uidendum, quam scripturam codicum auctoritas maxume tueatur. Tuentur autem omnes fere libri in iisque optumi *reperis;* a qua scriptura qui recedunt, aperte emendatricem manum experti sunt. Ea uero ipsa scriptura cum genuina esse nequeat, is solus rectam emendandi uiam iniuisse dici potest, qui lenissuma cum mutatione id restituerit, quod et sententiae accommodatissumum esse, et a librariis facillume in uolgarem scripturam mutari potuisse intellegetur. Atqui nec *reperias,* si scriptum a Cicerone fuisset, nec *reperies,* quomodo a librariis in *reperis* mutari potuerit, perspicitur. Contra facillumo errore *reperis* ex *repereris* oriri potuit. Quae scriptura cum optume conueniat cum *quaeres,* quod praestantissumi libri B et E accedente La habent, mihi quidem unice uera uidetur esse. Sic Ennius aput A. Gell. XI, 4. *Haec tu etsi peruerse dices, facile Achiuos flexeris.* Terent. V. Adelph. 1, 31. *Haec si uoles in animo uere cogitare, Demea, et mihi et tibi et illis dempseris molestiam.* Id. Hec. I, 2, 4. *Si non quaeret, nullus dixeris.* Cic. Phil. XI, 11, 26. *Hinc si Brutus erit traductus ad aliut bellum, Graeciam certe amiserimus.* Neque absimile, quod scripsit Terent. Heaut. I, 1, 55. *set si id non facis, ego quod me in te sit facere dignum, inuenero.* Adde Cic. II. in Uerr. II, 62, 151. *Da mihi hoc, iam tibi maxumam partem defensionis praecideris.* Corn. Nep. XXIII, 2, 6. *Quare si quid amice de Romanis cogitabis, non inprudenter feceris, si me celaris.* A. Gell. N. A. II, 5. *Fauorinus de Lysia et Platone solitus est dicere: si ex Platonis, inquit, oratione uerbum aliquod demas mutesue, atque id commodissume facias: de elegantia tantum detraxeris, si ex Lysiae, de sententia.*

Sic igitur Plancius nihilominus quaestor est factus, et tribunus plebis, et aedilis, quam si esset summo loco natus; set haec pari loco orti sunt innumerabiles alii consecuti) Sic relictus hic locus a Garatonio etiam et Orellio, quamquam manifesto mutilatus, neque intellectus. Nimirum postrema *set haec* — nullo modo cum superioribus iungi possunt, quippe nulla ob-

iectio, aut correctio istorum expectatur. Coniunge cum proxume sequentibus, et sic distingue: — *loco natus. Set haec quom pari loco orti sint innumerabiles alii consecuti, profers triumphos T. Didi et C. Mari, et quaeris, quid simile in Plancio:* i. e. inique agis, cum Didios tantum et Marios cum Plancio confers, neque cogitas innumerabilis nouos homines ad honores peruenisse, qui non pariter rebus gestis inclaruerunt. Bakius. Quem ab aliis non intellectum locum dicit uir doctus, ipse potius non intellexit. Minume enim loci sententia admittit, ut uerba, *haec pari — consecuti,* cum sequentibus, *Profers triumphos,* in unum membrum ita coniungantur, ut conmemoratio triumphorum Didi et Mari propterea facta dicatur, quod tribunatum pl., quaesturam, et aedilitatem innumerabiles alii Plancio non nobiliores consecuti sint. Nam manifestumst, eo consilio Cassium triumphos Didi et Mari conmemorasse, ut doceret, nouos homines, qui maiores essent adepti magistratus, ut Didius et Marius, certe magnas res gessisse, ob quas magistratibus essent admoti; Plancium autem nihil dum, quod laude dignum esset, fecisse. Itaque nouam plane sententiam continent haec, quae Cicero ineunte §. 61. a Cassio dicta refert, cum in antecedentibus male Cassium contendisse demonstrasset, Laterensem, quod summo loco natus esset, Plancio fuisse anteponendum. Unde intellegitur, uerbis *Profers* etc. necessario nouom incohari membrum debere. Neque uero ulla in particula *set* offensiost, qua particula Cicero hoc significat: neque uero Plancius solus hos honores quamuis ignobilis adeptus est, uerum alii etiam permulti pari loco orti.

§. 61. *Profers triumphos T. Didi et C. Mari*) Uidetur illum Didium intellegere, qui de Scordiscis triumphauit anno U. C. 641., cuius meminit Cicero in Pis. c. 25.. Graeuius. Fuerunt, quemadmodum C. Mari, ita etiam T. Didi duo triumphi, quorum secundus omissus a Graeuio, in tabulis Capitolinis ed. Piran. num. L. sic notatur: T. DIDIUS. T. F. SEX. N. II. PROCOS. EX. HISPANIA. A. DCLX. DE CELTIBEREIS. IIII. IDUS. IUN.. Consul hic fuit anno DCLV. [656. Alm.], praetor autem anno DCXXXVIII. fuisse a Pighio creditur, et lauream Macedonicam ex praetura consecutus anno DCXL.. Miratur ille quidem tot annos iacuisse hominem triumphalem; set ita iubent existumare res eius gestae contra Scordiscos inter Catonem Cos. anno DCXXXIX. et Drusum Cos. anno DCXLI. a Floro III, 4. conlocatae. At ego potius arbitror, confusa fuisse a Floro tempora; praesertim cum Liuiana Epitome LXIII. de Catone, qui caesus fuit, et de Druso, qui idem creditur triumphasse, conmemorans, nihil de T. Didio interponat, cuius certissumus est triumphus. Eadem lib. LXV. de Minucio agit, post quem locus est Didio uerisimilior circa an. DCL.. Male *Marcus Didius* uocatur in Rufi Breuiar. c. IX. et in Amm. Marcell. XXVII, 4., recte Titus a Frontino Strat. I, 8, 5. II, 10, 1. Garatonius. *Titus* in fastis dicitur etiam Capitolinis et ap. Murat. Thes. I. p. 290., item ap. Uellei. Paterc. II, 16., Appian. Hisp. c. 99., *Tullius* uero habent Almelou. et St. Allais. Orellius. Ceterum Didius una cum Mario nouis hominibus a Tullio pro Mur. C. VIII. §. 17. accensetur. Garatonius praeterea in Curis Secundis de hoc T. Didio libellum extare Bimardi ait, quem numquam uiderit. Neque ego uidi.

Propterea magistratus ceperint, quod triumpharant, et non, quia conmissi sunt iis magistratus, in quibus re bene gesta triumpharent) Sic hic locus in optumis codd. scriptus extat. „Totus hic locus in Mso. ita legitur: *propterea magistratibus fuerint digni, quod triumpharunt, et non quia conmissi sunt iis magistratus, in iis re bene gesta triumpharint.* Paulo post, *Metello hoc inperatore,* in Mso. non est *Metello.*“ F. Ursinus. Sententia loci omnino requirit tale quid, quale fuit in Ursini libro. Nam Laterensis [Cassius potius] dixerat: T. Grac-

chus [Didius] et C. Marius triumpharunt, et ideo ad summos honores sunt elati, set quid simile Plancius egit, ut ei honores conmittantur? Respondet Tullius: Non ideo illi magistratus sunt creati, quod triumpharunt, set quia creati sunt magistratus, ideo, quia cum magistratus essent, bene rem gesserant, triumpharunt. Propius accedit ad editiones et alios libros Erfurtensis: *quasi uero isti, quos conmemoras, propterea magis* [non ita scribit, set *magg.*, quod est consuetum uocis *magistratus* conpendium.] *ceperint, quod triumpharunt* [scribit *triumpharant*]. Legendum: *magistratus ceperint; ἀντίϑεσις* ostendit liquido sic scripsisse Tullium. Hi non ceperunt magistratus, quod triumpharunt, set quia ceperunt magistratus, siue, ut loquitur, quia iis conmissi sunt magistratus, re bene gesta triumpharunt. Graeuius. Uolgata scriptura [*propterea magis laude fuerint digni, quod triumpharunt*] partim egregie sanatast a Graeuio, partim aliquo modo ab Ursino. Nam intellegere me nondum posse confiteor, quomodo Graeuius, qui loci sententiam procul dubio perspexit, eius alteram sententiae partem apte ac dilucide his uerbis exprimi sit arbitratus: *et non, quia conmissi sunt iis magistratus, in quibus re bene gesta triumpharent.* Nonne, quod praecessit, subaudiri uidetur, ut sit, *et non magistratus ceperint, quia conmissi sunt iis magistratus?* [Necessario ad uerba *et non* ex uolgata scriptura referenda sunt ea, quae subaudienda Garatonius dicit.] Quid autem fieri potest absurdius? Neque ullam probabilem rationem uideo, qua uerba pertraham ad sententiam, quae est, *et non triumpharint, quia* etc.; neque aliut statuo uolgatae illi pessumae caussam dedisse, quam hunc in Msis antiquioribus nodum et errorem. Nam certe silent hic omnes praeter Ursinum; cuius quidem codex huic medetur incommodo exhibens, *in iis re bene gesta triumpharint:* set parum illi confido, et manus in eo libro emendatrices adgnoscere mihi uideor. Nescio uero, an ita praestet legere: *et non conmissi sint iis magistratus, in quibus* etc., an sint uerba illa, *in quibus,* delenda, et ab Ursino sumendum aliquid, ut habeamus: *et non, quia conmissi sunt iis magistratus, re bene gesta triumpharint.* Ueritas est adhuc a Msis expectanda. Garatonius. Idem in Curis Sec. haec monuit: „In Bauar. *propterea magg. ceperint, quod triumpharant.* Est igitur hoc etiam duce cum Lallemando sine dubitatione legendum, *triumpharant.* Neque aliter duo quoque Oxonienses [et Erf.]. Altera pars mendosa in omnibus libris est, set in Ursiniano minus; ex quo sumendum est, *triumpharint,* ut adiecticiis expulsis sic denique totus locus emendate legatur: *Quasi uero isti, quos conmemoras, propterea magistratus ceperint, quod triumpharant, et non, quia conmissi sunt iis magistratus, re bene gesta triumpharint.* Haec mea uetus est emendatio; set quom proposuerim duas, hanc me nunc alteri praeferre dico, in qua delebam *quia,* ut seruarem *in quibus.* Uerum *quia* respondet superiori *quod,* eaque re locum tuetur suum; at *in quibus* tum per se inutile, tum, nisi *quia* expellatur, absurdum. Ursiniani ergo codicis interpolator substituit *in iis.* Placetne bis proxume ita positum *iis?* idque nulla de caussa? Immo sic si fuisset, *in quibus* omnes alii non exhiberent. Nihil horum omnino fuit; interpretantium additamenta, non uerba Ciceronis esse existumo. Set manum de tabula. Tantum addo, deleto *quia* etiam *sint* contra libros reponendum esse pro *sunt,* quo lenior emendatio altera uideatur." Hanc Garatoni emendationem, *in quibus* eicientis et pro *triumpharent* scribentis *triumpharint,* iure Orellius iam probauit. Puto autem uerba *in quibus* addita ab interprete esse, qui antecedentia *et non quia* etc. unum efficere membrum putasset. Quo facto sequentia *re bene gesta* etc. nullo cum antecedentibus uinculo coniuncta debebant uideri. Saepenumero autem praua interpunctio interpretes adduxit, ut adderent, quae a sensu aliena sunt. Ita supra C. XVI. §. 59. pro genuina scri-

ptura: *Quid enim potest dicere, cur ista editio non summam habeat acerbitatem?* multis in codd. perperam legitur: *Quidni enim potest dicere? Cur ista editio non summam habet acerbitatem?* et similiter C. XXVI. §. 63. omnes fere libri pro uera scriptura: *Quid? alii quaestores non fecerunt?* habent: *Quid alii quaestores? Nonne fecerunt?* Ipsum autem pronomen relatiuom *qui* eadem de caussa ab interpretibus additum fuit pro Sestio C. XLII. §. 90., ubi uide Lallemandum et Garatonium.

Re bene gesta triumpharint) Placeret mihi potius, *re publica bene gesta,* ut aput Ualer. Max. III, 6, 5. de Papirio Massone: *quom bene gesta re publica triumphum a senatu non inpetrasset.* Uide Drak. ad Liu. II, 64. et quae notaui ad C. VI. de prou. consul.. Garatonius. Est profecto, quod Garatonius restitutum iuit, frequentissumum ac uolgare loquendi genus. Sic in Pis. C. XL. §. 97. *Quis te miserior, quis te dampnatior, qui neque scribere ad senatum, a te bene rem publicam esse gestam, neque praesens dicere ausus es?* Idem ad Diu. II, 7, 6. *ut, quoniam sane feliciter et ex mea sententia rem publicam gessimus, unis litteris totius aestatis res gestas ad senatum perscriberem.* Idem II. in Uerr. III, 80, 185. *Saepe enim nostri inperatores, superatis hostibus, optume re publica gesta scribas suos annulis aureis in contione donarunt.* Uerrius Flaccus ap. A. Gellium V, 17. *quotiens belli gerendi gratia res diuina postridie Kal., Nonas, Idus a magistratu populi R. facta esset, eius belli proxumo deinceps praelio rem publicam male gestam esse.* Uide etiam I. F. Gronou. ad Liu. VIII, 31. et Garatonium ad or. Catil. III, 6. p. 496.. Atque haut scio, an eodem loquendi genere hic usus sit Cicero, cum *p.* littera i. e. *publica* facillumo errore excidere potuerit. Nihilominus uolgatam retinendam scripturam putaui, cuius aliqua certe explicandae ratio extaret. Cum enim frequenter duces aut inperatores *rem bene* aut *male gerere* dicantur, qui bellum pugnamue bene aut male gerunt (cfr. Corn. Nepotis I, 5, 3. II, 5, 1. XIII, 5, 4. XIV, 6, 1.), et hoc loco ex uerbis, quae praeposita sunt, *profers triumphos T. Didi et C. Mari,* satis appareret, de eorum in bello rebus gestis sermonem esse, recte uidetur Cicero locutione *rem bene gerere* uti potuisse.

Hoc inperatore) In editionibus recentioribus omnibus excepta Orelliana additur *Metello* ante *hoc.* „Primum adici in Naugeriana perspexi. Cur autem a glossa non sit profectum hoc nomen, cum praesentem fuisse Q. Metellum Creticum pateat ex C. XI. *miles* (Plancius) *huius Q. Metelli,* unde peti glossa facillume potuit? Dicitur autem *hoc inperatore* δεικτικῶς, manu Metellum uersus extensa; ut passim, et modo etiam C. XXIV. *sic ab his es auditus,* h. e. a iudicibus.“ Garatonius.

Tribunus in Macedonia militum) Putaueram olim nomen *militum* ab interprete adiectum et, ut fieri solet, alienum in locum inlatum esse, hac ductus caussa, quod quae unius nomiuis instar sunt uerba, *tribunus militum,* eo minus alio interiecto uerbo seiungi a se posse uidebantur, quo magis cum ab omnium hominum, tum etiam a M. Tulli consuetudine abhorret, ut, cuius uerbi nulla praecipua uis sit, quale *militum* nomen in hoc loquendi genere non potest non uideri esse, id sic conlocetur, ut propter locum, quem occupat, cum ui quadam pronuntiari necessario debeat. Set uideo nunc, quod alio in loco fieri nullo pacto licuerit, id hic aptissume factum esse, multumque de uenustate orationis eiecto nomine illo detrahi. Manifestumst enim, Ciceronem membro, quod praecedit, *et miles in Creta hoc inperatore,* omni ex parte hoc, quod sequitur, *et tribunus* etc. adaequare studuisse. Itaque *militis* nomini debebat nomen *tribuni,* uerbis *in Creta* uerba *in Macedonia,* denique uerbis *hoc inperatore* nomen

militum opponi. Ita qui in Creta subiectus inperatori fuerit, aptissuma cum oppositione in Macedonia praefuisse militibus dicitur. Codicem Laurentianum secundum, in quo uerba *tribunus militum* iuncta reperiuntur, saepius manum correctricem expertum esse, Proleg. p. III. docui.

§. 62. Tota haec sectio acerbissumam continet Laterensis quoque, non Cassi solum inrisionem: de illo enim M. Caelius ad Diu. VIII, 8. *Laterensis leges ignorans.* Orellius.

Quaeris, num disertus?) Non addidi cum Graeuio ex Erf. *sit* post *disertus,* quod manifesto ab interprete profectumst. Sic §. 61. *quaeris, quid simile in Plancio.*

Iurisconsultus) Uide ad c. 12. pro Mur.. Garatonius. Ibi propter uerba Charisi p. 62. ed. Putsch. alteram formam *iureconsultus* praefert.

Qui afuisse ab istis studiis confitentur) Unus ante Graeuium Lambinus, *qui abfuisse se:* putauit scilicet, pronomen ab extrema uoce antecedentis syllabae fuisse absorptum. Nunc alio id loco Erf. exhibet, eique cum Graeuio paruit Lallemandus. Ceteri omnes libri carent eo pronomine, quod in cod. optumo suspectum facit forsitan usitata eius ellipsis, de qua dixi ad I. Act. in Uerr. 8. Garatonius. Cum Erf. etiam Bau. *qui se afuisse* etc. scribit. Nihilominus pronomen illut, quod saepissume ab interpretibus additum sit, recipiendum non duxi. Exempla pluruma omissi pronominis adlata sunt ab uiris illis doctis, quos Garatonius ad Act. I. in Uerr. 8. p. 117. conmemorauit, Uossio VII. A. G. 58., Gronouio et Drak. ad Liu. XL, 42., et Cortio ad Sallust. Catil. XXXI. n. 7. Iugurth. CVI. n. 6., quibus inprimis addendus est Ramshornius Gr. Lat. §. 168. p. 452 sqq. et Handius ad Wopkens. Lectt. Tull. L. I. C. II. p. 15.. Praeterea confer Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XLII..

Si pro fabro aut pro tectore) Non inpugno editiones [in quibus pro *tectore* extat *textore*]. Non frustra tamen Erf., *si pro fabro aut pro tectore.* Tectorum tam in Digestis fit mentio, quam in ueteribus inscriptionibus. Subicio hic quattuor ineditas ex penu Gudiano:

A. ANICIUS. FELIX
U. C. TECTOR. PRAETORIANOR
D. D.

Alia:

CERERI CONS
SERUATRIC
ORGANIANA. SACR
M. CLAUDIUS. M. L
ORGANIUS. SACER
DOS. BONAE. DEAE
ET SACERDOS. CORP
LUTORUM ET
TECTOR

Habes tertiam:

LAETITIAE SIGN
C. DOMITIUS. C. F. BASSUS. COH
III LEG. III ITALICAE PRAEFECT
MIL. ET. FABRORUM TECTOR.

Tectores autem dicebantur, qui tectorio loricabant parietes, ut olim Cuiacius docuit X. Obseruat. c. 9.. Quis eorum usus fuerit in castris, ut constat ex inscriptionibus, in legioni-

bus et cohortibus fuisse tectores, non satis liquet. Fortasse ad machinas bellicas tectorum opera sunt usi. Hinc coniunguntur cum fabris in inscriptione. GRAEUIUS. Oudendorpius ad Suet. de inlustr. Gramm. XXIII. legendum hic putat *tectore,* cum id ipse in cod. etiam Uossiano reppererit. Ernestus postea idem sentiens recepit *tectore,* quod uiri non emerint *textores,* omninoque *texere telas* fuerit opus magis muliebre. Neque dubito, quin recte fecerit, tum lectionis tum codicis Erf. praestantia permotus. Conmutantur autem uerba ista non raro, ut patet ex doctorum adnotationibus ad Ouid. XIV. Metam. 551. et Drak. ad Liu. XXXV, 24. In celebri quoque lapide Antiate aput Murat. CCCV. uideas AGATHOPUS. TEC. explicari *tector;* set pro uolgata lapides haut secus adferri possunt. *Textor* est aput Grut. DCLI. 4. *textrix* aput Reines. XI. 77.. In Uitruuio, quem citat Oudendorpius, recte Msi et princeps editio Sulpiti VII, 3. exhibent, *Graecorum tectores;* at VII, 14., quamuis in eadem ed. et in Uen. MCDXCVII. sit, quod Iocundus retinuit, *tectores quom uolunt sit Atticum imitari,* tamen sensus postulat, ut cum Philandro legamus *tinctores,* quod praetulit etiam Cl. Galianus. Aput Frontin. de Aquaed. art. CXVII. p. 202. ed. Poleni *tectores* nominantur inter opifices aquaeductuum; qui locus erat Cuiacio peropportunus. Brodaeus X. Miscell. 4. legum capita conlegit, quibus agitur de tectoribus. De *tectoribus* agit etiam de Uita Inscript. Beneuent. p. XXXVI.. GARATONIUS. Graeuium h. l. non quattuor, set tribus tantum inscriptionibus ineditis usum esse Gudianis, ac primam quidem nunc legi ap. Gud. 149, 5., secundam 17, 2., tertiam 163, 4., quartam, quam praetermiserit, 163, 8., notauit iam Hesselius in Indd. Gud.; set ut adulescentes doceam, quam caute uersandum sit omnino in Inscriptionibus uett. ad partes uocandis, paulo fusius de iis omnibus disseram. Prima statim (Gud. 149, 5.) est e Ligori fabrica, ideoque nullius plane fidei uel auctoritatis; immo *Tectorem Praetorianorum,* quod in se quidem spectatum probum est, fraudulentus ille circulator surripuisse uidetur ex titulo postea a Grutero 317, 7. edito, ubi pro: *Lictori Praetorianor.* lapis ipse longe utique melius habere dicitur: Tectori Praetorianor.. Fraus uero Ligori manifesto sese prodit ipsa illa nota *U. C.;* quomodo enim, et quo tandem saeculo tector uel ipsorum praetoriauorum, *Uir clarissimus?* Altera 17, 2. rursus est Ligoriana, pariter suppositicia: nam is incredibilem deorum dearumque turbam pro lubitu cotidie creabat, singulis epitheta a nominibus gentium uel familiarum deducta adfingens ad exemplum sane germanarum aliquot inscriptionum, quemadmodum u. c. certissumus est *Iupiter opr. max. Purpurio* ap. Odoric. p. 183, 5., *Siluanus Staianus* aput Mur. 71, 1. cet.. Uanam igitur in eodem titulo emendando operam insumpsit Saxius, Peric. animadu. p. 53. loco *tectorum* proponens *tinctorum.* Tertia Gud. 163, 4. itidem est Ligoriana, cuius fraus harum rerum gnaro e primis statim uerbis elucet: *Laetitiae signum:* talia enim in Inscriptionibus inaudita, e nummis in illas transferebat homo uersutissumus. Quid, quod Gudius pro *Tector.* habet *Rector.,* cui quidem, obseruante Hesselio, Graeuius in Basili Fabri Thesauro u. *Tector* substituit id ipsum: *Tector;* frustra, ni fallor: Ligorium enim plane decebat *Praefectus militum et fabrorum rector.* Requireretur enim potius: *Praefectus militum, fabrorum, tectorum,* uel: *militum fabrorum et tectorum,* si quidem absurdum est *militum, et fabrorum, tectorum.* Quartae denique a Graeuio praetermissae, Gud. 163, 8., *M. Egestius. M. Fil. Gal. Faustinus Tector. U. Leg. Ulp.,* nihil certe aliut opponi potest, nisi quod mirum illut *Egestii,* ab *egestate* procul dubio deriuatum, ut *Egerii* Liuiani, a uerbo *egere,* nomen prae se fert, neque aput Grut., neque aput Murat. obuiom; quod quintam legionem Ulpiam nominat, quom alias trigesima est Ulpia; quod denique una cum reliquis debetur Ligo-

rio. Explosos igitur uides tectores hos Ligorianos, uel si mauis Graeuianos omnis. Inconcussi uero manent Ciceronianus noster, Beneuentanus Gruteri 642, 10., Romanus eiusdem 517, 7., Antias Muratori 505. Tab. C.. Tectoribus uero istis militaribus antiquos usos fuisse ad machinas bellicas nemo credet Graeuio; quomodo enim, aut quem ad finem istae opere tectorio fuerint loricatae? Longe scitius Hagenbuchius ad Gorium Etr. I, 154, 80. haec notauit: „*structor parietarius* fortasse idem, qui aliis in saxis iisque militaribus *tector* dicitur. Lecta Gori nota subiit *tectorum* in castris usum fuisse fortasse ad lithostrata, seu pauimenta tessellata praetoriorum construenda. Klotae in agro Turicensi repertum est pauimentum nunc in bibliotheca nostra ciuica adseruatum cum lateribus coctis Legiones XI. et XXI. referentibus.“ Ceterum uides ex istis tectoribus militaribus unum duntaxat remanere nobis Gruterianum 517, 7. *Tectorem Praetorianor.,* cuius opera in castris praetoriis quaenam fuerit, nullius indiget expositionis. Notandum praeterea aduersus Hagenbuchium, non eundem omnino esse *structorem* ac *tectorem.* ORELLIUS.

Nesciuerit) Uidendum, num forte, quod ex uarietate scripturae codd. conligi potest, forma breuiori Cicero *nescirit* scripserit. Sic codd. auctoritate pro Sulla C. XIII. §. 39. *quom is, qui de omnibus s c i e r i t, de Sulla se scire negarit.* pro *scierit* scribendum *scirit* puto. Forma *scisse* utitur Cicero de Or. I, 13, 58. De *sirim* uide quae monui ad C. XXXV. §. 87..

Quem uilicum inponeremus) Rarus hic uerbi *inponendi* usus, ex quo nomen eius, cui quid inponitur, omittitur, significatque *praeficere,* nobis *anstellen.* Unus praeter hunc locum succurrit, in quo eodem hoc sensu usurpatumst, Sallust. Iugurth. C. C. *Simul consul, quasi nullo inposito, omnia prouidere.*

Rei publicae uilicos) Sic Iuuenalis Sat. IV, 77. praefectum urbis uocat urbis uilicum: *Pegasus attonitae positus modo uilicus Urbi.* GRAEUIUS. Uide Salmas. ad Lamprid. Alex. c. 15.. Quod autem in U. L. monemur a Graeuio, semper *uilicum* unico *l* in primo Franci perscribi, probant eam scripturam Dausq. et Fabrett., quos citat Oudendorp. ad Suet. Claud. XXXVIII., quam in lapidibus quamplurumis uidemus extare. His accedunt optumi et uetustissumi codices; ueluti Merceriani in loco Uarronis aput Non. u. *Lautum,* Camerarianus Plauti aput Pareum in Not. Crit. ad Casin. II, 7, 4. II, 8, 24. etc., Florentinus Pandectarum, de quo Brisson. Parerg. §. 45.. Ita etiam aliquot Suetoni codd. l. c., quibus adde Barberinum emendatissumum n. 855., item codex Cassinas Frontini de Aquaed. n. CV. p. 189. Pol., denique Barb. Iuuenalis III, 195., qui est n. 1466., eiusdemque duo alii Barber. 2175. 2178., alio loco IV, 77.. Set recte arbitror Mattium I. Opin. 14. antiquorum consuetudini liquidas non geminantium hoc tribuisse. Lapis quidem Grut. DCXL. 10. liquidam in hac uoce geminans, est idem, qui ea non geminata ex schedis F. Iocundi profertur a Murat. CMLI. 8.. Set non desunt eius geminationis in lapidibus ipsis exempla, ueluti aput Grut. DCII. 3. 4., Murat. CMXLIV. 6. CMLXXVII. 8., Maffeium in Mus. Ueron. CCCXLIX. 4. CCCLI. 8., Pratillum de uia Appia p. 74.. Geminant etiam Horati codices I. Ep. 14. cum optumo Barberino 1469.. GARATONIUS. Cum libris quibusque optumis *uilicum* scribit Bauaricus. Quod Fabrettum cum Dausquio coniunxi, ut feceram Oudendorpius, et consentientis putaui, id contra esse cognoui, quom postea egregium Fabretti de Aquaeductibus librum euoluerem. Is enim p. 98. *uillicum* de Uarronis sententia probat, Dausquius *uilicum.* Set si Mattium legisset, quem laudaui, disputandum hac de re non esse intellexisset. Aput ipsum Uarronem I. de R. R. 2, 14. *Uilicus agri colendi caussa constitutus atque appellatus a uilla.* Nimirum antiquitus, quom liquidae

non geminabantur, etiam *uila* dicebatur. Ac si est a *uehendo,* ut ille contendit, *uehela, uehila* est, deinde per contractionem, ut ex *Ahala* factum *Ala,* ita ex *uehela* uel *uehila* rustice *uela,* urbane *uila.* Idem. Quemadmodum Romani *mille,* uerum *milia* dixerunt, ita *uillam* etiam, uerum *uilicum* dictum esse, in libro, quem de orthographia latina conscriptum mox editurus sum, demonstraui.

Quodsi praeterea nemo dignus) Cfr. Proleg. L. II. C. I. §. 12. p. XLIX..

CAP. XXVI.

§. 63. *Iubes Plancium de uitiis Laterensis dicere; nihil potest, nisi 'eum nimis in se iracundum putabis fuisse*) Cum mihi semper hic locus, qui sic in libris uolgatis legitur, *nisi eum nimis iracundum in se putabis fuisse,* suspectus fuisset, in libris uet. autem sic fere scriptum repperissem: *nisi nimis eum aucarundum;* et in nonnullis, *incarendum putabis fuisse:* ego *anquirendum,* siue quis malit *inquirendum,* edendum curaui. Sententia autem plana est. Ne hoc quidem lectorem celabo, mihi, antequam in libros ueteres incidissem, uisum esse legi posse, *nisi eum nimis ad inuestigandum curiosum putabis fuisse.* Lambinus. Pal. sec. *putabit;* quod melius forsan uolgato; ceteri nihil uariant, adeo ut satis mirari nequeam ea, quae ex suis promit Lambinus, qui tamen nihil hariolationibus suis proficit. Guilielmius locum constitui posse putabat deleto illo *putabis.* Gruterus. Uerbum *putabis,* aut *putabit,* ut habent quidam codices, recte delebat Gulielmius. Lallemandus. Sic uidetur: nam *putabis* absurdum est; *putabit,* quod P. Manutius iam pridem maluerat, haut satis rectum. Cel. Ernestus non adtendit, *in se* praecessisse. Garatonius. *Putabis* aut inrepsit temere, ut uisum Guilielmio: nam commode afuerit, nemine sentiente; aut emolliendi caussa addidit, ut iudicium Cassio permittere uideretur; quod satis placet: nisi putabis, hoc dicere posse Plancium, eum nimis iracundum in se fuisse. Itaque seruaui. Ernestius. Nullo pacto nec *putabis* nec *putabit* a Cicerone scriptum existumari potest. Nam Ernestius, qui *putabis* tuitus est, non uidit, si ad uocem *putabis* suppleantur uerba *dicere posse,* necessario pronomen *eum* referendum ad Plancium esse, ideoque mancam esse orationem non addito pronomine, quo Laterensis significetur. Deinde uero ne licet quidem ullo modo uerba *dicere posse* hoc loco supplere, cum uerba *nihil potest nisi* numquam alio sensu reperiantur dicta, quam hoc: *hoc unum potest.* Ex qua re manifesto intellegitur, neque *putabis* neque *putabit* e Ciceronis ore uenire potuisse, set scribere eum debuisse: *nihil potest nisi eum nimis in se iracundum fuisse,* id est, hoc unum potest dicere, eum nimis in se iracundum fuisse. Nam illam sententiam, quam Ernestius huic loco subesse censuit, si Cicero enuntiare uoluisset, primum *non potest,* neque uero *nihil potest* scripsisset, deinde uero, quae est omnium Romanorum consuetudo, ita perrexisset: *nisi forte existumas, eum hoc dicere posse, Laterensem* etc.. Quamquam hac sententia non est probabile eum duo illa tantum uerba *non potest* positurum fuisse. Denique utraque scriptura, et *putabis* et *putabit,* hoc etiam incommodo laborat, quod, etiamsi sententiae additio uerbi *putare* conueniret, futurum tamen tempus plane alienumst. Ualet hoc cum maxume de scriptura *putabit,* quae praeterea in iis tantum codicibus repertast, quorum nulla omnino auctoritas est. His de caussis nihil equidem certius duco, quam *putabis* ab interprete additum esse. Idem uerbum a librariis quibusdam additum etiam in or. pro Sulla C. I. §. 2., qui locus in edit. Ern. aliisque nunc ita scriptus extat: *Set ut ille, iudices, quantum de mea auctoritate deripuisset, tantum se de huius praesidiis deminuturum p u t a u i t: sic hoc ego*

sentio, si mei facti rationem uobis, constantiamque huius offici ac defensionis probauero, caussam quoque me P. Sullae probaturum. Quamquam hoc quidem in loco pauci tantum codices *putauit* additum habent, aliis *sperat,* aliis *sperauit,* aliis alia pro eo uerba addentibus. Quo certius est, nihil horum, nec *putauit,* nec *sperauit,* nec *existumat,* a Cicerone esse profectum, cuius manum genuinam unus seruauit codex Palatinus nonus, cuius uarietatem lectionis insignis Niebuhri, uiri summi, beneuolentia mecum communicauit. Is, quod Gruterum, qui codice illo egregio usus est, non adnotasse indignandumst, uerissume scribit: *Set ut ille uidit, quantum de mea auctoritate deripuisset, tantum se de huius praesidiis deminuturum: sic hoc ego sentio* etc.. —

Ceterum silentio transiri nequit, Ang. Maium interpretis Ambrosiani uerba, quae media sunt inter adnotationem, quae scripta ad C. XXIV. et Ciceronis uerba huius cap. §. 64. *Non uereor* etc., ad hunc ipsum locum pertinere putare. Uerba ipsa haec sunt: . . . partim malitiosis fraudibus deprehensum. Ideo tantum negauit ab se statim puniri, quod iratus esset. Quippe uir sapientia praeditus altiore non putauit iudicii futurum quidquid fecisset iratus.

Ad haec A. Maius adnotauit: „Quare aput Ciceronem Tusc. IV, 36. *Illut laudatur Archytae, qui quom uilico factus esset iratior, quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem?* Noster porro interpres uidetur aliquid lucis adspergere loco huius or. C. XXVI. subobscuro: *Iubes Plancium — putabis fuisse.*“ Ego uero uellem docuisset Maius diligentius, quae esset illa lux, quam huic loco interpretem Ambr. adspergere dicit. Immo conligi ex eius uerbis possit, excidisse hic plura Ciceronis uerba, quae ipsa ab interprete explanata sint. Nullus enim in tota hac oratione locus extat, ad quem talia, qualia interpres ille scripsit, adnotari potuerint. Etenim quod Cicero nimis in Plancium *iracundum* dicit Laterensem fuisse, istiusmodi explicationi occasionem praebere profecto non potuit. Uide notam proxumam.

Eum nimis in se iracundum fuisse) Nimis iracundum dicit Cicero Laterensem in Plancium fuisse, quod Plancium potissumum reum fecerit, cum maiori iure A. Ploti nomen deferre, uel certe eum una cum Plancio accussare debuerit. Cfr. C. VII. §. 17. *Hoc tamen miror, cur tu huic potissumum irascare, qui longissume a te afuit.* et C. XXII. §. 54. *Set tamen tu A. Plotium in idem crimen uocando indicas, eum te arripuisse, a quo non sis rogatus.*

Idem ecfers Laterensem laudibus) Pro *effers* in Bau. est *ut fers,* ex antiqua scriptura *ecfers,* ut alibi. Garatonius. Scilicet pro *ec* in uerbis conpositis et in pronomine *ecquis* saepissume a librariis *et* copula positast eaque non raro in *ut* deprauata. Hinc leni mutatione locus Uellei mihi uidetur corrigi posse, qui L. II. C. XXVII. §. 3. legitur, uirisque doctis multum iam negoti facessiuit. Is in codicibus ita scriptus extat: *Cuius abscisum caput ferri gestarique circa Praeneste Sulla iussit.* Legendumst *caput ecferri* etc.. Quod quam facile in uolgatam deprauari scripturam potuerit, in promptu iam uidere est.

Quid? alii quaestores non fecerunt?) Sic scripsi flagitante sententia uno adsentiente codice Lb. *Non fecerunt* est omiserunt facere. Ceteri libri pro *non* habent *nonne.* „*Nonne* uerum esse non potest, deberet enim addi *idem,* scribendumque est *non.* Et sic edidi.“ Ernestius. *Nonne* ortum ab iis est, qui interrogandi signum non post *quid,* set post *quaestores* positum uidebant. Atque prauos ille interductus etiamnunc multis in codicibus est. Saepe praeterea *nonne* pro *non* a librariis positum esse, docuit Garatonius ad I. Cat. C. XI. p. 413..

§. 64. *Non uereor, ne mihi aliquid, iudices, uidear adrogare, si de quaestura mea dixero*) Ut se Laterensis ostenderet aedilitate fuisse Plancio digniorem, commemorauerat se apud Praeneste ludos edidisse; Cyrenis etiam summa liberalitate in publicanos egisse; in socios fuisse denique iustissimum. Quae omnia iactantius ab illo dicta quam eleganter eleuet et abiciat M. Tullius, consideremus. Persuadere uult namque, omnia illa, quae foris gesserit, aput conscientiam populi R. latere potuisse. Ac ne acerbius animum laederet audientis, de quaestura sua egit non sine figura . . . .[1]); quod, cum Lilybaeo decedens Puteolos aduentasset, omnes eum ignorauerint primo ex prouincia, tunc deinde ex Sicilia, ad extremum ex Lilybaetana uenire. Quibus ipse uaria sciscitantibus nouissime cum permistione quadam stomachi responderit, se ad aquas potius in Campaniam uenisse, ut interrogationes ipsorum ab se respueret, quos moleste ferebat ignaros esse quaesturae, quam se meminerat magna cum laude gessisse. Proficit ad illam responsionem multa Romae ignorari, quae foris gesta sunt a senatoribus; ac propterea Laterensem frustra in illis, quae extra urbem gesserat, habuisse fiduciam. SCHOLIA AMBROSIANA. Male interpres initio huius notae Laterensi tribuit, quae Cassius dixerat. Cur uolgatum *adrogasse* in *adrogare* mutarim, Proleg. L. I. C. III. §. 2. exposui.

Quamuis enim illa floruerit) De quaestura sua gloriatur etiam Cicero II. in Uerr. V, 14, 35..

In maxumis inperiis) Praeturam significat et consulatum. Cfr. Ernestius in Clau. Cic. sub hac uoce.

Ut non ita mihi multum gloriae sit ex quaesturae laude repetendum) Sic in Bau. et Erf. hic locus scriptus extat, reliquis omnibus *gloriae* omittentibus. „Bau. uocabulo egregie hunc locum auget. Habet enim: *ut non ita mihi multum gloriae sit* etc.. Nam ex *laude* quaesturae *gloria* Ciceroni parta optume dicitur, atque adeo melius, non multum sibi *gloriae* ex ea *laude* repetendum uideri. III. Tusc. 2. *gloria est consentiens laus bonorum.* II. de Inu. 55. *gloria est frequens de aliquo fama cum laude.* Uide infra ad C. XXXVI.. Delectatur autem Cicero istiusmodi coniunctione laudis et gloriae. I. de Off. 32. *Quorum uero patres aut maiores aliqua gloria praestiterunt, ii student plerumque eodem in genere laudis excellere.* IV. in Catil. 10. *Erit profecto inter horum laudes aliquid loci nostrae gloriae.* pro Flacco c. 11. *in qua maxume florere generis sui gloriam uiderat, laudem patriae in libertatem uendicandae praetor adamauit.* pro Lig. c. 12. *Noli, obsecro, dubitare, C. Caesar, similem illi gloriae laudem quam saepissume quaerere.*" GARATONIUS. Eiusmodi locos sescentos si quis adderet, nihil inde firmamenti B et E scriptura acciperet. Nihilominus a Cicerone additum esse uerbum *gloriae* persuasissumumst mihi, et quidem propterea, quod eo omisso ad sententiae integritatem aliquid deest. Nam cum *repetere aliquid ex aliqua re* nihil aliut significet nisi, *rem aliquam fontem putare, ex quo aliquid ortum uel deducendum sit,* nobis *etwas von einer Sache herleiten,* mancam profecto sententiam esse intellegitur, si ad nomen *multum* non addatur id, cuius origo ex quaesturae laude deducenda sit. Iam cum manifestum sit, hoc dicere uelle Ciceronem, magnam gloriae partem, quam consecutus sit, sibi non ex quaestura

1) Spatiolum, quod in codice est, A. Maius expleuit uocabulo συγκρίσεως.

cum laude gesta, set ex praetura et consulatu se peperisse, in promptu est uidere, necessario uerbum *gloriae* post *multum* addi debuisse. Est autem, ut iam indicaui, *ex quaesturae laude* dictum pro *ex quaestura cum laude gesta.* Cfr. etiam Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XL sqq..

Municipibus liberalis) Sic in omnibus editionibus scribitur. Permirumst autem, neminem dum editorum, uitio adfectum hunc locum esse, animaduertisse. Nam qui tandem Cicero, quaestor cum esset in Sicilia, *municipibus liberalem* se fuisse dicere potest? Nihil certius, quam scriptum a Cicerone esse, *mancipibus liberalis.* Iam eodem modo, quo Laterensis §. 63. *liberalis in publicanos, iustus in socios* fuisse dictus est, Cicero hic *mancipibus liberalem, sociis abstinentem* se fuisse dicit. Cfr. etiam pro Scauro p. 11. ed. Mai. sec.: *si ille retentus a cuncta Asia supplice, si a negotiatoribus, si a publicanis, si ab omnibus sociis* etc.. Sunt autem mancipes, teste Pseudoasconio ad Cic. diuin. C. X. §. 33., *Publicanorum principes, Romani homines.* Cicero diu. C. X. §. 33. *Mancipes a ciuitatibus pro frumento pecuniam exegerunt.* et II. in Uerr. III, 74, 172. *praesertim quom ex isdem agris eiusdemque anni frumentum ex decumis Romam mancipes aduexissent.* Ceterum ipsam illam, quae sola uerast, scripturam codex praestantissumus Erfurtensis habet.

Honores in me inauditi) Uerba *in me,* quae familiae tertiae codices omittunt, neque salua sententia abesse uidentur posse ét facillumo amanuensis errore excidere potuerunt. Cfr. etiam Proleg. L. II. C. I. §. 8..

§. 65. *At ego cum casu diebus iis itineris faciendi caussa, decedens e prouincia, Puteolos forte uenissem, cum*) Notandum est, *casu* hic dici, et mox tamen, quasi dictum id non fuerit, synonymum *forte* superaddi, *Puteolos forte uenissem.* Similis est locus I. de Fin. 6. *Principio, inquam, in physicis, quibus maxime gloriatur, primum totus est alienus.* [hic locus nullo modo huc reuocandus est: nam *principio* est in prima parte philosophiae; *primum* respondet sequentibus, in quibus dicitur, quae mutaret Epicurus, deprauare uideri. Bakius.] Item alter IV. in Uerr. 39. *Qui ut primum in illut oppidum uenit, statim, tamquam* etc., *ita continuo* etc.. Atque unico in uersu Terentius Eun. II, 2, 15. *Olim isti fuit generi quondam quaestus aput saeclum prius.* Hinc patet, ab Ursino et Gronouiis frustra sollicitari Semproni Asellionis locum aput Gellium II, 13., quo coniunguntur *ἰσοδύναμα tum in eo tempore.* De hac Latinorum consuetudine consule quos laudaui ad III. in Catil. 9., ubi tamen quod ait Tullius, *sic a Lentulo ceterisque domesticis hostibus tam dementer tanta res credita* etc., ad illum est fortasse referendum particulae *sic* usum singularem, quem inlustrat Wopkensius Lect. Tull. III, 5.; quod primo non putabam, set suspicari postea coepi, quom animaduertissem, particulam *sic* in iis, quae temere casuque magis fiunt, quam certa ratione atque consilio, locum sibi optumum uendicare. Confer omnino cum Wopkensio celeb. Burmannum ad Uerg. I. Aen. 225.. Garatonius. Ceterum tenendumst, utrumque nomen, et *casu* et *forte,* referri ad uerba *diebus iis uenissem, cum* debere. Nam ut Puteolos ueniret, minume casu accidisse, set consulto esse factum, patet ex uerbis *itineris faciendi caussa,* quibus ipsis continetur caussa, cur, cum decederet e prouincia, locum illum, a uia remotum, uiserit.

Et num quidnam esset noui) Sic B et E scribunt pro uolgata scriptura, *et num quid in ea esset noui.* „Longe praefero uolgatae, qua offendor, codicum optumorum optumam lectionem. Ita II. de Orat. 3. *num quidnam, inquit, noui?* Ita XI. ad Diu. 27. et alibi." Garatonius.

Etiam mehercule, inquit, ut opinor, ex Africa) Particula *etiam* non corrigendi, quae Ernesti est in Claue Cic. sententia, set adfirmandi hic significatum habet. Non enim homo iste

dicta sua corrigere, set Ciceronis dictum augere et confirmare uoluisse statuendus est addendo nomine prouinciae, ubi fuerit. Est autem illa particulae *etiam* uis adfirmandi satis frequens. Sic Cicero Acad. IV, 32. *Sapiens probabilitatem sequens, ubicumque haec occurrit aut deficit, aut etiam aut non respondet.*

CAP. XXVII.

Hunc Syracusis quaestorem fuisse) Duo semper in Sicilia quaestores erant, Syracusis alter, alter Lilybaei. Cicero autem quaestor Lilybaei fuerat.

Et me unum ex iis feci, qui ad aquas uenissent) Aquae sunt Puteolanae, quas olim ualde frequentatas esse constat.

§. 66. *Set ea res, iudices, haut scio an plus mihi profuerit, quam si mihi tum essent omnes gratulati*) In extremo fine huius capitis aliquanto obscurius dixit: *Sed ea res, iudices, haut scio an pluris mihi fuerit, quam si mihi tum essent omnes gratulati.* Hoc ait, magis laetatus sum ignorasse multos, ex qua prouincia uenirem, *quam* si uenienti mihi gratularentur. Perstringere enim uoluit inuidiam praesidum, qui spoliatis prouinciis reuertantur, ac propterea eos amici sui cum gratulatione suscipiant, quod diuites euenerint. Scholia Ambrosiana. Singularis est Ambrosiani lectio: *haut scio an pluris mihi fuerit,* quom quidem a uolg. lectione Bau. non discedat. Scholiastes: *Hoc ait, magis laetatus sum — gratularentur.* Laetandum ei profecto non erat. Melius omniuo, *plus profuerit.* Nam *pluris esse* ad aestumationem potius pertinet, et aput se plus ualuisse significat. Q. Cicero de petitione cons. c. 3. *cum duobus hominibus ita nobilissumis petebat, ut tamen in iis omnia pluris essent, quam ipsa nobilitas.* Garatonius. Uehementer a loci sententia aberrauit interpres Ambrosianus. Ac primum quidem, siue *pluris mihi fuerit* siue *plus mihi profuerit* scribitur, nullo modo interpretatio eius, *magis laetatus sum,* uerbis Ciceronis conuenit. Deinde uero manifestumst, hoc Ciceronem dicere: Set quod ignaros cognoui homines Romanos eorum, quae quaestor egeram, sine dubio ad consequendam gloriam et gratiam populi R. utilius mihi fuit, quam si omnes tum mihi gratulati essent. Nam ex ea re intellexi, populum R. non adtendere ad ea, quae extra urbem gerantur, ideoque feci, ut in posterum cotidie praesentem me uideret meaque praesentis uirtute frueretur. Recte autem Garatonius, quem secutus Orellius est, Ambrosiani scripturam, *pluris mihi fuerit,* ceterorum codicum lectioni, *plus mihi profuerit,* postposuit. Nam *pluris esse*, ut *magni esse,* ubique significat aut *maioris fieri,* aut *plus aput aliquem ualere.* Cfr. Cic. ad Diu. VII, 10. et 11. XIII, 72. pro Q. Roscio C. XII. §. 33. de prou. cons. C. V. §. 12. et Proleg. L. I. C. III. §. 6..

Omnes gratulati) Sic ex A, B, et E rescripsi pro uolgata scriptura *omnes congratulati.* Uide Proleg. L. I. C. III. §. 2.. Notumst autem, saepissume a librariis uerbis quibusdam praepositiones praefixas esse. Id nostro loco factum esse, indicio etiam illut est, quod in codd. aliquot non malis nomen *omnes* deest; cessit enim, ut saepe factum, additae a librario quodam praepositioni. „Bau. pro *congratulati* habet *gratulati.* Ita pro Sext. 8. *mihi denique homines praecipue gratulabantur.* Anceps tamen hic lectiost, quia de multis agitur; quo fit, ut sola praestantissumi codicis auctoritate nitatur. At certe pro Marc. C. VI. Graeuium in eadem uarietate *gratulabere* praeferentem inmerito, qui errat ipse, reprehendit Heumannus. Id enim non ratio sola tuetur, uerum etiam editiones inde a Romana principe conplures et Lambini

Graeuique codices et duo Barberini, septemque Britannici, ille denique inprimis Mediceus optumus, ex quo mihi anno MDCCXCI. u. c. Antonius Sartius Canonicus Laurentianus oratiunculam illam summa diligentia descripsit." GARATONIUS.

Oculos acris atque acutos) Ita cur scripserim, expositum Proleg. L. II. C. I. §. 10. p. XLV..

Cui fuerit ne otium quidem umquam otiosum) Cfr. pro Caelio C. I. §. 1. *uos laboriosos existumet, quibus otiosis ne in conmuni quidem otio liceat esse.* de Re publica I, 17. *qui denique ut Africanum auom meum scribit Cato solitum esse dicere, possit idem de se praedicare, numquam se plus agere, quam nihil cum ageret, numquam minus solum esse, quam cum solus esset.* Ceterum sponte patet *otium* nunc dici illut tempus, quo quis publicis negotiis uacuus sit, *otiosum* autem tempus, quo nihil omnino agatur.

Clarorum uirorum atque magnorum) Erfurtensis pro *uirorum* habet *hominum.* „Sequor et hic Erfurtensem pro uolgato: *clarorum uirorum atque magnorum;* quod respuunt aures." GRAEUIUS. Ego tamen recentiores, qui ceterorum omnium codicum lectionem *uirorum* praetulerunt, non uitupero. Nisi etenim Cicero in uerbis alienis hoc sibi sumpserit, ut aurium caussa aliquid inmutaret, ab ipso Catone hanc certe diligentiam non requiro. Hoc ex Catone retinuit Cicero, ubi tertium non erat uerbum similiter desinens, IV. Tusc. 2., et in Bruto c. 19. *Utinam extarent illa carmina, quae multis saeculis ante suam aetatem in epulis esse cantitata a singulis conuiuis de clarorum uirorum laudibus, in originibus scriptum reliquit Cato.* Uideo, quid intersit; set quis miretur, Catonem dixisse, *clarorum uirorum atque magnorum,* qui nouerit, orationis structuram uenustam et gratam, *numeros* denique in Catone desiderari a Tullio in eodem Bruto c. 16., atque in summis eius laudibus hoc tamen potissumum excipi. Hinc Diomedes p. 468. monebat, *antiqua scriptura, quae dicitur confragosa, usum esse Catonem.* GARATONIUS.

Meaque priuata consilia publici quoque casus conprobauerunt, ut etiam summa res publica mihi domi fuerit gerenda et urbs in urbe seruanda) Respicit oppressam a se coniurationem Catilinariam. In qua notumst, multa eum priuatim cepisse et executum esse consilia, quae rei publicae salutaria admodum fuisse, ipsi illi, quos dicit, publici casus docuerunt.

§. 67. *Eadem igitur, Cassi, uia munita Laterensi — ascendi*) Nota gratificationem molestam et cum magnis amaritudinis aculeis interpositam. Dicens namque non aliter ad honores adipiscendos peruenturum esse Laterensem, quam Tullius ipse — — de — — subiunxit testificando, se non generis nobilitate sed uirtute ad omnis magistratus peruenisse; Laterensem hoc amplius adiumenti habiturum, quod nobili familia ortus in candidam ueniat. Sibi ergo adiudicauit non laenocinia generis sed praestantiam uirtutis; illi uero spem de maioribus dedit, quod suffragium scimus esse fortunae. SCHOLIA AMBROSIANA.

Idem uirtutis cursus ad gloriam) Ad uerba *uirtutis cursus* subintellegendum nomen Laterensis est.

Per me nixus) Cod. Barb. *nissus,* prior Uen. *uisus,* utrumque ex *nisus,* de qua scriptura uide ad V. in Uerr. 33. et pro Cluent. 57.. GARATONIUS. Scilicet scripturam *nisus* praeferebat Drak. ad Liu. IV, 19., ad Sil. II, 123. et extat u. c. aput Liu. II, 50., set aput Ciceronem l. l. meliores libri alteram seruant. ORELLIUS.

Numquam ex urbe is afuit) Cur *is* pronomen codicis Bauarici auctoritate adiecerim, Proleg. L. II. C. I. §. 5. p. XXXIII. exposui.

Sorte, lege, necessitate) *Sors* Ciceroni est administratio prouincialis siue praetoris siue quaestoris, pro Mur. 19. *in ipsa praetura nihilne existumas inter tuam et istius sortem interfuisse?* Uide et sequentia et quae ibi notamus. *Sorte* igitur afuit, cum fuit quaestor in prouincia, *lege* cum miles fuit scriptus, *necessitate* cum eius res familiaris in uectigalibus, quae pater conduxerat in prouinciis, eum cogebat aliquando domo proficisci. Graeuius. Ex tribus hisce adlatis absentiae caussis, qua ratione accidit, ut *necessitate* aliquando ab urbe Plancius abesset? Supra C. XI. et C. XXV. Plancius dicitur in Africam profectus cum A. Torquato et postea miles in Creta, tribunus autem militum in Macedonia et quaestor fuisse. Habuit igitur tris absentiae caussas: *sortem*, quom Macedoniam sortitus quaestoriam prouinciam ab urbe profectus est; *legem*, quom tribunus militum creatus a populo in eadem prouincia rei militari operam dedit; *necessitatem*, quom fuit in Africa miles A. Torquati, in Creta Q. Metelli, ea necessitate adductus, qua omnes cogebantur post sumptam uirilem togam decem stipendia facere. Ferratius.

Non ualuit rebus isdem, quibus fortasse nonnulli) Eloquentiam significari et iuris prudentiam, e §. 62. conligi potest. Uerbo autem *nonnulli* cum significet tecte Laterensem, cum acerbitate patet aduerbium *fortasse* additum esse.

Obseruandis amicis) Recentius excusi *obseruandis*, set contra antiquitus editos et Mss. nostros. Gruterus. Nostri quoque libri et editio prima, nec non uetustiores ante Uictorianam *seruandis* tuentur. Sententia tamen uidetur postulare *obseruandis*, quod post Uictorium omnes receperunt editiones. Nam quamuis in Cicerone et fortasse aliis amicis seruandis multum studi conlocarit Plancius, tamen ista res non multum faciebat ad id ostendendum, quod hic uolebat iudicibus esse testatum, nimirum Plancium perpetua praesentia et amicorum obseruantia ac liberalitate praeualuisse in comitiis. *Seruare* autem pro *obseruare* usurparunt quidem in certis loquendi generibus, ut *seruare de caelo, seruare domi, seruare uigilias*, set *seruare amicos* pro obseruare nemo ueterum dixit. Graeuius. *Obseruandis* scripsi pro *seruandis*. Nam *seruare amicos* h. l. alienum est. Si Plancius caussas egisset in foro, posset eo referri; set id non fecisse, e superioribus [§. 62.] patet. Ernestius. Etiam codd. mei cum uett. edd. habent *seruandis*. Tamen Oliu., Lallem., et Ern. optume retinent Naugerianum illut *obseruandis*. Sic aput Liuiom quoque II, 5. ex antiqua lectione ueraque *obseruatum* factum olim est *seruatum*. Denique illius codicis, qui saepe unus est incorruptus, lectio *adseruandis* quantum quaeso distat a Naugeriana? siquidem *adseruare* confunditur cum *obseruare*, ut ostendit Drak. ad Liu. XXVII, 19., quod etiam generatim constat de praepositionibus *ad* et *ob*, uerbisque inde conpositis. Eundem uide, et quos ille citat ad Liu. XXXVII, 27.. Ita C. XVI. huius or. *tribus — officiis ab hoc obseruatas* [uide ibi uarr. lectt.] et passim. Garatonius. De duplici codicum scriptura uide quae Proleg. L. II. C. I. §. 6. p. XXXIII. disputaui.

Fuit in oculis; petiuit ea usus ratione uitae, qua minuma inuidia noui homines plurumi eosdem honores consecuti) Garatoni ad hunc locum adnotationi locum dedi in Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XXXIV sq., ubi hoc quidem uere a me monitum ac demonstratum puto, falsissumam esse hanc librorum scripturam, *petiuit; ea est usus ratione* etc., propterea, quod ad ea, quibus Plancium Cicero fecisse docet, ut gratiam populi sibi conciliaret et Laterensi praeponeretur, nullo pacto hoc referri potuit, quod *petiuerit*, cum *petitionem* quidem communem

ei cum Laterense sciamus fuisse. In promptust enim uidere, ea hic tantum conmemorari posse, quae Plancius fecerit, Laterensis facere aut omiserit aut noluerit. Itaque nullus relinquitur dubitandi locus, quin, quod ipsis paene codicibus auctoribus Proleg. l. l. reponendum dixi, *petiuit ea usus ratione* etc. a Cicerone scriptum fuerit. Denique minume *tribunatus*, de quo cogitauit Garatonius, set *aedilitatis* significari petitionem, uere a me Proleg. declaratum esse certissumumst. Erraui autem in eo, quod nomen *uitae*, quod in B et E post *ratione* additum reperitur, spurium indicaui, quod Cicero non de uitae, set de petendae aedilitatis ratione, qua Plancius usus sit, hic loquatur. At quae uerba proxume praecedunt, *Set ut redeam ad Plancium — fuit in oculis,* iis manifestumst, quo uitae genere usus Plancius sit usque dum aedilitatem petiuerit, exponi. Neque uerborum, *ualuit adsiduitate, ualuit obseruandis amicis, ualuit liberalitate,* alius potest quam hic esse sensus: eo, quod semper Romae fuerat, amicos obseruarat, liberalis fuerat, eam sibi populi gratiam conciliarat, ut conpetitoribus aedilitatis praeponeretur. Ex quo hoc primum apparet, posse nomen *uitae* a Cicerone additum recte iudicari, hoc sensu: petiuit aedilitatem postquam ea usus erat ratione uitae, qua etc.. Debere autem eum sic scripsisse existumari, inde primum concludo, quod, si de petitae aedilitatis ratione loqui uoluisset, sine dubio omisso uerbo *usus* simpliciter *petiuit ea ratione* dixisset. Deinde etiam uerba, quae secuntur, *qua minuma inuidia noui homines plurumi eosdem honores consecuti,* in iisque maxume *minuma inuidia* flagitare mihi adeo uidentur, ut de uitae, non de petendi magistratus ratione agi hic credamus.

Plurumi eosdem honores consecuti) Cur *sunt,* quod uolgo post *consecuti,* ab Orellio autem post *plurumi* conlocatumst, eiecerim, expositum in Proleg. L. II. C. I. §. 16. est.

CAP. XXVIII.

§. 68. *Boni uiri et ciues*) Cfr. Cicero in Consol. p. 1163. ed. Ern. Uol. IV. P. II.: *Ita nec boni ciuis, nec boni uiri fungetur officio. Bonum enim uirum decet, de ceterorum commodis aeque laborare ac de suis; bonum uero ciuem, sua omnia posteriora habere, patriae commoda prima et maxuma ducere; a quibus neque dolore neque ulla omnino humana auelli perturbatione debemus.*

Meo nomine) Mea caussa, quod Plancius me, cum in exilio essem, ab inimicorum insidiis defendisset.

Utrum igitur me conturbare oportet) *Conturbare,* subaudi *rationes,* est decoquere, non posse soluere quod debes, foro cedere. Martialis IX, 4.: *Grandis in aetherio licet auctio fiat Olympo, Coganturque dei uendere quicquid habent: Conturbabit Atlas, et non erit uncia tota, Decidat tecum qua pater ipse deum.* GRAEUIUS. Adde, quos Garatonius conferri iubet, Turneb. IV. Aduers. 15., Ern. Clau. Ciceron., et Pareum in Lex. Crit. h. uoce.

Cum cuiusque dies uenerit) Cum uenerit dies solutionis, quo cuique soluendum est, quod debetur. Phaedrus I, 16.: *Ubi uos requiram, cum dies aduenerit.* Uide D. de uerb. signif. l. 213. §. *cedere diem.* GRAEUIUS.

Utrum igitur me conturbare oportet, an ceteris, cum cuiusque dies uenerit, hoc nomen, quod urget, nunc, cum petitur, dissoluere?) Sic hic locus in omnibus editionibus scriptus extat; neque quisquam editorum de sensu uerborum, *an ceteris — dissoluere,* uerbo monuit, quamquam prae ceteris explicatione egebant. Wolffius, qui in uernaculum sermonem hanc orationem transtulit, ita haec interpretatus est: *muss ich denn die Zahlungen einstellen, oder den*

übrigen, wenn der Termin für jeden gekommen, die Schuld, welche dringend ist, jetzt grade, wenn sie gefordert wird, bezahlen? Quae interpretatio neque uerbis, quae in editionibus omnibus sunt scripta, neque loci sententiae conuenit. Nam quod nonnulli faciunt, ut omittant, quae non intellegunt, id sibi Wolffius indulsit, pronomen *hoc* ante *nomen* positum in interpretatione non reddens. Set missam faciamus interpretationem istam, atque uerba, quae scripta nunc in editt. leguntur, quem sensum praebeant, isque quam alienus a loci sententia sit, uideamus; quo facto quid uiti hic locus contraxerit, sponte apparebit. Cum manifestum sit, uerba, *utrum me conturbare oportet,* in hunc esse sensum dicta, *utrum nemini id, quod debeo, me soluere oportet,* mancam primum patet interrogationis alterius, quae uerbis illis opponitur, sententiam esse, si nihil aliut nisi hoc, *an ceteris debitum suo tempore reddere,* contineat. Nihil est enim, quod uerbo *ceteris* oppositum cogitari possit. Deinde cum uerba, *cum cuiusque dies uenerit,* ad tempus futurum, illa uero, quae statim secuntur, *nunc, cum petitur,* ad praesens tempus spectent, fieri profecto nulla ratione potest, ut utrumque membrum cum uerbis *ceteris dissoluere* coniungatur. Quibus de caussis dubitari nequit, quin pronomen *hoc* in datiuom *huic* mutandum sit; quo facto et *ceteris* est quod respondeat, nec uerba *nunc cum petitur* amplius cum iis, quae antecedunt, *cum cuiusque dies uenerit,* pugnant. Iam uides eam existere sententiam, quae necessario requiritur: *Si multis debeo in iisque Plancio, utrum nemini me oportet debitum reddere, an ceteris tum, cum cuiusque dies solutionis uenerit, Plancio nunc, cum maxume petitur, nomen dissoluere?* Atque hanc huius loci sententiam esse, sensit iam librarius uel interpres quidam, qui post *uenerit* addidit *satis facere,* quod in La et ψ scriptum reperitur. Uerba *quod urget* bene reddidit Wolffius.

Quamquam dissimilis est pecuniae debitio et gratiae) . . . . . . qui adgreditur quae proficient et ad coniecturae statum et ad illum compensatiuum. Nam . . . ualebit gratia Ciceronis ipsius et eorum qui propter illum Plancio fuerint adiumento ad impetrandam aedilitatem. Nec non etiam per hoc . . . id est compensatio exhibebitur, ut iudices reo maxime prodesse patiantur ad impunitatem praesentis huiusce discriminis ea beneficia, quae Ciceroni praebuerit exolanti, ut haberet in integro ciuem patria quem reposceret. Uerbum hoc quoque non incuriose aduotemus, quod debitionem pecuniae [1]) dixit. Scholia Ambrosiana.

Nam qui pecuniam dissoluit, statim non habet id, quod reddidit, qui autem debet, aes retinet alienum) *Antonius Iulianus rhetor super eo enthymemate, quod est in oratione M. Tulli, qua pro Cn. Plancio dixit, ita existumauit. Set uerba prius, de quibus ab eo iudicium factum est, ipsa ponam: Quamquam dissimilis est pecuniae debitio et gratiae: nam qui pecuniam dissoluit, statim non habet id, quod reddidit, qui autem debet, aes retinet alienum; gratiam autem et qui refert, habet, et qui habet, in eo ipso quod habet refert. Neque ego nunc Plancio desinam*

---

1) Confer Cic. de Offic. II, 20. et post red. ad Quir. c. 10.. Ceterum Ambrosiano interpreti noua non uidetur, quod reprehendebat Garatonius, set notanda uox *debitio.* Quod autem aput Gellium I, 4. de ea subtiliter disseritur, id fauet iudicio interpretis Ambr., qui eandem obseruatione dignam pronuntiauit. A. Maius.

debere, si hoc soluero; nec minus ei redderem uoluntate ipsa, si hoc molestiae non accidisset. Crispum sane, inquit, agmen orationis rotundumque, ac modulo ipso numerorum uenustum, set quod cum uenia legendum sit uerbi paulum ideo inmutati, ut sententiae fides salua esset. Namque debitio gratiae et pecuniae conlata uerbum utrobique seruare posset. Ita enim recte opposita inter sese gratiae pecuniaeque debitio uidebitur, si et pecunia quidem deberi dicatur et gratia, set quid eueniat in pecunia debita solutaue, quid contra in gratia debita redditaue, debitionis uerbo utrimque seruato disseratur. Cicero autem, inquit, quom gratiae pecuniaeque debitionem dissimilem esse dixisset, eiusque sententiae rationem redderet, uerbum debet in pecunia ponit; in gratia subicit habet pro debet: ita enim dicit, Gratiam autem et qui refert, habet, et qui habet, in eo ipso quod habet, refert. Set id uerbum cum proposita conparatione non satis conuenit: debitio enim gratiae, non habitio cum pecunia confertur; atque ideo consequens quidem fuerat sic dicere: et qui debet, in eo ipso quod debet, refert. quod absurdum et nimis coactum foret, si nondum redditam gratiam eo ipso redditam diceret, quia debetur. Inmutauit ergo, inquit, et subdidit uerbum ei uerbo, quod omiserat, finitumum, ut uideretur et sensum debitionis conlatae non reliquisse et concinnitatem sententiae retinuisse. Ad hunc modum Iulianus enodabat diiudicabatque ueterum scriptorum sententias, quas aput eum adulescentes lectitabant. A. Gellius N. A. I, 4. Legendum est, *qui autem habet,* non, *qui autem debet,* quidquid aput A. Gellium lib. I. cap. 4. argutetur Antonius rhetor. Ostendit enim Cicero, eo dissimilem esse pecuniae debitionem debitioni gratiae, quod qui pecuniam debitam dissoluit, statim non debet quod dissoluit; qui autem habet, retinet aes alienum; in gratiae debitione aliter est. Nam et qui gratiam debitam refert, habet, et qui habet, refert. Tota huius acute dicti uis est in uerbo *habere,* uel potius in his duobus, *habere gratiam* et *referre gratiam.* Quae hac re inter se differunt, quod habemus gratiam animo, referimus autem facto. Et tamen qui habet gratiam, quom amplius non potest, aeque laudandus est, ac si rettulisset: et desiit iam habere: et qui rettulit, habet. Quod in pecunia secus est. Nam pecuniae debitor, qui pecuniam habet, non reddidit et debitor manet; qui reddidit, non habet; hoc est, pecuniam habere desiit. Haec est huius loci sententia, quam non uidit siue Antonius, siue Gellius, usi codice aliquo uitioso, in quo scriptum erat *debet* pro *habet.* Admonendus autem est lector, hoc praeterea uarietatis fuisse in codice Gelli, quod in eo legebatur, *aes retinet alienum,* pro *is retinet alienum;* quarum lectionum utraque probabilis est. Lambinus. Nimirum emendationem non necessariam nimis confidenter ac temere Lambinus proposuit. Saltem dixisset, uideri sibi hoc loco legendum, *qui autem habet;* in hac ipsa sententia similiter Ciceronem II. de Off. 20.: *pecuniam qui habeat, non reddidisse, qui reddiderit, non habere;* atque illum locum, qui huic maxume similis est, coniecturam suam magnopere confirmare. Ferrem sic disputantem Lambinum, quamuis iniquom sit, orationis uariandae ac synonymis utendi facultatem Tullio praecidere. Set quis ferat consensum omnium Msorum h. l. *debet* exhibentium ita contemnentem, ut quod eos mirifice tuetur, atque communit, haut aliter Gelli tempore lectum fuisse, id ipsum perinde habeat, ac si Gelliano tantum in codice uitium, ut putat, illut fuerit deprehensum? Quid tandem absurdi est in uerbo *debet?* Nihil hercle magis, quam in altero *retinet*, quod usurpatur c. 9. post red. ad Quir. [*Atque in officio persoluendo dissimilis est ratio pecuniae debitae; propterea quod pecuniam qui retinet, non dissoluit, qui reddidit, non habet; gratiam et qui rettulit habet, et qui habet, dissoluit.*] siue a Tullio ipso, siue ab alio, qui sen-

tentiam eandem, quae hic est, adiecerit, immo ex his ipsis uerbis egregie conformauerit: *pecuniam qui retinet, non dissoluit, qui reddidit, non habet.* Neque enim necessest, ut, quemadmodum in gratia, ita etiam in pecunia, idem ubique uerbum adhibeatur. Haec prima pars enthymematis nullo constat uerborum lusu, et quibuscumque uerbis eandem illius sententiam exprimas, recte fiat. Uox autem *aes* erat iam pridem in utraque Ueneta, meritoque Naugerianae lectioni praefertur, quam cod. Barb. et meus habent, cuius fons est inde repetendus, quod frequentissume scribebatur *es* absque diphthongo, quemadmodum scriptum ipse uidi in ed. Rom. h. l. et in duobus Gelli codd. Barber. num. 1235. 2136. hoc ipsum Tulli uerbum, quod in optumo Gelli codice regio itidem deprauatum erat, ut in plerisque Tullianis. GARATONIUS. Neque Iulianus rhetor neque Lambinus in explicando hoc loco recte uersati sunt. Maxume tamen errauit Lambinus, quod pro *qui autem debet* legendum *qui autem habet* putauit. Certissumumst enim, siue *debet* siue *habet* legatur, debere his uerbis, id quod nec ipsum Lambinum fugit, hoc dici: *qui autem habet pecuniam alteri debitam.* Postulant id uerba *aes retinet alienum,* quae non possunt dici de eo, qui simpliciter *pecuniam habere,* set qui *pecuniam alteri debitam hàbere* dictus est. Iam si in antecedentibus non simplex nomen *pecuniae,* set uerba *pecunia alteri debita* posita fuissent, ita ut lector coactus esset haec ipsa uerba ad ea, quae secuntur, supplere, tum quodammodo Cicero *qui autem habet* scribere potuisset. Nunc autem cum solius *pecuniae* nomen in iis, quae praecedunt, positum sit, debebat id, quod ipse Lambinus dicendum fuisse intellexit, iis uerbis, quae Cicero posuit, necessario dici, scribique: *qui autem debet* i. e. qui pecuniam alteri debitam habet. Inductus ceterum in errorem Lambinus uidetur eo, quod sensum locutionis *pecuniam dissoluere* non norat eamque a locutione *pecuniam soluere* non differre censebat. Quo facto sane iam hic *pecuniae* nomen praegnanter dictum pro *pecunia alteri debita* existumandum esset. Uerum uerbum *dissoluendi* sic constat usurpari, ut debitum soluere significet. Exempla uide ap. Schutzium in Ind. Lat. Cic. sub hac uoce n. 7. p. 140.. Ceterum facile intellectust, uerba *statim non habet id, quod reddidit* in hunc esse sensum dicta: eo temporis momento, quo dissoluit pecuniam, desinit habere id, quod reddidit; et uerborum *qui autem debet, aes retinet alienum* hanc esse sententiam: qui debet, facit, ut is, cui pecuniam debet, careat ea re, quae est ipsius. Quod secus significat esse in eo, qui gratiam habeat: eum enim, etiamsi non referat gratiam, tamen non facere, ut is, a quo beneficio adfectus sit, ulla re, quae ipsius sit, careat.

Uenio nunc ad Iulianum rhetorem, qui quamquam recte locutum Ciceronem esse non negauit, tamen nec hoc uere dixit, potuisse in conlata debitione pecuniae et gratiae utrobique uerbum *debere* seruari, nec illut postremo perspicue explicauit, cur uerbum *debet* in pecunia ponere, in gratia autem *habet* subicere debuerit. Cum dubitari non possit, quin *debere* ex *dehibere* contractum eodem modo sit, quo *praebere* ex *praehibere* et *diribere* ex *dishibere,* facile patet, *pecuniam debere* proprie nihil aliut esse nisi *habere de altero pecuniam* i. e. habere pecuniam, quae est alterius. Ex quo intellegitur, *gratiam habere* et *pecuniam debere* examussim sibi respondere, tantumque eo differre, quod quae notio in locutione *pecuniam debere* uerbo *debere* inhaeret, ea in locutione *gratiam habere* substantiuo *gratiae* continetur. Nam in quo *gratia* esse dicitur, is necessest ab altero acceperit beneficium ideoque habeat aliquid, quod alteri debeat. Optumeque secum congruere has locutiones maxume tum in oculos incurrit, cum notionem, qua *debere* differt ab *habere,* in locutione *pecuniam debere* uerbo *debere* dempseris, demptamque posito uerbo *habere* adiectiuo alicui adtribueris, idque sic coniunxeris

cum substantiuo *pecuniae*, ut unius uerbi instar sint idemque ambo significent, quod simplex *gratiae* uerbum denotat, scripserisque: *pecuniamalteridebitam habere* et *gratiam habere.* Illut si possis explicare, *in manibus habere quod est alterius*, hoc non inepte *in animo* siue *in memoria habere quod est alterius* explices. Iam liquebit omnibus, tantum abesse, ut Cicero non optume *debere pecuniam* et *habere gratiam* inter se opposuisse existumandus sit, ita ut coniunctam uerborum *debere pecuniam* notionem opponeret coniunctae uerborum *habere gratiam* notioni, ut, si *gratiam debere* scripsisset, concinnitatem sententiae adeo sublaturus inepteque locuturus fuisse intellegatur. Nam cum ex iis, quae de origine uerbi *debere* monuimus, eluceat, *debere aliquid* non addito nomine eius, cui quis aliquid debeat, eum tantum dici posse, qui aliquid, quod sit alterius, habeat, ueluti pecuniam: simpliciter *gratiam debere* ne potuisse quidem dici in promptust uidere. Atque si datiuos aut adiectus esset aut certe cogitando supplendus, denotaret hoc necessario: *debere in aliquem grato animo esse,* nobis: *die Verpflichtung jemandem dankbar zu seyn haben.* Quo sensu Cicero Phil. II, 11, 27. dixit: *Quo etiam maiorem ei res publica gratiam debet, qui libertatem populi Romani unius amicitiae praeposuit.* Uerum hanc quoque sententiam minume huic loco aptam esse, non opus est ut uerbo demonstrem. Iulianus autem ut non intellegeret quae exposui, inde arbitror factum esse, quod non uidit, uerba, *dissimilis est pecuniae debitio et gratiae,* sic esse a M. Tullio dicta, ut ad nomen *gratiae* non totam *debitionis* notionem, set simplicem *habitionis* referri uellet. — Postremo recte Lambinum et Garatonium scripturam *aes retinet* praetulisse alteri *is retinet,* ex eo apparet, quod, si hic Cicero pronomen illut posuisset, non potest quicquam dubitari, quin in membris etiam oppositis adiecturus fuerit. Quam igitur inutile molestumque *is* pronomen est, tam aptum *aes* nomen est.

Gratiam autem et qui refert habet, et qui habet, in eo ipso, quod habet, refert) Locus etsi generalis de animi religione, qui debitam pro beneficio gratiam referat, tamen causae praesenti plurimum patrocinabitur ad fauorem copiosius ratiocinanti M. Tullio. Nec non etiam iuxta praecepta sapientium, qui animos ingratorum non parum cuidam crimini obnoxios arbitrantur, quando et parentibus et amicis et protectoribus salutis nostrae hoc testimonium debeamus, *ut* nos in quantum potest gratos adprobare uelimus. De officiis idem libro I. [c. 15.] sic ait: „Quod si ea quae utenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus, quidnam beneficio prouocati facere debemus?“ Accedit hoc etiam, quod genus maximi criminis aput Persas fuisse traditur, si qui extitisset ingratus, meminitque rei Xenophon *Κύρου Παιδείας*[1]) libro primo [c. 2.] secundum haec uerba conscribens: *δικάζουσι δὲ καὶ ἐγκλήματος, οὗ ἕνεκα ἄνθρωποι μισοῦσι μὲν ἀλλήλους μάλιστα, δικάζονται δὲ ἥκιστα, ἀχαριστίας· καὶ ὃν ἂν γνῶσι δυνάμενον μὲν χάριν ἀποδιδόναι, μὴ ἀποδιδόντα δὲ κολάζουσι καὶ τοῦτον ἰσχυρῶς· οἴονται γὰρ τοὺς ἀχαρίστους καὶ περὶ θεοὺς ἂν μάλιστα ἀμελῶς ἔχειν καὶ περὶ γονέας καὶ πατρίδα καὶ φίλους.* SCHOLIA AMBROSIANA.

Hoc molestiae) Eius accussatio, in qua gratiam reddo non sola uoluntate, set ipsa etiam re. MANUTIUS.

---

1) Tam haec quam sequentia uerba graeca absunt a codice, relicto uacuo spatio. A. MAIUS.

§. 69. *Quibus nihil potest esse iucundius*) *Mihi*, quod codd. nonnulli inter haec uerba addunt, propter uarium, quem occupat, locum omittere debui.

Quam pro Plancio facio) Uidetur legendum, *quam 'quod pro Plancio facio.* LAMBINUS. Habent id ipsum B, E, et Lc, receperuntque merito Graeuius, Lallemandus, et suadente Garatonio Orellius. Cfr. Proleg. L. II. C. I. §. 16. p. LV..

Meminerim — recorder) Adtendendum ad discrimen horum uerborum est, de quo bene exposuit Ludouicus Doederlein, huius loci non inmemor, in libro, cuius titulus: Lateinische Synonyme und Etymologieen p. 166 sqq..

Opimium dampnatum esse conmemoras) Cfr. pro Sestio C. LXVII. §. 140. in L. Pis. C. XXXIX. §. 95. de Or. II, 25, 106. in Catil. II, 2, 4..

Seruatorem ipsum rei publicae) Periclitantis ob leges Gracchi. MANUTIUS. Ceterum pronomen *ipsum* addidit Cassius, quod L. Opimius, quem Plancio opponit, non per alium, ut Plancius fecerit Ciceronis salutem conseruans, set ipse rem publicam conseruauerit.

Quod neque Opimius — neque Q. Metelli) Utrobique dat *neque* Bau.. Probo, et est priore loco, uocali sequente, opportunum; altero autem malim, *neque Metelli Calidius.* GARATONIUS. Garatoni coniecturam quamquam confirmat Erfurtensis, tamen eo magis recipere dubitaui, quo facilius librari errore ex *nec q.* fieri *neque* potuit. Atque hunc ipsum errorem admisit librarius cod. Erf. C. XXIX. pro *petente Q.* scribens *petenteque.* Neque tamen Bau., qui cum Erf. *neque* scribit, num seruauerit *Q.*, certo scimus. Eum si *Q.* omittere scirem, Garatonio omnino adsentirem, cum expulso eo maior membrorum aequalitas existat. Interim satius duxi, tantum *neque* ex B et E restituere.

Suo nomine) Qui ipse rem publicam conseruasset.

Neque Q. Metelli Calidius) Non ideo liberatus Calidius, quia sua lege Metellum ab exilio reuocasset. Hoc significabat Cassius, quamquam Planci magna merita in Ciceronem extarent, non ideo tamen eum absolui debere, cum nec Opimius, rei publicae seruator, nec restitutor Metelli Calidius absoluti iudicio sint. MANUTIUS. Immo hoc Cassius dicit: Licet Plancius egregie de salute tua meritus sit, tamen non est postulandum, ut propterea criminis alicuius conuictus inpunis ex iudicio discedat. Sic etiam L. Opimius et Q. Calidius propter sua in rem publicam merita non id sunt consecuti, ut poenam, qua se scelere quodam dignos reddiderant, effugerent.

CAP. XXIX.

Populo R. supplicasse) Ut Q. Calidio praeturam deferret.

Cum quidem non dubitaret et consul et homo nobilissumus patronum illum esse suum et familiae suae nobilissumae dicere) Elegantius abesset *esse* et *nobilissumae.* Hoc quidem est absurdum, si *esse* uerum est. Nam Metellus quidem ipse non dixerit suam familiam *nobilissumam.* Scripsit Cicero: *non dubitaret et consul et homo nobilissumus patronum et suum et familiae suae dicere.* ERNESTIUS. Optumast celeb. Ernesti coniectura. Bau. [cui accedit Erf.] male omittit *suae.* Ernestus recte abicit *nobilissumae;* melius etiam *esse* in *et* conmutat. Neque tamen delendi *nobilissumae* caussast illa, quam adfert, idonea, quod ita loqui Metellus ipse non debuerit. Nam si ex se Cicero id uerbum adposuit, non erat ei uerendum, ne quis Metello tribueret. Set iusta caussast, quod *homo nobilissumus* antecessit; ex quo non poterat non intellegi, quali esset ille familia. Quamquam Metellorum nomen non tam familiae, quam no-

bilitatis esse facile uidebatur. GARATONIUS. Recte probabile esse Ernestius negauit, Metellum dixisse: *patronus ille et meus et familiae meae nobilissumae est,* optumeque uerbum *esse* in *et esse* mutandum uidit, quamquam grauissumam mutationis caussam non perspexit, positam in eo, quod nemo Romanorum umquam dixit, *non dubito te esse sapientem dicere*, set semper, *non dubito te sapientem dicere,* ideoque uerbum *esse* ab hoc loco alienumst. Quod autem idem Ernestius uocem *nobilissumae* eiciendam putauit, id duabus de caussis probari nequit. Altera haec est, quod non est uerosimile, ut cuiquam interpreti hanc uocem addere in mentem uenerit. Grauior etiam alterast, quod omissa ea mirum quantum orationis uehementia in exitu periodi debilitatur, membrorumque tollitur aequalitas, cui ita studet Cicero, ut nonnumquam etiam quae maxume inutilia uideantur addat (uid. ad C. XXV. §. 61. p. 165.). Nam ut uerbis *et consul* respondent uerba *et suum,* ita consentaneum erat, ut uerbis etiam *homo nobilissumus* par membrum opponeretur. Itaque *suae* potius pronomen, quod manifesto turbet membrorum aequalitatem nec ad sententiae integritatem necessarium sit, adeoque in B et E, optumis codicibus, omissum sit, pro spurio debebat haberi; retractoque equidem quam Proleg. L. II. C. I. §. 5. sententiam dixi. Sponte autem intellegitur, non a Metello uocem illam, set a Cicerone additam existumari debere. Neque quisquam, si pro *nobilissumae* scriptum *quae erat nobilissuma* repperisset, quo tamen membrorum sublata esset aequalitas, offensus esset.

§. 70. *Si Romae esse potuisset*) Proconsul erat in Hispania, cum Calidius est accussatus. MANUTIUS.

Qui praetor finitumo, consul domestico bello rem p. liberauit) Cfr. in L. Pison. C. XXXIX. §. 95., ad quem locum Asconius haec adnotauit: *Notum est, Opimium in praetura Fregellas cepisse; quo pacto uisus est ceteros quoque nominis Latini socios male animatos repressisse; eundemque in consulatu Fuluiom Flaccum consularem et C. Gracchum tribunicium oppressisse; ob quam inuidiam postea iudicio circumuentus est et in exilium actus.*

§. 71. *Nimis ego magnum beneficium Planci facio*) Hoc est, nimis extollo beneficium, et fingo multo maius esse, quam fuit re ipsa. Cicero pro Flacco: *Dum uero se locupletem faceret, haberet nihil praeter illam inpudentiam, quam uides.* Plaut. Mil. 55. *Magnum me faciam nunc.* GRAEUIUS. Adde Plaut. Asin. II, 2, 84. *Extemplo facio facetum me atque magnificum uirum.* et Epid. III, 3, 40. *Ego illic me autem adsimulabam quasi stolidum, quom Bardum me faciebam.*

An quia te non iugulauit) Cum ad eum Macedoniae quaestorem lege Clodia pulsus Cicero uenit. MANUTIUS.

Iugulari passus non est) A sceleratissumis hominibus, qui in Graeciam confugerant, postquam inpium ferrum, ut ait Cicero C. XLI. §. 98. huius or., ignisque pestiferos e manibus eorum consul extorserat.

Toto illo anno) Cum P. Clodius tribunatum pl. gerebat.

Nisi forte existumas) Cur *forte* addiderim, Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XLII. dixi.

Nihil timerent) Sic ex B et E auctoritate scripsi, ceteris *non timerent* exhibentibus. Consueuerunt enim Romani pro eo, quod qui nunc latino utuntur sermone ponere solent, *nullo modo* uel *prorsus non* et similibus, *nihil* aduerbialiter usurpare. Sic Cic. pro Sestio C. I. §. 1. *eos autem — de se nihil timere.* ibid C. XXXV. §. 75. *actor hic defensorque caussae meae nihil progreditur, consilia expectat inimicorum meorum.* quem locum non intellexit Ernestius. in Rullum II, 14, 37. *nisi forte nihil est aequom, uos de eorum audacia suspicari, quorum*

cupiditati nimium angustus orbis terrarum esse uideatur. ibid. C. XXIII. §. 61. *beneficio isto legis, benignitate decemuirali nihil utitur.* pro Flacco C. XII. §. 27. *cum quidem nihil a superioribus continuorum annorum decretis decesserit.* pro Archia C. VII. §. 16. *si nihil ad percipiendam colendamque uirtutem litteris adiuuarentur.* pro Milone C. VII. §. 16. *nihil de eius morte populus consultus, nulla quaestio decreta a senatust.* pro Rosc. Am. C. XLIX. §. 143. *nihil de suo patrimonio queritur.* Philipp. II, 32, 79. *nihil queror de Dolabella.* de orat. II, 13, 55. *in caussis nihil omnino uersatum esse accepimus.* ad Diu. VI, 11. *Dolabellam antea tantummodo diligebam; obligatus ei nihil eram.* ad Att. IX, 5. *optumatibus uero tuis nihil confido, nihil iam ne inseruio quidem.* Ex Plauto et Terentio Gesnerus Thes. L. L. uoce *nihil* n. 3. p. 438. exempla adtulit. Similis usus est pronominis *aliquid* et *quid*, in quo temere nonnumquam uiri docti offenderunt. Sic pro Deiotaro C. XIII. §. 35. *illut uereor, ne tibi illum suscensere aliquid suspicere.* pro M. Caelio C. XXXI. §. 77. *quare si cui nimium ecferuisse uidetur huius — uis, ferocitas, pertinacia; si quem etiam minorum horum aliquid offendit.* pro Sestio C. IV. §. 10. *ut iam puerilis tua uox possit aliquid significare inimicis nostris, quidnam cum se conroborarit effectura esse uideatur.* ad quem locum uide nouissumum editorem. Addo Terent. Heaut. II, 2, 111. *tu es iudex; ne quid accussandus sis, uide.* ibid. u. 128. *uide sis, ne quid inprudens ruas.*

Et quemquam putas fuisse tam excordem, qui uiuis his, stante urbe et curia rediturum me, si uiuerem, non putaret?) Sic Mss. et edd. pr.; Lambinus [non Lambinus, qui uolgatam seruauit, set Gryphius.] fecit *Ecquem putas*, quod seruauit Gruterus. Turbauit Lambinum uitiosa interpunctio, quam male seruauit Graeuius: *timerent? Et quemquam — putaret?* quod sane cum praecedentibus non consentit. Ernestius. Interpunctio uolgata non est cum Ernesto mutanda, qui dedit, *timerent, et quemquam;* quo facto debuit etiam interrogationem tollere post *putaret.* Set *et quemquam* responsio est cum formula Tullio familiari, quam nemo ignorat. Garatonius. Recte Garatonius uolgarem interpungendi rationem retinendam contendit. Nam Ernesti ratio probari propterea non potest, quod membrum *quemquam — non putaret* si cum antecedente, *nisi forte existumas — non timerent,* per copulam coniungitur, unam eandemque sententiam Cicero bis enuntiat. Prioris enim membri haec est sententia, *nisi existumas, non struxisse inimicos meos insidias uitae meae, quod me rediturum non putarent,* posterioris haec, *nisi putas, tam excordes fuisse, ut me rediturum non putarent.* Accedit, quod hoc ipsum alterum membrum multo paucioribus uerbis iisque rectius conlocatis conponi debebat, si ista, quae Ernestio subesse sententia uidetur, enuntiata esset. Itaque hoc quidem certissumumst, uerbis *et quemquam — non putaret* Ciceronem ad ea respondere, quae modo a Cassio sibi obici posse dixerat, inimicos propterea fortasse uitae suae pepercisse, quod de reditu nihil timuerint. Refutat autem haec ita, ut neminem dicat tam stupidum fuisse, qui non putarit, se uiuis iudicibus stante urbe et curia si uiueret rediturum esse. Illut tamen quaeritur, num Cicero refutans, quae modo dixerat, copula *et* uti potuerit. Quod quamquam Garatonius recte factum esse dicit, tamen ego non puto, cum neque exemplum simile adlatum sit, neque, id quod ipsa copulae uis satis indicat, reperiri posse uideatur. Itaque mea sententia aut *Ecquemquam* aut *Ecquemnam* a Cicerone scriptum fuit. Confidentius *ecquemquam* restituendum dicerem, si unus nunc locus succurreret, in quo *ecquisquam* positum reperiretur; quamquam nihil est, cur pronomen illut fuisse in usu negemus. Mutatio certe facillumast; nam ubique fere librarii pro syllaba illa *ec* copulam *et* aut *haec* posuerunt. Sic in cod. Erf.

numquam *ecquis* et sim. scripta reperiuntur, set semper aut *et quis* aut *haec quis.* Audacior mutatio erit, si quis *At quemquam* restitui uelit.

Is homo et is ciuis) Cui bonorum uirorum et rei publicae salus cordi sit. Hoc dicit: Non debes, qui bonos uiros incolumis remque publicam saluam cupias, purgare inimicos meos, qui uitae meae insidias struxerint atque salutem rei publicae, quacum mea coniuncta fuit, euertere conati sint.

Quae — conseruata sit) Ne quis in coniunctiuo haereat, tenendumst, *quae — sit* pro *cum — sit* esse dictum.

Inimicorum modestia non esse adpetitam) Mirumst, quemquam multorum codicum scripturam *molestia* alteri *modestia* praeferre potuisse. Quid enim languidius a Cicerone dici potuit, quam molestos fuisse inimicos, quos modo inmani in se odio crudelissumoque fuisse dixerat? Contra egregie et magna cum acerbitate *inimicorum modestia* dicitur, quo uerbo, ut recte monuit Weiskius, moderatio quaedam in malis inferendis significatur.

C A P. XXX.

§. 72. *Liber essem et solutus*) Amat Cicero uerba *liber* et *solutus* coniuncta ponere. Cfr. II. in Uerr. I, 12, 33., II. in Uerr. II, 75, 185., II. in Uerr. IV, 10, 23..

Familiaritatis, uicinitatis, patris amicitiae) Idem iam C. X. §. 25. dixit, *quia familiaris esset meus, quia uicinus, quia huius parente semper plurumum essem usus.* Erat enim Cicero Arpinas finitumus Atinatibus, e quorum praefectura Plancius erat oriundus.

Quae si non essent, uererer credo, ne turpiter facerem, si hoc splendore et hac dignitate hominem defenderem) *Uererer* ex Erf. recte Graeuius, quod et sine libris edidissem pro *uereor.* Ernestius. Ernestium recentiores editores omnes secuti sunt, et recte quidem; quamquam uereor, ne casu magis quam ratione ueram scripturam restituerint. Nam rectumst, quod non credidisse Ernestius uidetur, loquendi genus, *uereor, ne turpiter facerem, si defenderem.* Sic, ut unum adferam locum, Cicero Philipp. I, 2, 5. *quae, nisi conlega afuisset, credo eis fuisse futura communia.* Uerum ab hoc loco *uereor* propterea alienumst, quod, hoc si esset positum, Cicero reuera se putare significaret, si illae necessitudines non essent, turpe fore, si tam splendidum et ornatum uirum defenderet. Atqui hoc nemo non uidet neque a Cicerone neque a quoquam alio homine sano dici potuisse. Nam id profecto nemo credit, turpe esse, hominem splendidissumum et ornatissumum defendere, si non sit amicitiae uinclis cum eo coniunctus. Itaque necessario legi *uererer* debet, quod cum quadam interrogationis significatione dictum itast, ut denotet, *at non uereor.* Tota autem sententia cum ironia, cuius indicium uerbum *credo* est, enuntiata est hoc sensu: *Und wenn diese nicht wären, würde ich wahrscheinlich schlecht zu handeln fürchten, wenn ich einen so glänzenden und würdevollen Mann vertheidigte.* Sic saepius *credo* sensu ironico cum *uereri* coniunctum reperitur. Cicero II. in Uerr. I, 11, 31. *Haec si ego non uidissem — credo, si meis horis in accussando uti uoluissem, uererer, ne mihi crimina non suppeterent.* Id. I. in Rull. 8, 24. *Hoc motu atque hac perturbatione animorum atque rerum quom populo R. uox et auctoritas consulis repente in tantis tenebris inluxerit: — uerendum credo nobis erit, ne uostra illa praeclara lex agraria magis popularis esse uideatur.* Ibidem §. 25. *pertimescam credo, ne mihi non liceat contra uos in contione consistere.* Idem I. in Catil. 2, 5. *Si te iam, Catilina, conprehendi, si inter-*

fici iussero, credo erit uerendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum dicat.

Fingenda fuit mihi uidelicet caussa) Necessario ex optumis codicibus *uidelicet* pro uolgata scriptura *iudices,* quam Ernestius tuetur, restituendum esse, inde patet, quod totam hanc sententiam non ita profert Cicero, ac si probet, quod facere statuendus esset si *iudices* scriberetur, set ita, ut id, quod dicit, minume a se fieri debuisse significare uelit. Id autem ut auditores intellegerent, uerbo quopiam admoneri debebant. Eiusmodi *uidelicet* particula est. „Plane dignum animaduersione arbitror esse modum, quo pro *uidelicet* huc inrepsit *iudices.* Nisi enim fallor, hunc nobis aperit illut conpendium *iud.,* quo non modo in cod. Barb. et in meo, uerum etiam in ed. Rom. sec., Uen., Heru., et Naug. uox *iudices* perscripta conspicitur. Duo scilicet conpendia sunt, librariis usitata: alterum *uid.* pro *uidelicet,* alterum *iud.* pro *iudices;* quorum ita similis est scriptura, ut non confundantur modo, uerum etiam aegre distinguantur interdum. Ad hanc summam in ipsis litteris permutandi facilitatem accedit, quod crebra in his orationibus iudicum mentio librarios ad eam uocem supponendam propensiores fecit, quam uidere aliquando, ubi nihil erat minus, oculis fallentibus existumarunt; cuius rei aliut exemplum insigne uidimus ad c. 5.. Similiter denique pro Sext. 7. uidebimus unum optumum codicem habere *uidelicet,* ubi duo alii habent *iudices,* et tres ueteres editiones illut ipsum conpendium *iud..*" GARATONIUS.

Caussa peracuta) Scribendum sine dubio est *peracute;* nempe caussa non est *peracuta,* set peracute fingitur. ERNESTIUS. Mirum iudicium. Cfr. de Or. II, 8, 32. *sic illut adfirmo, praecepta posse quaedam dari peracuta.* Ibidem §. 34. *Quid autem subtilius, quam acutae crebraeque sententiae?* Ibid. c. 23. §. 98. *alter acutissumum et subtilissumum dicendi genus est consecutus.* Ibid. lib. III. c. 59. §. 223. *sententiae saepe acutae non acutorum hominum sensus praeteruolant.*

Ut ei, quem mihi debere oporteret, ego me omnia debere dicerem) Plancius debere omnia Ciceroni dicebatur, quod ab eo defendebatur.

At id etiam gregarii milites faciunt inuiti, ut coronam dent ciuicam et se ab aliquo seruatos esse fateantur) Inductionem sollertissime facit ex iis militibus, qui protecti a commilitonibus suis ueluti testimonium gratiae referant, iisdem coronam ciuicam dando, quam traditur de gramine fieri solitam[1]). Et mire extenuauit, gregarium militem dicendo inuitum hoc facere, ut offerens coronam ciuicam debitorem beneficii *se* constituat. Quod igitur anxie et moleste gregarius miles patitur, id nullis acceptis beneficiis onus uerecundiae suae non imponeret uir consularis. SCHOLIA AMBROSIANA. Gellius V, 6.: *Ciuica co-*

1) *Ciuicam coronam* dicit noster interpres fuisse e gramine. Graminea fuit quidem *obsidionalis,* set de *ciuica* scribit Plinius XVI. sect. 5. *Ciuica iligna primo fuit, postea magis placuit ex esculo Ioui sacra. Uariatumque et cum quercu est, ac data ubique quae fuerat custodito tamen honore glandis.* Quernam aut ilignam fuisse *ciuicam coronam* testatur etiam Gellius V, 6.. Set nostri interpretis non leuis auctoritas est. Uerumtamen etiamsi hoc loco interpres coronam ciuicam minus recte *gramineam* dixisset, meminerimus errores nonnullos ipsius etiam Asconi a criticis notari. Errorem contrarium peccat Plinius XVI. sect. 5. dicens *frondeam* coronam obsidionalem, de qua ibi loquitur; quam tamen lib. XXII. sect. 4. recte *gramineam* idem uocauit. Uide Paschalium *de coronis* lib. VII. 16.. A. MAIUS.

rona appellatur, quam ciuis ciui, a quo seruatus est in praelio, testem uitae salutisque perceptae dat. Condiciones ex Masurio Sabino duas adfert: si is, qui ciuem seruauerit, eodem tempore etiam hostem occiderit, neque locum in ea pugna reliquerit. Plinius aliter XVI. H. N. 4. *utque eum locum, in quo sit actum, obtineret hostis eo die.* Atqui siue hostium locus fuerit, siue non, pugnando tenendus erat. Pergit uero: *ut seruatus fateatur, alias testes nil ualent:* quod huc maxume pertinet. Superior itaque Africanus coronam ciuicam, quam patre eodemque imperatore seruato meruerat, non petiuit, siue, ut Plinius loquitur, *recussauit*, ne pietatem patri ab se debitam ab eo uideretur exposcere. Scholiastes: *quam traditur de gramine fieri solitam.* Hominem, qui ciuicam imperite cum obsidionali confundit, satis egregius editor confutauit. An igitur ipse quoque M. Tullius errauit, quom IV. in Uerr. 56. *gramineas hastas* Syracusis ex aede Mineruae a C. Uerre sublatas est criminatus, *in quibus neque manu factum quidquam, neque pulchritudo erat ulla, set tantum magnitudo incredibilis?* De tanto uiro quis credat? neque tamen quas hastas intellegat, conpertum est. Lectionem illam conmunit Seruius ad Uerg. V. Aen. 287., qui bene ait a Tullio dici *gramineas, h. e. ex gramine:* conmunit etiam L. Ampelius cap. VIII. de Atheniensi Mineruae signo scribens, *ipsa autem dea habet hastam de gramine.* Ueteres igitur, quod nobis ignotum est, nouerant. Burmannus ad illum Serui locum nosque in uetere commentario, commentis aliorum perlectis, explorati nihil habuimus. Deinde quom Uerrinas iterum intermissa editione reuiserem, Plinius me hoc de ligno quaerentem ad Indicos calamos siue arundines reuocauit, qui XVII. H. N. 35. eos calamos *hastarum uicem praebere* ait *additis cuspidibus;* haec autem, quibus summopere mouebar, adiungit: *Arundini quidem Indicae arborea amplitudo, ut uolgo in templis uidemus.* Alii quoque a Theophrasto IV. Hist. Plant. 12. calami conmemorantur *magnitudine ita praestantes ac robore, ut pro iaculis usui sint.* Locum perperam emendabat Bodaeus, quamuis ex India illi non sint: differunt enim ἀκόντιον et δόρυ. Gratius Faliscus denique accessit, cuius hi sunt uersus in Cynegetico ab 127 ad 133.:

Disce agedum et ualidis delectum hastilibus omnem.
Plurima Threicii nutritur uallibus Hebri
Cornus, et umbrosae Ueneris per litora myrtus,
Taxique, pinusque, Altinatesque genistae,
Et magis incomptus operae Lutoser agrestis
Termes, ab Eois descendet uirga Sabaeis,
Mater odorati multo pulcherrima thuris.

Haec arundo Indica omnino est, admixta de thure fabula, quae tum ferebatur. Quom itaque de hastarum genere cogitarem, quod magnitudinem haberet cum admiratione coniunctam, animo statim arundineae obuersabantur et penitus insidebant. Set cur *arundineas,* quom certe possent, eas Cicero et Ampelius non appellarunt? cur Seruius *hastas ex gramine* tamquam rem uolgo perspectam non explicauit? Quom id non expedirem, Iosephum Corream, qui mihi repente adstitit e Lusitania, rerum naturalium peritissumum uirum ita consului, ut celauerim, quid meditarer. Is confestim, arundines, inquit, Indicae sunt. Ego uero: itane? usurpatum pro arundine gramen putas? Tum ille: quidni? nam eadem in familia antiquitus ponebantur. Ueteres enim quom genera plantarum non articulatim dissecta cognoscerent, set ex cognatione quadam ad unum quasi caput multa referrent, gramineo genere frumentacea (de quibus Uergilius VII. Aen. 808. *Illa uel intactae segetis per summa uolaret Gramina*), miliacea, arundinacea

contineri facile intellexerunt, quod uoce, ut ita dicam, sua natura ipsa significat. Quid enim aliut radicum, nodorum, foliorum, iubarumque similitudines clamant, praecipue uero glumarum, quae *ὑμένες* appellantur a Graecis, florumque inde in oculos incurrentium? hac potissumum nota hisce omnibus inpressa stirpibus earum cognatio caputque pernoscitur. Atque illut in gramine positum nemo mirabitur, qui ab elementis initium sumere, a paruis ad maiora gradatim progredi oportere didicerit. Quapropter genus illis temporibus rarissumum arundinum Indicarum, neque uolgo ad mirandum procliui satis cognitum, communi nomine a capite, quasi ab origine, per cognationem repetito, *gramen* et *gramineum* appellari potuisse, non est dubitandum. Multa uir doctissumus ex Theophrasto, qua praestabat memoria, recitauit, quibus cognationem illam probaret Graecos habuisse perspectam, ueluti I. Hist. Plant. 10. et 18., IV. 12., VIII, 3. etc.. Alia ex Dioscoride protulit IV. 30. et 31. etc.. Plinius itidem occurrebat, quem perdidicerat. GARATONIUS.

Ut coronam dent ciuicam et se ab aliquo seruatos esse fateantur) Lambinus nullo confirmante libro, set egregie *ut coronam dent cuiquam ciuicam.* GARATONIUS. Orellius suspicatus est: *ut coronam dent ciui ciuicam,* eamque ipsam scripturam cum his Gelli uerbis (V, 6.): *ciuica corona quam ciuis ciui — dat* confirmatam putasset, sine dubitatione recepit. Nollem factum. Nam ita loqui Cicero non potuit, qui sic pergat, *et se a b a l i q u o seruatos esse fateantur.* Necessario enim, si *ciui* praecessisset, non *ab aliquo* set *ab eo* in proxume sequentibus ponendum fuit. Recte autem ita loqui Cicero recussauit, quod nomen *ciui* plane inutile additamentum foret, cum *coronam ciuicam* a milite gregario non alii quam ciui posse dari per se intellegatur. Longe alia ratiost loci ex Gellio petiti, qui scriptor cum, quae esset corona ciuica, definire uellet, non potuit aliis quam quae posuit uerbis uti. Miror quemquam in uolgata scriptura offendi potuisse, quae est omnium integerruma. Saepenumero enim uerbum *dare* cum solo accussatiuo rei, quae datur, coniungitur, cum nomen eius, cui aliquid datur, aut eiusmodi est, ut sponte intellegatur, ut nostro loco, aut de industria reticetur. Ex multis locis unum adpono, qui extat in Cic. Phil. II, 6, 15. *Hodie non descendit Antonius. cur? dat natalicia in hortis. cui? neminem nominabo. putate tum Phormioni alicui, tum Gnatoni, tum Ballioni.* Nostro loco pronominis *alicui* omissio eo minus habet offensionis, quo arctius uerba *ut coronam dent ciuicam* cum sequentibus *et se ab aliquo seruatos esse fateantur,* in quibus ipsum illut pronomen positum, coniuncta sunt.

Ex hostium manibus) Praepositionem addit Bau. [et Erf.], ut supra c. 10. *ex inpiis manibus eripuerunt,* et addit plerumque Cicero. GARATONIUS. Recepi, quamquam aliis ab interprete addita uideri potest, quoniam hoc quidem loco praecedente *acie* librarii errore excidere facillume potuit. Cfr. Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XLII..

§. 73. *Te mihi remittere atque concedere*) Sine dubio Laterensis fretus dignitate sua atque nobilitate generis sperauerat, fore, ut conpetitoribus suis, licet a magnis uiris conmendarentur, tamen anteponeretur.

Ut omne studium meum in Cn. Planci honore consumerem) Edidit Lambinus *honore,* quod a cod. Barb. firmari moneo, item a meo, et priore Uen., quodque adeo ferme praefero aurium caussa, quamuis in ipsa locutione nihil intersit. Etiam II. Agr. 22. Msi aliquot exhibent, *neque in monumentum consumptum,* auribus itidem repugnantibus; set plures atque potiores ibi dant *monumento,* quemadmodum summo consensu librorum editur insuper I. Agr. 4. Similis est locus pro Sextio c. 13. *quom omnem uim sui tribunatus in mea salute consumpse-*

rit. Garatonius. Ego ablatiuom praetuli accussatiuo, quod primum optumi plurumique codices eum tuentur, deinde quod in eiusmodi loquendi genere, quale hoc est, a Cicerone nusquam accussatiuom uidi positum.

Tibi etiam ipsi) Uide de hoc loco quae monui in Proleg. L. II. C. I. §. 16. p. LIV..

§. 74. *Recitetur oratio*) Immo uero particula illius exigua c. 14., quae tamen ipsa pessumis additamentis facta est longior. Sic etenim habet in extremo: *Qui si mihi quaestor inperatori fuisset, in fili loco fuisset, nunc certe erit in parentis, quom fuerit quaestor non inperi, set doloris mei.* Haec ita sunt absurde stulteque dicta, ut ne homine quidem illo digna sint, quem illius orationis auctorem duo uiri doctissumi uolunt. Ego iampridem quom uolumen illut adtentius recognoscerem, multaque margini adlinerem, neque pauca iam intellegerem adiecta esse, interpolata, peruersa, ferrum adhibui, quod magnus ille amputator Heumannus abiecerat. Certe is purgatus erit, neque aliut quicquam requiret locus, si haec tantummodo posita fuerint: *Qui si mihi quaestor fuisset, in fili loco fuisset, nunc certe erit in parentis.* Clausula similis est III. in Uerr. 38. *ut aratores in seruorum numero essent, serui in publicanorum.* Ferri nequit *inperatori:* non quia nondum Cicero exercitum duxerat: non est enim in his, quae finguntur, ueritas postulanda; set quia, etiamsi inperator fuisset, nihil id ad quaestorem; quem Cicero iure consulatus habuerat, et in prouinciis omnes habebant, qui essent pro praetore aut pro consule. Set hoc Marklandus inlustrauit egregie. Quid est porro, *quaestor inperi mei?* haut certe nominis inperatori, set magistratus, ut hic supra c. 26. *in maxumis inperiis* et pro Mil. c. 28. *inperium si ille nactus esset.* At deinde quam intempestiue, quam frigide a ludibundo Plancius dicitur non iam *quaestor,* set *questor doloris mei?* aliter enim nugae ipsae non constant. Neque tamen hac una re adiectio tota conuellitur. Illut enim animaduertendum inprimis est, caussam, cur Plancium Cicero in parentis loco sibi esse dicat, ineptam plane adferri et ridiculam. Quae uera sit, ad c. 10. luculenter ostendimus; quia scilicet ei uitam Plancius sua custodia seruauerat. Quapropter si adicere aliquid placuisset, hoc adici facile potuit: *quom fuerit custos non inperi, set salutis meae.* Nam I. in Uerr. 15. quaestor esse dicitur *custos non solum pecuniae, set etiam consulis.* Haec autem Planci defensio beneficium illut inpense praedicat, tum c. 10. isdem uerbis, *quasi parenti et custodi salutis meae,* tum alibi et initio ipso potissumum. *Quom propter egregiam,* inquit, *et singularem Cn. Planci, iudices, in mea salute custodienda fidem* etc.. Iis autem, quae ibi secuntur, uerbis, *cuius officium mihi saluti fuisset,* seruatorem ac proinde parentem alterum indicat. Respondent huius loci haec, *et huius tanti offici seruitutem* (quasi patriam sibi potestatem inponeret tanti benefici accepti confessio) *adstringebam testimonio sempiterno.* Uerumtamen caussam illam explicare necesse non erat, quom *custos capitis* antecesserit; et uerborum permutationes ac litterae nihil adiuuant emendationem. Neque uero eicienda esse illa uir acutissumus non uidit Wolfius. Garatonius. Ego quid de loco illo totaque ista oratione iudicem, alio tempore ac loco expromam.

Quae propter rei magnitudinem dicta de scripto est) Fuit haec consuetudo Romanorum, ut cum de re grauissuma, quae intentiore cura indigere uidebatur, dicendum esset, eam conscriberent ante et scriptam praelegerent. Cfr. pro Sestio c. 61. Phil. I, 1. X, 2. et Marklandum in praef. ad or. quattuor ab Wolfio editas p. LXIII sq.. Ceterum non est dubium, quin eo consilio Cicero orationem illam de scripto esse dictam nunc monuerit, ut eorum occurreret criminationi, qui quae de Plancio in ea scripta recitabantur, postea demum uel nunc a Cicerone temporis caussa inserta criminari possent. Reuera autem recitatam esse illam orationis istius

particulam, in qua Planci in se merita Cicero praedicauerat, manifesto e uerbis, quae secuntur, *Nolo cetera* etc. intellegitur.

Et huius tanti offici seruitutem adstringebam testimonio sempiterno) *Offici*, quod ei praestandum a me sit, optume de me merito. Si nihil hic mutetur, recte; nec male tamen, si quid mutetur: nam mihi uenit in mentem legi posse, *seruitute me adstringebam*. MANUTIUS. Nemo umquam Romanorum sic locutus est aut loqui potuit, *seruitute se adstringere testimonio*. Rectissume uolgata scriptura se habet, in qua *huius tanti offici seruitutem* dictum est pro *hoc tantum officium, quo tamquam seruos Planci factus sum, quem in parentis loco habere debeam*. Simillume Quinctil. II, 16. *adstringere se ad seruitutem iuris* dixit pro, tradere se iuri et prorsus eo implicatum teneri. Sensus igitur hic est: et hoc tanto me in Plancium officio pietatis obstrictum teneri, confirmabam testimonio sempiterno.

Nolo cetera quae a me mandata sunt litteris recitare) Suffecerat enim de ea oratione dixisse, qua uel senatui uel populo gratias egit. Nunc autem et de uersibus suis facere mentionem uidetur, quos intempestiuum sit in iudiciali dissertatione recitare. Non potuit tamen in totum de is tacere. Nam de consulatu suo scripsit poetico metro, quae mihi uidentur opera minus digna talis uiri nomine[1]). SCHOLIA AMBROSIANA. Recte quidem suspicati sunt editores iam inde ab Ernesto, libros de consulatu suo intellegere Ciceronem; set non opus erat suspicione, neque prolepsis Ciceroni inponenda, quod fecit Orellius, ita tandem factum putans, ut in istis libris Planci fecerit mentionem: nam ubi diserte eos memorat Cicero, ad Diuers. I, 9, 68 sq., appellat *tris libros de temporibus meis*; qua locutione exilium etiam et reditum conplectitur, ut supra cap. 13., et pluribus ostendam ad Legg. III, 11. Contra prolepsis fuisset, si de Pisonis et Gabini reditu in urbem in illo opere disputasset, quippe qui aliquot annis post contigit; itaque huiusmodi quid Apollini se tribuere uelle, ut esset secundi libri *ἐμβόλιον*, scribit ad Qu. fr. III, 1, 7. BAKIUS. Cum Cicero ea propter, quae in consulatu egerat, a P. Clodio in exilium esset missus, sponte intellegitur, eum in libris, quos de rebus in consulatu gestis conscripsit, sine dubio de exilio etiam redituque in urbem exposuisse.

Ne proferre uidear ad tempus) Pro *ad tempus* temere Lambinus *diem*, et Io. Fred. Gronouius, cui adsentitur Schutzius, *ante tempus* scribendum putarunt. Contra quos recte Graeuius sanissumam uolgatam scripturam esse atque *ad tempus* idem atque *temporis caussa* significare monuit. Cfr. Cic. Lael. C. XV. §. 53. *Quis enim aut eum diligat, quem metuat, aut eum, a quo se metui putet? coluntur tamen simulatione ad tempus.* Quo loco *ad tempus* significare *temporis caussa* ab ipso Cicerone eodem in libro C. VIII. §. 26. docemur, cum dicit: *Nam utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur, qui simulatione amicitiae coluntur et obseruantur temporis caussa.* Alios eiusdem generis locos lexica suppeditabunt.

CAP. XXXI.

§. 75. *Quousque ista dicis*) Expectet quis tempus futurum, quocum aduerbium *quousque* plerumque iungi soleat, adeoque id a me reponendum fuisse putet, cum in codice Erfurtensi *iu-*

---

1) Haut ita loquitur noster interpres, quod forte putet spurium illut Ciceronis poema. Nam ipse Cicero ex eo uersus LXXVIII. inseruit libro I. de Diu., praeter Serui auctoritatem ad Uerg. Ecl. VIII, 106.. Hoc tantum interpres significat, non uideri sibi opera poetica atque digna Cicerone, ac ea quae soluta oratione scripta sint; quod facile quiuis concedet. A. MAIUS.

dices scriptum legatur. Nihilominus non sum ausus uolgatam scripturam sollicitare. Nam etsi necessario *quousque* iungendum cum futuro est, si quaeritur, ad quod usque tempus aliquid duraturum sit, tamen recte etiam cum praesente iungi potest, si non quaeritur, set cum indignatione exclamatur, iusto diutius aliquid durare. Et hoc quidem loco non quaerere Laterensem, ad quod usque tempus Cicero isto modo defensurus sit reos, set cum indignatione clamitare, iusto diutius Ciceronem isto modo pro reis dicere, ex ipso, quod praepositumst, uerbo *clamitas* apparet. Itaque post *dicis* non interrogandi set exclamandi signum posui.

Ista dicis) Reorum in te merita conmemorando iudices conmouere studes, ut ea propter reos absoluant.

Nihil in Cispio profecisti) M. Cispius tribunus pl. fuerat, quo anno Cicero in patriam restitutus est, idque ipsum, ut restitueretur, cum aliis efficere studuerat. Cfr. pro Sestio C. XXXV. §. 76. et post red. in sen. C. VIII. §. 21.. Itaque cum postea de ambitu accussatus esset, ita Cicero eum defendit, ut propter sua in se merita absoluendum putaret. Set iudices Ciceronis precibus non passi sunt se conmoueri Cispiumque condempnarunt.

Obsoletae iam sunt) Non esse uerba *iam sunt* transponenda, Proleg. L. II. C. I. §. 14. p. L. monui.

De Cispio mihi igitur obicies, quem) Cod. Barb., ed. Rom. et utraque Uen. *mihi uidetur obicies;* quod cum sit aperte mendosum, recte Ascensius et alii, *mihi uidelicet obicies,* quam lectionem repetitores Lambiniani rettulerant, cum Lambinus ex ea et ex Naugerianae lectione [*mihine tu obiicies*] hanc exculpsisset, *mihine tu uidelicet.* Garatonius. *Tu* uix abesse poterit, cum in eo non minor sit argumentationis uis quam in *mihi.* Itaque legendum, *mihi igitur tu obicies,* uel retinenda uolgata, quod, ut in re admodum incerta, facere satius duxi. Orellius. Nihil prorsus hic incerti est. Codicum triplex potissumum scripturast; duo optumi B et E habent *mihi igitur,* ceterorum maxuma pars *mihi uidetur,* pauci iique maxume interpolati *mihine tu.* Quae in optumis codicibus scripturast, eadem optuma et unice uera; ex eaque manifesto ortum absurdum illut *uidetur;* pro quo qui *uidelicet* correxerunt, uim et usum huius particulae ignorarunt, quae sic tantum locum hic obtinere posset, si ironice Cicero loqueretur. Atqui sine ulla ironia Cicero hic ex Laterense quaerit, quomodo de Cispio sibi obicere possit, quem ipso auctore defenderit. Porro neque *mihine* scribi neque *tu* pronomen addi debet. Prius fieri nequit, quod nominibus encliticis', quale nunc *mihi* pronomen est, particula interrogatiua *ne* adiungi non potest. Esse autem *mihi* encliticum, inde patet, quod praeter Ciceronem cogitari nemo potest, cui de Cispio obici potuerit. Pronomen *tu* si Cicero addidisset, non est dubium, quin ante *de Cispio* collocaturus fuerit, ut quisque pronomen relatiuom *quem,* quod sequitur, ad Cispi nomen pertinere statim intellegeret. Atqui omnino inutile illut pronomen est nec in ullo codice additum reperitur. Itaque non potui dubitare, quin quod sensui accommodatissumumst, *mihi igitur,* optumorum codicum auctoritate restituerem.

Et ei dices, q u o u s q u e, quem negas, quod pro Cispio contenderit, inpetrare potuisse) Sic recentiores editores ad unum omnes ipso Orellio non excepto scripserunt, quamquam plurumi iique optumi libri *contenderim* habent. „Unde statuo Tullium scripsisse: *et mihi dices,* — *contenderim, inpetrare potuisse,* non solum propter consensum tot codicum, in quibus *contenderim* scribitur, set et propter commodam horum uerborum cum praecedentibus conexionem. Quomodo enim cohaerent *tu mihi obicies* et *ei dices,* cum de eodem homine loquatur, nimirum de se ipso?" Graeuius. Mss. et edd. pr. *contenderim,* quod probat Graeuius: male,

etiamsi *mihi* correxerimus; non patitur *quem*. ERNESTIUS. Miror peruersum Ernesti iudicium. Si pro *ei* Cicero posuisset *mihi*, contra leges grammaticae peccasset, si *contenderit* scripsisset. Iam cum *contenderim* in omnibus fere codicibus scriptum extet, eo minus de ueritate huius scripturae dubitare licet, quo certius est, pronomen *ei* usitatissumo more pro *mihi tali* dictum esse. Cfr. in L. Pison. C. V. §. 11. *Erat non solum domus mea, set totum palatium senatu, equitibus R., ciuitate omni, Italia cuncta refertum, quom tu non modo ad eum* (se dicit Cicero)*: mitto enim domestica, quae negari possunt, haec conmemoro, quae sunt palam: non modo, inquam, ad eum, cui primam comitiis tuis dederas tabulam praerogatiuae, quem in senatu sententiam rogabas tertium, numquam adspirasti, set omnibus consiliis, quae ad me opprimendum parabantur, non interfuisti solum, uerum etiam crudelissume praefuisti.* Ceterum *ei* maiorem patet orationi uim addere quam si *mihi* pronomen positum esset.

Nam istius uerbi, quousque, haec poterat esse inuidia: datus est tibi ille) .... Unde quo minus inpudens uideretur haec compensatiua defensio, dicente Laterense, quousque uis seruatos esse quos diligis? et pro Cispio causam dicente sic rogasti, et precibus tuis ambitum paene mouisti: opposuit acutissimam responsionem, merito haec ab eo dici potuisse, si pro illo inpetrasset[1]). Porro autem cum pro Cispio non obtinuerit, uel pro hoc optinere debere, qui et innocens sit et de salutis suae conseruatione bene meritus. Animaduerte, quo modestiae temperamento haec exsequatur, ut nihil inpudentiae, multum religionis habeat oratio. SCHOLIA AMBROSIANA. Duplicem Cicero monet istius dicti sensum esse posse; aut hunc: quousque uis seruatos quos diligis! Postquam consecutus es, ut ille propter preces tuas absolueretur, finem iam eiusmodi fac defensionum. Quod Cicero monet cum inuidia uideri posse a Laterense dictum esse, qui aegre ferret, reos, qui a se defenderentur, propterea quod ipsius essent amici ab iudicibus absolui. Aut hunc: desine talia dicere, qui in Cispiano iudicio intellexeris, preces tuas nihil aput iudices ualere, neque reos te conmemorandis illorum erga te meritis defendere posse. Atque haec sane Laterensis sententia fuit.

Condonatus ille) Male haec Ambrosianus omittit.

Ei quidem) Ne quis particulam disiunctiuam desiderari putet, monendumst, *quidem* uim particulae aduersatiuae hic habere, idque eodem fieri iure, quo *uerum* et *uero* particulae disiungendis sententiis inseruiant. Cfr. Matthiae ad or. pro Sext. Roscio Am. C. XI, 31. et pro Muren. C. V. §. 12..

Ei quidem, qui pro uno laborarit, et ipsum id non obtinuerit) Sine caussa in conlocatione uerborum *ipsum id* Lambinum, Ernestium, aliosque offendisse, ex iis intellegitur, quae supra ad C. XXIV. §. 58. p. 157 sq. monuimus.

Constituar) Is esse dicar, cui nihil debeant concedere precanti iudices.

§. 76. *Sic enim dixisti: uidi ego tuam lacrimulam*) Laterensis in Tullium dixerat epilogos eius inridens, quos eum constat nimium flebiles et miserationis plenos in iudiciis semper habuisse. Et in oratore suo eandem affectuum mouendorum sibi praestantiam uindicauit. Ac ne haec laenocinia potius adhibere fallendis iudicibus, quam uere secundum animi sui motum facere

1) Ita hic locus admirabili Niebuhri sagacitate restitutus est. Maius mire eum corruperat.

existimetur, adseuerat Cispium hoc suae orationis adfectu non indignum fuisse, cum quo[1]) post amicitiae reconciliationem ita participatu fortunae suae dolorem senserit, ut inpense diligi mereretur. Scholia Ambrosiana. Non neglegendum est, uerbo *lacrumulae* significari cum alibi semper tum hoc loco lacrumam eiusmodi, quam quis non uictus luctu ecfundat, set simulandi doloris caussa oculos conterendo uel alia ratione oculis extorqueat.

Uide, quam me uerbi tui paeniteat) Male B et E *me* pronomen omittunt. Uide Proleg. L. II. C. I. §. 3. p. XXXI..

CAP. XXXII.

§. 77. *L. Racili*) *Racillii* uidi primum in Lambinianis, quas Grut., Graeu., et Uerb. secuti sunt; set Oliu. ac Lallem. rectius hic et paulo infra *Racilii*, ut cod. Barb. et meus et omnes, opinor. Ita huius nomen scribitur etiam II. ad Q. fr. 1. et I. ad Diu. 7., qui locus praenomen ei fuisse *Lucio* confirmat, quod heic infra mutant in *M.* plerique codices. Alius est L. Racilius II. in Uerr. 12., qui cum hoc in Ind. Hist. cel. Ernesti confunditur. Incertam tantum licet coniecturam facere, illum patrem huius fuisse, qui eques Romanus in Sicilia negotiaretur. Tamen ille quoque locus conprobat *Raciliam* gentem, non *Racilliam;* ut aput Liu. III, 26. *Racilia* Cincinnati uxor, et *uicus Racilianus* in XIV. urbis regione aput Uictorem. Notanda uero illa sunt ad Q. fr. l. c.: *de tribunis plebis longe optumum Racilium habemus; uidetur etiam Antistius amicus nobis fore: nam Plancius totus noster est.* Scripta est epistula Lentulo et Metello coss. mense Decembri an. 697., quom paucis illis diebus tribuni pl. magistratum inissent. Garatonius.

Sicut in Plancio) Sic inepte codices ad unum omnes scribunt; Lambinus igitur, cui adsentitur Garatonius, *sicuti Plancio* scribendum duxit. „Immo *in* illut ortum est ex nota *Cn.:* praenomen enim requirit orationis concinnitas, cum idem h. l. *Racili* nomini praeponatur, ut infra (*Plancio deberem, Racili beneficiis*) ante utrumque omittitur. Eius rei uestigium superest etiam in schol. Mai. p. 172. *extenuaturus merita Cn. Planci — de L. etiam Racilio quaedam Laterensis conmemorauerat.* etsi haec aduotatio ad inferiorem locum pertineat." Orellius. Hanc emendationem recipiendam putaui.

Semperque prae me feram) Monui iam Proleg. L. II. C. I. §. 14. p. LI., uideri M. Tullium *semperque praeferam* scripsisse. Addo, eodem loquendi genere usum interpretem Ambrosianum esse ad C. XIV. §. 33. *Grauius praeconem cum inrisione, quam Romanum equitem cum dolore dixisse; cum dolor excussatus sit inpetu cogentis iniuriae, risus inmoderatam plerumque contumeliosae audaciae licentiam praeferat.* Alia huius locutionis exempla Proleg. l. l. adtuli.

Atque utinam, quam ego sum in illum gratus, tam licuisset per hominum uim et iniuriam populi Romani ei gratiam referri) Sic excepto Bau. in omnibus codd. scribitur, nisi quod multi pro *populi Romani* conpendium *p. R.* habent. „Lambinus dedit, *tam mihi licuisset* et *referre,* uoces *populi Romani* retinuit, esse tamen fortasse delendas notauit in margine. Non fero *iniuriam populi Romani,* non quia nimis est graue, uerum praecipue quia praecedit,

---

1) Uidetur corrigendum *cum is.* Nam Cispius exulis Ciceronis misertus fuerat, ut uides in hoc loco orationis. A. Maius.

per hominum uim, et quae ui acta per factionem fuerint, iniquom est populo uniuerso tribuere. Set neque placet *iniuriam praetoris,* quod temere fuit a Lallemando receptum. Nam quod Racilium iudicio adflictum uolunt: quaero, defensum nec ne putent a Tullio. Si defensum, iam is gratiam rettulit, quod in se fuit; sin minus, qui factum dicent, ut id uiro tanta dignitate praedito non licuerit? nam uoluisse concedent. Certe totus hic de Cispio et Racilio locus indicare uidetur, non fuisse Racilium a Cicerone defensum; neque si *praetoris* legamus, intellego, quae tanta uno in praetore uis fuerit, aut quale omnino iudicium fuisse oportuerit. Simul hoc statuo, a nobis rem gestam plane ignorantibus certi nihil de lectione posse constitui. Facile quidem, obscuritate omni permanente, offensio tollitur, si legatur, *tam licuisset per hominum uim et iniuriam ei gratiam referri.* Uerbum *licet* cum passiuo aput Tullium aliquando construi docuit Wopkensius III. Lect. Tull. 7. p. 278.. At quomodo notae *p. R.* huc inrepserint, quis expediet? Hinc suspicio mihi suborta est, ita fortasse scriptum fuisse: *tam licuisset per hominum uim et iniuriam populo Romano ei gratiam referre.* Tribunus plebis cum Plancio fuerat superiore [corrige hoc ex Proleg. L. III. C. I. §. 2.] anno Racilius, potuitque, ut opinor, aedilitatem petere in hunc ipsum annum, quo Pompeius et Crassus iterum coss. non modo aedilibus insequentis anni creandis habuere comitia, quibus designati sunt Plancius et Plotius, uerum etiam alia priora, quibus aedilis huius anni populus fecit, quia deerant hique statim magistratum iniuerunt. In iis autem comitiis prioribus uim caedemque uersatam esse testantur Dion Cassius XXXIX, 32. et Plutarchus in Pompeio C. LIII.. Quid ergo si uis illa Racilium, acerrumum eorum hostem, qui rem publicam uexare cupiebant, aedilitate deiecerit, populumque Romanum gratiam ei, cum uellet, referre non siuerit?" GARATONIUS. Garatoni coniecturam eatenus confirmauit Bau., quatenus pro *populi Romani* habet *populo r..* Itaque non dubitaui totum locum, ut uoluit Garatonius, constituere.

Sed me cum tantum iam Plancio deberem, Racili beneficiis fuisse contentum) Extenuaturus merita Cn. Plancii, quae intulisse in M. Tullium uideretur, de L. etiam Racilio quaedam Laterensis commemorauerat, qui magis adiumento Ciceroni fuisse uidebatur[1]), cum Plancius in tribunatu suo non tantopere sit pro eiusdem restitutione conisus[2]). Ne hoc igitur ei deesset ad gratiam, confitetur, animo promtissimo etiam hunc Plancium erga restitutionem suam fuisse. Sed quoniam omnia per Racilium uidebantur impleta, non expetisse se dicit, ut etiam ille ex superfluo laboraret, qui tantum sibi in quaestura Macedonica praestitisset. Extat autem libellus eiusdem Ciceronis, qui ita inscribitur: EDICTUM LUCII RACILII TRIBUNI PLEBI[3]), quod sub nomine ipsius Cicero inscripsit in inuectionem P. Clodi. SCHOLIA AMBROSIANA. Cum in

---

1) Sic scripsi e coni. A. Mai. Codex *uideatur.*

2) Falsa haec sunt. Plancius tribunatum plebis iniit, cum Cicero in patriam iam esset reuocatus. Uide Proleg. L. III. C. I. §. 2..

3) Nota opusculum deperditum, immo prorsus, quod sciam, inauditum Ciceronis. L. Racilius tribunatum iniit cum Plancio aliisque anno exeunte, quo Cicero ab exilio reuocatus est, gessitque anno sequente, Marcellino et Philippo consulibus. Belle ad hunc locum faciunt quae Cicero scribit ad Q. fr. II, 1. *Racilius surrexit — Plancius totus noster est.* A. MAIUS.

codice Ambros. A. Maius non *beneficiis*, quod in reliquis codd. omnibus legitur, set *beneficii* scriptum repperisset, haec ille adnotauit: „Nota lectionem diuersam ab ante edita *beneficiis* uel *beneficio*. Nota etiam *contentum* cum genitiuo; cuius syntaxeos exempla aput Liuiom, Ouidium, Paterculum, Curtium, Apuleium, Iustinum, Digesta, Dictymque Cretensem laudantur a Uossio de Gramm. VII, 11., ab Heinsio ad Paterc. II, 88. et a Forcellino in lexico. Quare hanc locutionem in Ambrosiano palimpsesto nullatenus mendosam existumo.“ Immo certissumumst, *beneficii* mendum librari esse. Nam etiamsi Cicero *contentus* cum genitiuo iunxisset, minume tamen hoc loco usurpare illut loquendi genus potuit, cum Racili non unum fuisse in Ciceronem beneficium, set plura ex uerbis §. 77. *Luci Racili diuina in me merita* luculenter intellegatur. Accedit, quod sine caussa idonea nemo Romanorum eiusmodi genitiuos *Racili benefici* umquam conposuit. Ambrosiani scriptura mea sententia ex sollemni scriptura antiquioris aeui *beneficis* ortast. Ceterum recte Garatonius etiam istam constructionem, licet ab omni latinitate non sit exterminanda, tamen Ciceroni illiusque aequalibus tribuendam negat. „Quod scire maxume interest, quidnam Racilio acciderit mali, in eo, ut in aliis ex historia nonnullis, ab hoc scholiaste deserimur. Uerumtamen aliquid ille adtulit noui. *Extat*, inquit, *libellus eiusdem Ciceronis, qui ita inscribitur, edictum Lucii Racilii tribuni plebi, quod sub nomine ipsius Cicero scripsit* (non *inscripsit*, ut in codice) *in inuectionem P. Clodi*. Planci conlega Racilius in tribunatu fuit; non autem quo anno Cicero in patriam rediit, ut Maius adfirmat, eo fortasse deceptus, quod tribuni plebis annum suum non a Kalendis Ianuariis, ut ceteri magistratus, uerum ab A. D. IV. Idus Decembris incipiebant: nos etenim ex Tulli testimonio annum DCXCVII. (698. Alm.) in editione nostra posuimus Philippo et Marcellino coss., neque aliter in Ciceronis historia Fabricius; quo quidem anno, ut modo diximus, P. Clodium constat aedilitatem gessisse. Hic itaque turbulentus aedilis siue in contione, siue per edictum Racilium Ciceronis propugnatorem et Ciceronem ipsum insectatus uidetur; cui quom Cicero per edictum suo nomine priuatus respondere non posset, L. Racilio tribuno, quicum ipse conpellatus fuerat, edictum conposuit acerbum ac uehemens, ut solebat, in Clodium, cuius Cicero scripti auctor ab omnibus adgnosceretur. Erant enim edicta propria magistratuum, quibus in dissensione ad conuicia facile abutebantur. Ex multis exemplo sint *Archilochia* illa Bibuli consulis in Cn. Pompeium eiusque socios edicta II. ad Att. 19. 20. 21., et aput Plut. in Pomp. c. 48.. Quinctius uero Atticus consul, *quod edicta in populum pro Uespasiano magnifica probrosa aduersus Uitellium iecerat*, poenas Uitellianis dedit, ut ex Tacito III. Histor. 75. morem illum cum re publica extinctum non fuisse sciamus. Quod ait, *in inuectionem P. Clodi*, explicantis est, siquidem Cicero de more scripserit, *in P. Clodium aedilem curulem*. Ita scholiastes anonymus, siue hic ipse est, siue alius, ad I. act. in Uerr. c. 10. *inuectio ad Metellum consulem designatum*, quem ibi orator adloquitur. Haut tamen Tullio indignum est uerbum *inuectio*. Citatur ex II. de Inu. 54., quem deprauatum locum Michael Brutus iampridem ita emendauit: *Clementia, per quam animi temere in odium alicuius inuectio concitata comitate retinetur*. Id unus Gruteri codex, tresque Britannici confirmarunt. Ernestus, *animi — concitati inuectio*, Schutzio probante. Propius tamen esset ad litteras, *animi — concitati inuectiones comitate retinentur*. Habent enim plerique *inuectionis* et *retinentur*, unusque Brit. *continentur*.“ GARATONIUS.

Cum tantum iam Plancio deberem) Qua auctoritate *tantum* receperim, Proleg. L. I. C. III. §. 2. p. XIX. exposui.

Racili) Quod in codicibus nonnullis uitiose *m.* id est *Marci* ante *Racili* additur, id ex ultuma praecedentis uerbi *deberem* littera ortum puto.

§. 78. *An uero putas iudices idcirco minus mea caussa facturos*) Quom Bau. et Erf. *lubenter* ante *mea* addunt, h. e. *minus lubenter*, fidem non faciunt. Adiecticium id esse patet. Ordo tantum placere, quem adferunt, potest, *idcirco minus iudices mea causa facturos.* Garatonius. *Lubenter* non esse a Cicerone additum, inde patet, quod eo recepto ad sententiae integritatem aliquid deest. Tum enim *minus* aduerbi uicem gerit, quod necessario uim adiectiui habere nunc debet ut adsit, quod cum uerbo *facturos* iungamus, quod sine accussatiuo rei positum omni sensu caret. Aliast ratio loci, qui extat in Cic. Ep. ad Diu. XIII, 1, 18. *Prius uelim tibi persuadeas, ut hoc mea caussa lubenter facias, quam ut facias.* Uide etiam Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XL..

Quod me esse gratum crimineris) Quod mihi crimini uertas, quod gratus sim, id est, quod neges me gratum in Plancium esse oportere.

Cum populus Romanus illo senatus consulto, quod in monumento Mari factum est — gratias egerit) Sic in omnibus editionibus ante Garatonium scribebatur. „Tantum hoc mendum, perspectu tam facile, castigationes omnium effugit. Non possum equidem facere, quin me neglegentiae pudeat meae. Reponendum sponte iam fuerat: *Cum patres conscripti — uni Cn. Plancio gratias egerint.* Quae tam saepe fraudi fuerunt, per homines inperitissumos nobis notae transmissae huc etiam populum senatus consulta facientem induxerunt, atque incredibili doctissumorum patientia tantopere propagarunt. Nam ex *P. C.* factum *P. R.*, quod ut explicari coepit *populus Romanus*, non potuit *egerit* non flagitare. Eadem ratione corruptum locum I. Agrar. 8. extr. sanauit Graeuius, cum codicem tamen unum incorruptum inuenerit. Quod nunc mihi quoque contigit. Nam Bauaricus haut quidem id plane habet [habet Erf.], quod nobis ratio critica suadebat, et uerum esse adhuc potest, set unico uerbo *patres*, ut etiam supra c. 5. *quod patres aput maiores nostros* etc., neque aliis, quae multa sunt, est opus exemplis. *PR* est etiam *pater*, et paruo discrimine *patres*, quod tamen signo quodam notari solebat, cuius facile fallebat exilitas. *Patres* autem posuit, quia sequi uolebat, *illo senatus consulto*, et *cui senatus pro me gratias agendas putauit;* quod monere nos debuit, quid superius postularet.“ Garatonius. Cfr. pro Sestio C. LX. §. 128. *quem enim umquam senatus ciuem, nisi me nationibus exteris conmendauit? cuius umquam propter salutem, nisi meam senatus publice sociis populi R. gratias egit?*

Illo S. C. quod in monumento Mari factum est) In templo scilicet Honoris et Uirtutis, in quo actum primum uidetur de restitutione Ciceronis. Scholia Ambrosiana. Garatoni de Mari monumento diatriben, quam ille ad calcem Cur. Sec. reiecit, nos Proleg. L. III. C. V. p. XC — XCV. inseruimus.

Unus enim fuit de magistratibus aut promagistratibus) Posteriores duas dictiones remisi in locum suum, unde quinquaginta aliquot annis afuerant, fideiubentibus mss. nostris omnibus. Gruterus. Confirmant hanc scripturam omnes nostri codd.. Puto tamen ex margine in contextum inrepsisse. Graeuius. In ed. Gruteri additur *aut pro magistratibus*, quod et Graeuius seruauit, etsi suspectum habuit. Omisit primus Aldus; bene. Est contra consuetudinem in hoc uerbo. Cicero eos, qui sunt in prouincia, magistratus dicit. u. Clau.. Et alibi, ubi hoc SCtum conmemorat, tantum magistratus conmemorat. Ernestius. Etiam cod. meus et Barb., Rom., et ambae Uen. addunt uerba illa. Quis autem nescit, in prouinciis fuisse non

proprie *magistratus*, set *pro magistratibus*, ut Plancius erat in Macedonia *pro quaestore?* Hanc in legibus diligentiam nominum adhiberi consueuisse formula illa testatur, MAGISTRATUS PROUE MAGISTRATU, quam in earum tribus uetustissumis aput Brisson. II. de Form. 22. 25. 30. inuenies. At in communi sermone idem illi, qui erant pro magistratibus et magistratus, et consules, praetores, quaestores appellabantur. Ita saepe ipse Cicero; uide ad c. 23. in Pisonem. Atque adeo in eiusdem SCti mentione pro Sext. 60. est, *qui quaestores legatique essent*, et in Pis. 15. *legatis magistratibusque nostris*. Ipsum denique *aut* potest esse suspectum, formula *proue* requirente. Set in his omnibus haut ita magnum esse momentum censeo, ut manifesto glossema teneatur. Illut est fortasse grauius, quod unus ex prouincialibus magistratibus Plancius Tullium defendisse uideatur. GARATONIUS I.. — *Aut pro magistratibus* magnam habet a Bau. auctoritatem. Mirum est, si uno tantum in Oxoniensi sit. Repudiauerunt Oliuet. et Ernestus, qui consuetudinem Ciceronis opponit eosque locos, quos iam indicauimus. Set in iis de commendatione agitur in futurum tempus, hic de gratiarum actione, quae tempus praeteritum spectat. Itaque commendatus est Cicero (pro Sext. 60. in Pis. 15.) prouincialibus magistratibus et nominatim legatis, qui magistratus non erant, ut consuetudo loquendi ferebat. Nihil erat in ea re urbanis magistratibus loci. At gratias agere senatus poterat urbanis aliquot magistratibus, qui Ciceronem superiore anno defenderant; quo de anno loquitur, cum pro Sext. 32. *de meo*, inquit, *reditu octo tribuni promulgarunt;* solus autem in prouincia magistratus, ut ex c. 40. et 41. infra conligitur, Plancius fuit, qui Ciceroni opem tulerit. Hic igitur magistratus urbanos distinguit more maiorum a prouincialibus, in quibus Plancius numerabatur. Ad urbanos *putauit* referre necesse est; *pro magistratibus* ad solum Plancium. Facile porro *aut* explicatio formulae fuerit, et *proue* legendum est. Tribus illis, quas citaui, legibus quarta coniungenda, quam in Museo Parmensi me uidisse memini. GARATONIUS. Hanc, quam significat h. l. Garatonius, Parmensem ediderunt Marini *Fratelli Aruali* T. I. p. 108., Hugo, et alii, Legem scil. de iure dicendo in Gallia Cisalpina, ubi u. c. aput Marin. l. l. p. 109. lin. 50. haec leguntur: *neiue. quis. mag. proue. mag. neiue. quis. pro. quo. imperio. potestateue. erit. intercedito. neiue. quid. aliud. facito. quo. minus. D. E. R.* (de ea re) *ita. iudicium. detur..* Alibi quoque in uocibus *Promagister, Proflamen, Produumuir, Prolegatus*, quae in rarioribus sunt, set satis ab Inscriptt. firmatae, haeserunt uiri docti. ORELLIUS. Uehementer miror, Orellio manifestos, quos Garatonius in hac adnotatione conmisit, errores non esse animaduersos. Nihil mihi certius uidetur adfirmari posse, quam uerba *aut promagistratibus* non esse a M. Tullio scripta. Ac prima quidem caussa, ob quam spuria iudicanda sint, haec est, quod *promagistratus* non est uox latina. Eam autem oportuit in usu esse, si quis salua latinitate *unus fuit de magistratibus aut promagistratibus* dicere potuisse iudicatur. Neque fuisse in usu, ex quattuor illis legibus, quarum mentionem fecit Garatonius, probari potest; in quibus sciendumst semper duo esse uocabula *pro magistratu* casibusque nominatiuis adiuncta esse. Neque si *promagistratus* uox latina fuisset aut *de pro magistratibus* salua latinitate dici potuisset, Ciceronem hic sic, quemadmodum plerique codices habent, scribere potuisse concedo. Nam si in eum sensum haec uerba dicta accipiuntur, in quem accepisse Garatonius in Curis Secundis uidetur, ut Cicero utrisque magistratibus, et urbanis et prouincialibus, ab senatu gratias pro defensa sua salute actas esse, unum autem de iis, quibus sint gratiae actae, Plancium suae salutis fuisse defensorem dicere uoluisse existumetur, facile intellegi potest, Ciceronem uitiosissume locutum esse, et ita. ut multorum, quorum summa in

eum constabant merita, animos uehementer deberet offendere. Tum enim primum necessario uerba *magistratibus* et *promagistratibus* copula coniungi debebant, nec *cui senatus* etc. set *quibus senatus* scribi debebat. Atqui nec scripsit ita Cicero nec potuit sic scribere, siquidem primum ex reliquis locis, in quibus senatus consulti illius mentio fit, eis tantum hominibus, qui extra Romam erant, actas gratias pro defensa Tulli salute esse apparet, deinde prorsus inprobabilest, in eo senatus consulto, quod exteris gentibus scriptum erat, magistratuum urbanorum in Ciceronem merita praedicata esse. Omnium autem minume, si esset factum, statui potest, Ciceronem adeo ingratum in urbanos illos magistratus se praestaturum fuisse, ut depressis eorum in se meritis unum Plancium suam defendisse salutem contenderet. Hoc igitur cum certissumum sit, siue addantur quae eieci uerba siue omittantur, uerba *de magistratibus* de prouincialibus debere accipi, quo sensu saepe nomen *magistratus* usurpatum esse constat, facile apparet, uerba *aut promagistratibus* ita tantum genuina esse defendi posse, ut ad uerborum, quae praecedunt, notionem accuratius explicandam adiecta esse dicantur. Notumst enim, *aut* particulam nonnumquam poni, ubi notioni alicui alia notio distinctior substituatur. Cfr. Handi Tursellinus Uol. I. p. 539. et Aug. Grotefend. in Comment. p. 153 sq.. Uerum cum nec uocem *promagistratus* latinam esse ullo confirmatum testimonio sit, neque excogitari caussa possit, ob quam Cicero, si fuit in usu uox illa, non eam ipsam posuerit uerbumque *magistratibus* omiserit, praesertim cum ab eiusmodi membri parenthetici, quale hoc est, omnis sermonis redundantia abhorreat, cumque postremo huic quidem loquendi generi *aut* particula non omnino conueniat, non potero ego umquam adduci, ut uerba *aut promagistratibus* genuina putem esse. Nam Garatoni suspicionem, Ciceronem fortasse *proue magistratibus* scripsisse, non est quod refutem alio argumento, quam quod non est uerosimile, ut id a quoquam librario in eam, quae in codicibus est, scripturam conmutatum sit. Postremo illut notumst, interpretes glossis praeponere *aut* particulam consueuisse. Cfr. praef. ad Uarr. Lectt. ex cod. Erf. enot. p. LI sqq..

Cui senatus pro me gratias agendas putauit) Ex perpetua Ciceronis consuetudine et latinitatis lege scribendum est *putaret*. ERNESTIUS. Cur non *putarit?* set etiam *putauit* ego rectum arbitror. GARATONIUS. Aberrauit a sensu huius loci Ernestius, qui cum coniunctiuom *putaret* restituendum dixit, manifesto hoc dicere noluisse Ciceronem existumauit, unum Plancium eiusmodi fuisse defensorem salutis suae, ut ei senatus gratias agendas putarit. At enim hoc dicit Cicero: defensor enim salutis meae, cui senatus pro me gratias agendas putauit, unus de magistratibus fuit Plancius. Ex quo illut continuo apparet, quod per se iam certumst, non ipsum Cn. Plancium in illo S. C. nominatim appellatum fuisse, set in uniuersum magistratibus, quotquot extra urbem Planci salutem defendissent, gratias a senatu esse actas. Unus autem de magistratibus illis Plancius cum id fecisset, Cicero temporis caussa uni Cn. Plancio gratias esse actas ab senatu ponit, idque quo iure ponat membro parenthetico explicat.

Atqui haec cum uides) Sic ex B et E auctoritate scribendum putaui, quamquam hanc Ciceronis esse manum, pro certo adfirmare non ausim. Mira enim ceterorum codicum discrepantia, qui partim *eum cum* partim *cum* pro *haec cum* scribunt, et ipse uerborum sensus facit, ut non sine caussa quis uerba aliquot hic excidisse suspicetur. Uerborum, quae nunc leguntur scripta, haec est sententia: Cum uides, quam gratus in Plancium sim, quem negas salutis aut dignitatis meae ualde studiosum fuisse, quo tandem in te animo me putas esse, qui tam egregie de me sis meritus? Cfr. C. XXX. §. 73. Ceterum alteram scripturam. *eum cum,*

quam Manutius explicauit ita, *quom Plancium aspicis, cui gratiam nunc refero,* ferri plane non posse, non opus est, ut uerbo doceam.

Quam ego non — defugerem) Male Garatonius B et E scripturam *defugerim* probauit, quae sic tantum locum habere posset, si de eo, quod fecisset, Cicero exponeret. At uolt ille hoc dicere, nullum esse periculum, quod, si pro salute Laterensis subeundum esset, defugeret. Nondum enim Laterensis salus in discrimen erat adducta, ut defendi a Cicerone potuisset.

Quo quidem etiam magis sum — exercitus) Hanc sententiam secundum illos philosophos intulit, qui existimauerunt semper beatos esse sapientes, numquam miseros existimandos; ac siquid aduersi prudentibus eueniret, non poenam magis et calamitatem, quam exercitationem esse fortunae. SCHOLIA AMBROSIANA. Locus est grauis et a Stoicis saepe tractatus. Huc maxume, ne multa putide congeram, uerba illa faciunt ex Paradoxo II. *ut inprobo et stulto et inerti nemini bene esse potest, sic bonus uir et fortis et sapiens miser esse non potest.* GARATONIUS.

Leue enim onus benefici gratia) Lego, *leue enim est onus,* ut in Bau. [et in Erf.] et in meo codice. GARATONIUS. Male Garatonio adsensi sunt Orellius et Bakius, quorum posterior adfert de Off. II, 7, 5. *malus est enim custos diuturnitatis metus.* Quo ipso in loco rectissume Beierus plurumorum codd. auctoritate uerbum *est* eiecit. Confer etiam quae Proleg. L. II. C. I. §. 16. p. LVI. monuimus. Ceterum recte Bakius uerba *onus benefici* non, ut fecit Schutzius, *benefici gratia* coniungenda censuit. Sic C. XXX. §. 72. *onus benefici reformidant.*

Set quia saepe concurrit propter aliquorum de me meritorum inter ipsos contentiones, ut eodem tempore in omnis uerear ne uix possim gratus uideri) Bau. [et Erf.] addit *bene,* quod etiam sine librorum auctoritate, si adtentiores fuissemus, erat faciendum. Sic autem ille, *propter aliquorum bene de me meritorum.* Set quod habet [cum Erf.] *concurrunt,* id me uolgatae indormientem pupugit acrius et excitauit. Menckenio in Obseru. L. L. p. 154. satis fuit eam uim huic uerbo tribuere, quam habent *contingit* et *euenit.* At ea potius esse debuit, quam habet *congruit* aput Tacit. I. Hist. 7. *Forte congruerat, ut Clodi Macri et Fontei Capitonis caedes nuntiarentur.* Neque enim res una, quae accidit, *concurrere* dicitur, nisi cum alia in idem tempus incidat aut alia ratione conueniat. Quid est igitur, *concurrit, ut uerear?* Quid *uerear* additur, cum satis fuerit, *concurrit, ut uix possim?* Locum ille coniungit alterum ex II. de Diu. 68. *An tu censes ullam anum tam deliram futuram fuisse, ut somniis crederet, nisi ista casu nonnumquam, forte, temere concurrerent?* Illuc uero quadrat *euenirent,* cum significetur euentus, qui si cum somnio conueniat, res plane concurrunt duae. Locutio est exquisitior, ut in Homerico uersu XX. Odyss. 245. *οὐχ ἡμῖν συνθεύσεται ἥδε γε βουλή,* quo exitum consilio non responsurum dicit Amphinomus. Hanc ita imitatur Propertius III, 7 (al. 9.), 17., ut palmae, qui cursus felix est exitus, cum quadriga currentis imaginem acute proponat. *Est, quibus Eleae concurrit palma quadrigae.* Estne hic igitur poeticum aliquid, aut ullus ad euentum respectus, aut ulla rerum denique conspiratio? Immo uero concursus est contentionum inter homines bene de M. Tullio meritos, quo fit, ut duobus inter se contendentibus atque aduersariis eodem tempore gratificari non possit. Deleto itaque *propter,* quod ueriori lectioni concedat oportet, quacum ei conuenire non licet, ita suadente optumo codice locum constituamus: *set quia saepe concurrunt aliquorum bene de me meritorum inter ipsos contentiones, ut eodem tempore* etc.. Cfr. VII. ad Diu. 33. *quamquam*

uenis, ut ipse intellegis, in maxumarum quasi concursum occupationum. Garatonius. Egregie hunc locum Garatonius emendauit, qui hoc unum addere potuit, uerba *concurrunt aliquorum — contentiones* in hunc sensum esse dicta: ueniunt simul aliqui, qui inter se contendunt, ad me et sibi ut operam dem me rogant.

§. 79. *Set ego hoc meis*) Bau. *Set ego haec,* sane melius. Set unus Oxoniensis optume, *set ego meis* etc., cuius uellem maior esset auctoritas. Garatonius. Ego pronomen illut cur omiserim, dictum in Proleg. L. II. C. I. §. 16. p. LIII. est.

CAP. XXXIII.

Agitur studium tuum, uel etiam, si uis, existumatio, laus aedilitatis) Pro genitiuo *aedilitatis,* quem cum optumis libris B et E alii non pauci tuentur, uolgo nominatiuos scribebatur. „Sperabat Laterensis, Plancio dampnato aedilem se fore; eius ergo quodammodo agebatur aedilitas, quam praereptam sibi restitui hoc anno cupiebat, postea non petiturus, cum post repulsam uix quisquam in alium annum petiuerit. Necessariam enim non fuisse constat, Laterensi praesertim, qui uoluntatem petendo suam ostenderat. Habebat tamen splendorem ac laudem et suffragationem aliquam ad magistratus reliquos consequendos. Quibus ex rebus, addita obtinendi celeritate, illa existit, quae conmemorari optume potuit, *laus aedilitatis.* Huc autem illut facit, quod I. ad Diu. 7. alia in re dicitur, *multum interest, utrum laus inminuatur, an salus deseratur.*" Garatonius. Probauit Garatoni iudicium Orellius, addens, lectionem *laus aedilitatis* eo quoque nomine praestare, quod magis concinne terna membra utrobique sibi opponantur, nec satis apte iungantur *existumatio, laus, aedilitas.* Et recte hoc ab Orellio monitum puto. Quod autem Garatonius dicit, Laterensem sperasse, fore, ut dampnato Plancio aedilitatem consequeretur, ideoque recte quodammodo agi aedilitatem eius dici potuisse, hoc nullo modo puto probari posse. Primum enim illut, quod multi homines docti opinantur (cfr. Adami Antiquitt. Rom. T. I. p. 214. et Middletoni Histor. Rom. T. I. p. 165.), mandatos esse accussatoribus eos magistratus, quos conpetitores suos per ambitum adeptos esse euicerant, neque per se est probabile, neque ullo ueterum scriptorum testimonio confirmatur. Ne quis uero ex hoc ipso loco conligi putet posse, hoc obstat, quod, si certum fuisset, Laterensem adflicto Plancio aedilem fieri, nullo pacto Cicero inter uerba *studium tuum* et *existumatio, laus, aedilitas* haec interponere *uel etiam, si uis* potuisset; quibus uerbis manifestumst significari, Laterensi uideri fortasse etiam posse, existumationem suam, laudem, et aedilitatem agi. Quod dici non potuit, si ea obtinuisset consuetudo, ut reo dampnato accussator consequeretur magistratum, quem cum eo, qui ambitus accussatus erat, petiuerat. Isdem de caussis neque si *laus aedilitatis* scribitur ita hoc explicari potest, ut *agitur laus aedilitatis* sit: aut consequeris laudem, quam parit aedilitas, dampnato Plancio, aut non consequeris absoluto Plancio. Nihilominus istiusmodi explicationem flagitare uerbum *agitur* totaque huius loci sententia uidetur. Miserum se Cicero uel certe exercitum esse dicit (exeunte §. 78.), quod saepe amici, qui inter se contendant, ad se ueniant rogantes, ut sibi faueat et in controuersia, quam habeant, adiuuet. Quibus uerbis manifesto simul Plancium et Laterensem significabat, quorum uterque, de Cicerone bene meriti, ob eam ipsam caussam postulabant, ut in contentione sua ab eo adiuuarentur. Utrique cum debeat neque tamen opitulari simul possit, sic facturum se esse dicit, ut ponderet, utrius maxume intersit, a se adiuuari, uideatque, uter maxume patrocinio suo indigeat. Iam C. XXXIII. ineunte nemo non intellegit, ea conmemorari

debere commoda, quae unusquisque in hac caussa ex Ciceronis patrocinio capiat. Id sic facit orator, ut dicat: *Agitur studium tuum, uel etiam, si uis, existumatio, laus aedilitatis* (uel aedilitas): *at Cn. Planci salus, patria, fortunae.* Apertumst, postrema uerba, *agitur Cn. Planci salus* etc. in hunc esse sensum dicta: Cn. Plancius aut amittit salutem etc., si a me desertus condempnatur, aut retinet salutem etc., si a me defensus absoluitur. Eodem fere modo uerba *agitur studium tuum* dicta esse oportet. Ac *studium* quidem quid significet hoc loco, etsi nemo explicuit, tamen non est obscurum; denotat uehementem Laterensis cupiditatem uincendi in foro eum, a quo in campo uictus est. Itaque *agitur studium tuum* est: expletur studium tuum, si Planci caussam deserens ego tecum efficio, ut condempnetur, aut non expletur, si Planci caussam agens efficio, ut absoluatur. Porro *agitur existumatio tua* apte dictumst ita, ut significet: amittis bonam de te famam, si absoluitur Plancius, aut retines, si condempnatur. Nam uereri utique Laterensis debebat, ne male de se homines iudicarent, si ne in foro quidem uicisset eum, quem in campo superare iam debuisset, et iterum uictus ex iudicio discessisset. Aptissume additur *laus,* quippe quae consequi *existumationem* soleat. Cfr. C. XXIII. §. 55. *alia te ratio, alia cogitatio ad spem huius opprimendi excitauit: magnae sunt in te opes; late patet gratia; multi amici, multi cupidi tui, multi fautores laudis tuae.* Ante utramque uocem autem praeposuit Cicero uerba *uel etiam, si uis,* quod ipse neque in campo Laterensem iniuria a Plancio esse superatum, neque in iudicio debere uictorem discedere confiteri potuit. Sequitur uerbum *aedilitatis,* quod siue casu nominatiuo ecferatur, siue genitiuo, nullo modo cum reliquis uerbis conuenire uidimus. Itaque ego in ea sum sententia, ut *aedilitatis* ab interprete ad explicandam uocem *laudis* additum putem. Eo enim omisso totius loci sententia egregie se habet. Altera autem scriptura *aedilitas* orta ab iis librariis est, qui conpendium, quo genitiuos scribi solet, non intellexerunt; quod quam facile fieri potuerit, qui codices saeculo XIV et XV scriptos legerunt, conpertum habent.

Distineor tamen) Franc. pr. *distrahor,* quod pro uaria lectione habet margo cod. Barb. et nihilo deterius est. Coniungitur etiam *distrahere* cum *diuellere* infra c. 42. pro Sulla 20. et I. de Fin. 16. Garatonius. Immo ne dici quidem *distrahor et diuellor dolore* potuisse, illi ipsi, quos Garatonius adtulit, loci aliique multi abunde docebunt. Accedit, quod libri Franci, saepius interpolati, nullast auctoritas.

In caussa dispari) Tu enim perdere Plancium uis, ego conseruare. Manutius. Non recte; caussam disparem dicit, in qua longe alia Laterensis atque Planci condicio sit, cum Laterensis ex condempnatione Planci leuia quaedam commoda consequatur, Plancius autem dampnatus salutem, patriam, et fortunas amittat.

Salutem pro te abiecero) Sic utique legendum. Nam *obicere salutem pro aliquo* non addito, cui obiciatur, ut discriminibus, hostibus, contentionibus, latinum os respuit. Graeuius. Adfert Garatonius III. ad Att. 19. *Nusquam facilius hanc miserrumam uitam uel sustentabo, uel, quod multost melius, abiecero.* Quo in loco simul ad discrimen futuri et futuri exacti adtendendumst, ut intellegas, cur hoc loco *abiecero* et *tradidero* a Cicerone sit dictum.

§. 80. *Etenim* etc.) Primo aspectu haec uideri possunt non satis cohaerere cum antecedentibus, tamquam Cicero, si Laterensi faueat, ingratum se dicat esse. Uerum hoc dicit: Laterensis leuia incommoda esse, si uincatur, Planci grauissuma, qui dampnatus salutem, patriam, et fortunas perdat. Huius igitur, a quo ipse seruatus sit, non posse salutem a se deseri, nisi si homo sit ingratissumus.

Omnibus uirtutibus me adfectum esse cupio) De constructione *me adfectum esse cupio* uidesis Beierum ad Cic. de Offic. I, 19. p. 151. Orellius. Magis uolgato uerborum ordine placet is, qui est in cod. Erf., *omnibus me uirtutibus*, quem restituissem, si alii tuerentur libri.

Quam me et gratum esse et uideri) Etsi Proleg. L. I. C. III. §. 10. unice Erfurtensis libri scripturam *et esse gratum et uideri* probaui, tamen postea cum mihi rectius etiam Cicero *gratum et esse et uideri* scribere potuisse uisus esset, retinendam ut in re dubia uolgatam scripturam putaui.

§. 81. *Cui non locus ille mutus, ubi altus*) Cfr. quae de scriptura huius loci Proleg. L. II. C. I. §. 15. monuimus.

Ubi altus aut doctus est) Quom Naugerio *altus* exhibenti Priscianum esse auctorem monuerim, eumque sequi cum Ernesto maluerim, de latinitate festinans quaerere praetermisi. Ernestus enim *alitum* sordis uocat antiquariorum. Atqui Uossius, uir latine doctissumus, III. de Anal. 28., quod inde per syncopen *altus* extiterit, ualde probat. Priscianum tamen audiamus p. 897.: *Ab alo tam altus quam alitus dicitur. Cicero pro Plancio, ubi altus est. Sallustius in Iugurtha, et omnem aetatem Arpini altus. In quibusdam autem codicibus etiam alitus inuenitur.* Sallustine unius, an etiam Tulli? nam profecto haut recens est in Tullio uarietas. Sallusti locus est Iug. LXIII, 2. de C. Mario. *Set is natus, et omnem pueritiam Arpini altus.* Sic edidit Cortius ex codicibus suis uetustioribus, sic Hauercampius p. 227. adsentientibus Riuio et Wassio, sic ex Erlangensi codice noster Harlesius. Tamen *alitus* Cortio uidetur stili Sallustiani commendatione probabilior. Charisium citat p. 220., ubi nihil is aliut, nisi utrumque rectum esse nullo addito exemplo testatur. Set Diomedes p. 371. *Alor, aleris, altus sum. Sallustius, Arpini altus. Melius est tamen dicere uitandae ambiguitatis gratia alitus. Nam et alimenta dicuntur.* Sane metus ille miseri est pusillique Grammatici. Liuios XXX, 28. de Hannibale dixit, *alito atque educato inter arma,* quod in codicum perpaucorum dissensu retinuit Drakenborchius. At tanto antiquior Plautus Rudente III, 4, 56. *Athenis natus altusque educatusque Atticis.* Ita in libris omnibus. Qui prisca quaeque consectabatur, M. Uarro aput Non. p. 237. Merc.: *Sedens,* inquit, *altus alieno sumptu.* Denique Cicero in Bruto c. 10. et VI. Epist. 1. *nata et alta.* Priore loco nihil uariatur, ne aput Schneiderum quidem, et Schutzium; altero duo soli codices aput Graeu. *alita,* et reliqui ducem habent optumum illum Mediceum. Constanter itidem II. de N. D. 46. *altae renouataeque.* Ex hisce omnibus ita statuendum uidetur. Quom id Sallusti codices optumi non exhibeant, quod magis Sallustianum existumatur, Plautum antiquioresque tamen illum sequi; quom Ciceronis hic meliores et plurumi alterum habeant, cui consuetudo ipsius aequaliumque repugnat, ab aliena illut esse manu; Augusti demum tempore *alitum* inualuisse, quod inlustres Grammatici extiterint, qui ex analogia hoc praeferendum docuerint. Itaque post Liuiom quater adhibuit *alitum* Ualerius Maxumus librariis tam lubentibus, ut priore tantum loco III, 4, 4. aliquid sit uarietatis, idque ab re nostra plane alienum. Garatonius.

Nulla extare possunt) Male Graeuius, quem secutus Ernestius est, ex cod. Erf., quocum B aliique faciunt, pro *nulla* scripsit *nullae,* ad *opes* referens. Hoc enim dicit Cicero, neminem officia aliis praestare, nisi eos, quibus praestet, memores eorum et gratos fore persuasum habeat. Contra Ernestium praeterea, qui temere *officia extare* recte dici negauit, Huldricus hos locos adtulit: C. I. §. 2. huius or. *cuius non extet in me summum meritum.* de Amic. c. 7.

si quando aliquod officium extitit amici. de Diuin. I, 52. *sine oculis non potest extare officium et munus oculorum.*

Nihil porro tam inhumanum, tam inmane, tam ferum) Est aput Eybium *nihil porro tam inane, tam ferum;* duo nempe uocabula coaluerunt. Set quid, si ex superscriptione aliqua uel adscriptione profectum istut *inmane* sit? est enim uerbum pro re nimis profecto graue. Dixerat, *nihil tam proprium hominis existumo;* in oppositione satis erat dicere, *nihil porro tam inhumanum.* Addere placuit *ferum,* quod ut *ἄγριον,* mollius interpretari licet. Quamquam in uno Oxoniensi aptius est *ferreum,* quod facillume in *ferum* conmutari potuit. Coniunguntur *ferus* et *ferreus* I. Epist. ad Q. fr. 5. suntque uersus Tibulliani notissumi I, 10, 1. *Quis fuit* etc.. Set quom abesse debeat ab hac sententia crudelitas, propius accedit locus V. in Uerr. 46. *Quis tam fuit illo tempore durus et ferreus, quis tam inhumanus praeter unum te* (cui nempe *χάλκεον ἦτορ*), *quin illorum aetate, nobilitate, miseria conmoueretur?* Cur ibi non est *inmanis?* Lubenter itaque hic legerim, *nihil porro tam inhumanum, tam ferreum.* Non ita mihi tamen indulgeo, ut hoc ipsum *inmane* interpretando mitigari posse dissimulem. Est enim Partitionum cap. 23. *inmanitas* pro duritie quadam et asperitate naturae, quae *temperantiam in aspernandis uoluptatibus imitetur.* Hoc autem si retinemus, ut omnes libri iubent, eo magis *ferreum* mihi adprobatur, quod mitiorem adiuuat interpretationem uerbi tam saepe grauissumi. Garatonius. Inutilest, eiusmodi ingeni lusus, qualis hic est Garatoni, multis refutare. Sufficit monnisse, rei exaggerationem huic loco accommodatissumam esse, deinde nullam nec Eybi nec codicis illius Oxoniensis esse auctoritatem, denique frequentissume a Cicerone uerba *inmanis* et *ferus* conponi solere. Cfr. pro Rosc. A. XIII, 38. *mores feros inmanemque naturam.* Ibid. L, 146. *quae tam fera inmanisque natura?* II. in Uerr. II, 21, 51. *hostis in ceteris rebus nimis ferus et inmanis.* Ibid. V, 42, 109. *an cum fera atque inmani belua?* XIII. Phil. c. 9. *quis tam barbarus umquam, tam inmanis, tam ferus?* de Off. I, 44, 157. *itemque magnitudo animi remota conmunitate coniunctioneque humana feritas sit quaedam et inmanitas.* Ibid. III, 6, 32. *sic ista in figura hominis feritas et inmanitas beluae.*

Set uictus) Plane ut nullam amplius referendae gratiae opportunitatem quaeras. Weiskius.

§. 82. *Isti tuo crimini*) Qui me nimium in Plancium gratum dicis esse, idque mihi crimini uertis. Cfr. C. XXXII. §. 78. *quod me esse gratum crimineris.*

Ut eum beneficio conplectamini) De se ipso dicit; beneficium autem, quod petit, Planci salus est. Manutius.

Neque enim illut ad neglegendam meam gratiam debet ualere) Ut neglegatis meam gratiam, i. e. ut recussetis me beneficio conplecti et ita gratum in uos facere. Modo enim dixerat, se, quod nimium gratus esset, beneficio potius a iudicibus esse adficiendum. — Ceterum cur *illut* ex B et E receperim, Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XLII. dixi.

Uos nec nocentis nec litigiosos esse) Explicat haec ipse Cicero uerbis, quae secuntur, *quasi uero* etc.. Laterensis enim sententia haec fuit: Cicero tantum gratus in eos est, qui eius ope in iudiciis indigent. Non egent autem, nisi qui nocentes aut litigiosi sunt. Qui enim nocens non est, hominum eloquentium defensione parum indiget; qui lubenter non litigat, ei de oratorum gratia laborandum non est. Uos igitur, qui nec nocentes nec litigiosi sitis, gratiam Ciceronis neglegere potestis, cum nulla ei offerri occasio possit, qua gratum in uos animum ostendat.

Quo minus me aput uos ualere oporteret) Weiskius pro *oporteret* lego, inquit, *oportere*. „Sine caussa: nam *quo minus — oporteret* inuidiosa est interpretatio aculei, quo Laterensis eum, illut dicens *uos — litigiosos esse*, pupugerat; non ipsius aduersari oratio.“ ORELLIUS.

CAP. XXXIV.

§. 83. *Te idcirco in ludos caussam coicere noluisse*) Pro *ludos* uitiose libri plerique *locos*. „Quis dubitet *ludos* legendum esse, circensis nimirum, in quibus thensae ducuntur? Quamuis res ipsa, quae in illis ludis gesta est, ut hic a Laterense eius fiat mentio, sit obscura.“ GRAEUIUS. *In ludos*, nimirum Circensis, in quibus thensae, seu sacra quaedam uehicula, a signo Uertumni in Circum maxumum ducebantur, onusta deorum imaginibus; aedilium autem erat, thensarum et pompae illius uiam curare. LALLEMANDUS. Historia ignoratur; unde totus locus obscurior est. Sensus est, te noluisse momentum ponere caussae demonstrandae in ludis, ne mihi opportunitatem dares loci conmunis tractandi de thensis. *Locos*, quod in omnibus edd. uett. est, interpretantur *conmunis*. Set in eos non coicitur caussa. Uitium ortum est e uicinia illius uerbi, et alibi quoque illa uerba permutata reperimus. ERNESTIUS. Nimirum Laterensis epilogos Ciceronis cauillaturus, negabat se caussam hanc uoluisse coicere in tempus ludorum, ne si forte thensarum pompa duceretur, Cicero inde occasionem arripere posset misericordiae concitandae. SCHUTZIUS. Fateor equidem ingenue, me neque uerborum *in ludos caussam coicere* sensum omnino intellegere, neque huius totius membri, quod uerbis *sine thensis autem quid potero dicere* finitur, quae sit sententia, diuinando potuisse adsequi. Hoc unum certissumumst, falsam esse Schutzi huius loci explicationem. Nam etsi eo fere tempore haec habitast oratio, quo celebrari ludi Romani consueuerunt, quod Proleg. L. III. C. I. §. 2. demonstraui, tamen uerba *in ludos caussam coicere noluisse* Schutziana ratione tribus de caussis explanari nequeunt. Prima haec est, quod, si ante ludos Romanos caussa acta fuisset, secundum Latinorum loquendi consuetudinem *caussam reicere* debebat dici. Id ipsum uero non magis potuit a Laterense dici quam id quod scriptumst, siquidem inauditumst, in ipsis ludis Romanis iudicium de sodaliciis exerceri licuisse. Tertia eaque grauissuma caussa positast in sensu uerborum: *deridebor, si mentionem thensarum fecero, cum tu id praedixeris*. Nam si, quae est Schutzi sententia, propterea iudicium illut ante ludos Romanos postulante Laterense habitumst, ne Cicero, si, quod ludis Romanis fieri solebat, thensarum pompa forte duceretur, ex ea re occasionem misericordiae conmouendae arripere posset, profecto nunc, cum ante ludos caussa ageretur, omnis ei potestas, de thensis dicendi et misericordiae mouendae, praerepta fuisse necessario existumari debet. At non fuisse praereptam, manifesto ex uerbis, *deridebor, si mentionem thensarum fecero, cum tu id praedixeris*, apparet, quae apertissume pugnant cum uerbis praecedentibus, si ea in eum sensum, quo Schutzius uoluit, dicta accipiuntur. Immo ex his hoc quidem summò iure conligi potest, uerborum *in ludos caussam coicere noluisse* eam fere debere sententiam esse, quam exposuit Ernestius, etsi illut me fateor non intellegere, quid sit, quod Laterensis dicat, de ludis se noluisse loqui. Hoc igitur inlustrent alii.

In aliis aedilibus) Quos anno superiori, item de ambitu accussatos, cum defenderet, facta thensarum mentione misericordiam conmouit. MANUTIUS. Anno superiori ne facti quidem aediles erant. Cfr. Proleg. L. III. C. I. §. 2..

Sine thensis autem quid potero dicere) Iocus Laterensis de thensis locum habebat uerbi caussa etiam in istis Act. V. in Uerr. 72. *omnesque di, qui uehiculis thensarum sollemnis coetus ludorum initis*. Orellius.

Hic etiam addidisti, me idcirco mea lege exilio ambitum sanxisse, ut miserabiliores epilogos possem dicere) Uaria cauillatione Laterensis exeruerat asperitatem stomachi sui in M. Tullium, ut etiam ea, quibus illius oratio maxime floruit, eleuare . . . [1]) perseueraret. Nec ignoramus auctore ipso Cicerone et C. Antonio cons. legem seueriorem de puniendo ambitu scriptam, cuius meminit pro Murena. Nam clementior aliquatenus uidebatur lex fuisse Calpurnia. Hic ergo mutuatus est occasiunculam quandam amarius lacessendi, ut uideretur atrociorem poenam eapropter aduersus ambitum decreuisse, ut pro reis multo lacrimosius peroraret. Non minus tamen urbane et ipse respondet, denotans nimiam Laterensis et immoderatam contumeliosae audaciae insulsitatem dicendo: sed haec nescio quomodo frequenter in me congessisti, saneque in eo creber fuisti. Ut haec inmodica creber fuisti, et ab inpudentiae temeritate uenientia! [2]) Scholia Ambrosiana. Profecto recenti adhuc sua lege cum pro Murena diceret, hac eius legis poena c. 41. usus est ornatissume ad misericordiam iudicum excitandam. A. Maius conferendam esse adnotationem eiusdem hominis intellexit ad orationem pro P. Sulla cap. 5. p. 70. [p. 129 sq. ed. sec.], ubi haec leguntur: *Damnati lege Cornelia hoc genus poenae ferebant, ut magistratuum petitione per decem annos abstinerent. Aliquanto postea seuerior lex Calpurnia et pecunia multauit* (est in cod. *multa fuit*) *et in perpetuum honoribus iussit carere damnatos. Habebant tamen licentiam Romae morandi. Postea iam damnatis Sulla et Antronio poenam de ambitu grauiorem consules C. Antonius et Cicero sanxerunt, ut praeter haec ueteribus legibus constituta etiam exilio multarentur.* Iam leges ambitus conlegit Sigonius II. de iudiciis 30., de isdem multa perdocte Manutius in libello de Legibus cap. XXVIII.; aliquid tamen de hac lege Tullia nobis adiciendum uidetur. Fontem, ex quo manarit, demonstrat Asconius p. 977. ed. Graeu., dum argumentum eius orationis enarrat, quam Cicero consularis candidatus habuit in senatu: *Quom in dies licentia ambitus augeretur propter praecipuam Catilinae et Antoni audaciam, censuerat senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur. Ei quoque rei Q. Mucius Orestinus tribunus pl. intercesserat; quom Cicero, grauiter senatu intercessionem ferente, surrexit atque in coitionem Catilinae et Antoni inuectus est ante dies comitiorum paucos.* Postero anno res eadem in senatu acta est et ex eius auctoritate perfecta; cum quidem uir praestantissumus atque grauissumus, Ser. Sulpicius, consulatum peteret aliorumque ambitu excluderetur. Is itaque ut lex ferretur lubente senatu uehementer instabat. Cui Cicero pro Murena c. 23.: *Legem ambitus flagitasti, quae tibi non deerat: erat enim seuerissume scripta Calpurnia.* Atqui Tullia ipsa seuerior ambitum non repressit. *Gestus est mos et uoluntati et dignitati tuae.* Cum quidem hanc legem patres necessariam iudicarent. Praeter exilium porro duo alia capita memorantur: *poena grauior in plebem,* nempe in sequestris aliosque ambitus administros, quos

---

1) Spatium esse in codice unius uocabuli A. Maius monet.

2) Uidit Niebuhrius, cum exclamatione haec dicta esse.

etiam lex Calpurnia puniebat; deinde *morbi excussationi poena addita est,* quod est etiam post Ernesti declarationem obscurum. Illut inprimis mihi adnotandum, quod ad hanc orationem maxume pertinet. *Idem editicios iudices esse uoluisti, ut odia occulta ciuium, quae tacitis nunc discordiis continentur, in fortunas optumi cuiusque erumperent.* Hoc numeratur in iis, *quae mea,* inquit, *summa uoluntate senatus repudiauit.* Huccine igitur illut pertinet, quod supra uidimus c. 17. *nuper clarissumi ciues nomen editici iudicis non tulerunt* etc.? de re certe ibi agitur, quae ante Liciniam legem acciderit. Set turbant sequentia, *omniaque potius permiscuerunt,* *quam ei legi condicionique parerent.* Itaque iudices editicios bis repudiatos existumare licet, semel Ser. Sulpicio eos postulante, iterum ignoto alio tempore, set posteriore, antequam tamen Crassus inponeret. Garatonius. Ceterum exilium, quo ambitus damnati lege Tullia multabantur, erat decennale. Cfr. Dio Cass. Lib. XXXVII. c. 29..

Mea lege exilio ambitum sanxisse) Ita sagaciter Garatonius ante repertum codicem Ambrosianum pro corrupta reliquorum codicum scriptura, *mea lege ex illo ambitu traxisse,* legendum uidit. Confirmauit coniecturam eius non solum cod. Ambr., set etiam Arusianus Messius, ex cuius elocutionum exemplis Garatonius in Praef. ad Uol. VII. ed. Neap. p. X., codice Neapolitano usus, haec protulit: „Nunc aput Arusianum haec inuenio: *Sentio de te bona. Cic. in Catil. III. Qui omnia ec. Sensi crimen ex illo. Cicero pro Syl. Addidit me idcirco mea lege ex illo ambitum sensisse. Sancio peccatum supplicio. Cic. pro Syl. Noli obseruantiam sancire poena. Sitiens illius rei. Cicero pro Sylla. Sitientem me uirtutis tuae.* Hi tres loci pro Plancio sunt, non pro Sulla; postremus c. 5. medius c. 19. priori similis, de quo agimus. Quartum superiorem adiunxi, ut pateret, quid caussae fuisset, cur *sensi* pro *sanxi* et *sensisse* pro *sanxisse* in Arusiano describendo inperiti ponerent; quos abripere antecedentia, latere autem solebant, quae sequebantur." Ceterum librariorum error, pro *sanxisse* scribentium *sensisse,* eo facilior fuit, quo saepius antiquis temporibus *sansisse* pro *sanxisse* scriptum est. Sic Ambr. palimpsestus pro Sulla p. 150. ed. Mai. sec. *sanserunt* scribit.

Epilogos possem dicere) Male Garatonius pro *dicere,* quae est consentiens omnium codicum scriptura, ex edd. uett. *elicere* restituendum putauit.

Non uobis uideor cum aliquo declamatore, non cum laboris et fori discipulo disputare?) *Declamatori,* non ei, qui aliquando declamitat, set qui eam rem profitetur, certe qui nondum adtigit forum, sententiolas captanti et inania ecfundenti opponitur *laboris et fori discipulus,* qui ueris in caussis multo cum labore uersatus, forum premendo et agendo, argutias pompamque inanem abicere, solidiora persequi usu, commentatione (scriptionem addas licet) debuit esse perfectior. Neque uero inparatis et indoctis adfert omnia forensis labor. Ipsum de se Tullium audi in Bruto 90.: *Tum primum nos ad caussas et priuatas et publicas adire coepimus, non ut in foro disceremus, quod plerique fecerunt, set ut, quantum nos efficere potuissemus, docti in forum ueniremus.* Set aliis domi educata nutrimentis eloquentia ipsa se in foro colorat et roborat, si huc transferre licet egregium Tulli dictum in Orat. 13.. Dubitari non posse arbitror, quin multa doceat acies et dimicatio forensis. Adde oratorum, qui maxume in caussis excellunt, imitationem, de qua est locus II. de Orat. 21.. Ea in foro ita tentatur atque perficitur, ut quae umbratili exercitatione paraueris, maturiora fiant et emendatiora. Set hic non de tota perfectaque agitur eloquentia, quae domo magis in forum, quam e foro domum adfertur. Dictum illut Laterensis, quod modo exposuimus, reprehenditur tamquam declamatorium et putidum. Tu, inquit, cum sis *laboris et fori discipulus,* non ludi atque palestrae,

quid forum deceat, nosse debes; si nihil aliut, certe usus, adsiduitas, laborque forensis docere te debuit, huiusmodi argutias esse mittendas. Tum aliut Laterensis dictum huic tam concinne subiungit, ut de sua ipse facultate dicendi recusset loqui, Laterensem inludat, quasi quod uel in foro dicere potuerit, discendum Rhodi putarit. *Rhodi enim, inquit, non fui.* Rhodii autem oratores dicuntur in Bruto 13. *saniores et Atticorum similiores;* seque ibid. 91. ait Cicero a Molone Rhodi correctum melioremque ac sobrium esse factum, hominemque laudat, *quom actorem in ueris caussis scriptoremque praestantem, tum in notandis animaduertendisque uitiis et instituendo docendoque prudentissumum.* Garatonius. Bau. [cum E et Pc] pro *uideor* habet *uidetur;* quae uarietas totam sermonis rationem conuertit, et quod antea de Laterense dicebatur, ad Tullium transfert, idque sane quam probabiliter facit. Quae igitur olim ad haec explauanda contulimus, in alteram partem conuertenda sunt, si Bau. unius at praestantissumi in optuma lectione potior est fides. Modeste se ipsum Cicero *laboris et fori discipulum* uocat; Laterensem declamatorem esse non dicit, set eum *cum declamatore disputare uideri,* dum argutias declamantium consectatur. Quam tecte, quam molliter! In Orat. c. 15. *non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro, set doctissumum et perfectissumum quaerimus.* Deinde non dicit, set suspicandum relinquit, Laterensem se Asiaticum oratorem facere, non Rhodium, h. e. saniorem, ut olim ostendimus, et Atticis similiorem; cum tamen, ut recte intellexit Ferratius, eloquentiae ille suae tenuitatem excusset, quod non ad eam perdiscendam Rhodi, set ad militiam exercendam bis in Bithynia fuerit. Idem. Ex tota Garatoni disputatione uerbosa ea tantum ad intellegendum hunc locum faciunt, quae de uerbis *declamatoris* et *laboris et fori discipuli* disputauit. Reliqua partim aliena sunt, partim non recte dicta. Uehementer autem errauit Bakius, uolgatam scripturam *uideor,* pro qua in B, E, et Pc rectissume *uidetur* est, tuendam iudicans. Si *uideor* legitur, Cicero Laterensem dicit uideri debere declamatorem, non laboris et fori discipulum esse; sin *uidetur* legitur, Cicero semet ipsum secundum ea, quae Laterensis disputet, declamatorem, non laboris et fori discipulum uideri debere ait. Iam uero uolgatae scripturae sententia primum propterea alienissuma ab hoc locost, quod in toto hoc capite non Cicero Laterensi, set Laterensis Ciceroni declamandi studium et artem obicit, Ciceroque tantummodo ad ea respondet, ex quibus Laterensis eum declamatorem esse intellegi posse monuit. Exprobrauit enim primum, quod flebilis epilogos facere soleret, quod ipsum declamantis est, deinde quod nimium multos defenderet eodem illo declamandi studio abreptus, denique §. 85. quod facetiarum cupidissumus esset. Porro aliena illa sententiast propter sequentia, *Rhodi enim, inquit, ego non fui,* etc.; quibus manifestumst Laterensem hoc dicere noluisse, Ciceronem profecto artem declamatoriam consequi potuisse, quippe qui, ut ea erudiretur, Rhodum ad Apollonium Molonem profectus sit. In quibus uerbis omni sensu particula *enim* careret, si *uideor* legeretur. Postremo per se inepta illa sententiast, quod Laterensis nec declamandi artem callebat, nec laboris aut fori discipulus erat. Itaque nec laudis quicquam nec uituperationis in Laterensem ex ista sententia redundasset. Contra Cicero cum iure se posset laboris et fori discipulum praedicare, aegre debebat ferre, ita secum Laterensem disputare, ac si meram declamandi artem didicisset.

§. 84. *Rhodi enim, inquit, ego non fui: me uult fuisse*) Et uerissime constat in prima adulescentia Rhodum nauigasse M. Tullium, ut arte oratoria, in qua insigniter praestitit, erudiretur aput notissimum rhetora et magistrum illius aetatis Apollonium, [est] qui Molo cognominatus est. Scholia Ambro-

SIANA. Haec, sicut et superiora, ad summam Ciceronis facundiam et singularem in permouendis auditoribus facultatem referuntur, quam maxume aduersarius, ne sibi in caussa noceret, metuebat. Caussam porro adfert timoris sui: non enim ego, inquit, Rhodi fui, ut praeceptis rhetorum institutus quam maxume paratus ad subsellia iudicum accederem. Fui bis in Bithynia, non eloquentiae, set rei militari operam daturus. Cicero, Sulla rem publicam obtinente, uenit in Graeciam, et Athenis aliquamdiu conmoratus inde in Asiam et Rhodum nauigauit, ut clarissumos rhetores, qui in iis locis erant, conueniret; praecipue Rhodi Apollonium Molonem excellentissumum dicendi magistrum et Possidonium philosophum audiuit. Plutarch. in Cic. c. 4.. In Bithynia uero quantum per multos annos bellum fuerit, cum rege Mithridate a Sulla, Murena, Lucullo gestum, a Pompeio confectum, omnes historiae testantur; cui bello Laterensem adfuisse probabilest. *Et tu in Bithynia summa cum dignitate fuisti et ego Rhodi non minore.* Nimirum non in eloquentia minor, quam in scientia rei militaris est dignitas; duaeque res illae sunt, quibus pariter et res publica nititur et uiget inperium. Oratorie, ut Laterensis petitionem declinet, dissimulat, quod ad suam in caussis agendis praestantiam pertinebat, dignitatis artem, quam profitebatur, tuetur. FERRATIUS. Est iocus in Ciceronem, qui Rhodi aput Molonem se exercuerat, unde illam copiam in locis conmunibus et redundantiam hauserit, propter quam Asiaticus dictus est ab inimicis. ERNESTIUS.

Ego non fui) Qua auctoritate *ego* addiderim, Proleg. L. I. C. III. §. 2. monitum.

Set fui, inquit, Nicaeis, putabam in Uacaeis dicturum, bis in Bithynia) Sic aliquot Pall. a manu secunda; a prima uero omnes destituebantur illo *Nicaeis*, quod neque in olim cusis: postea enim editi, *set fui, inquit, putabam in Nicaeis dicturum, bis in Bithynia.* GRUTERUS. Haec quoque sunt contaminatissuma, quibus purgandis meliores codices sunt expectandi. Uidetur Cicero scripsisse, ut licet ex uestigiis Pall. conligere: *Set fui Nicaeae: putabam in Uaccaeis dicturum: bis in Bithynia.* GRAEUIUS. Iocus, opinor, ac derisio subest. Ut enim Cordubae nati poetae, ita forte Uaccaei oratores male audiebant. Uide pro Archia c. 10.. Fuisse Uaccaeos dicit Harduinus ad Plin. III, 3. in eo tractu, qui Salmanticam inter et Tamoram interiacet. OLIUETUS. Edd. pr. non habent *Nicaeis* [quod Gruterus ante *putabam* posuit], primus Uictorius; omisitque Graeuius. Set id nomen abesse non potest, quia in sequentibus Nicaea memoratur, et illa detorsio uerbi in *Uaccaeis* id desiderat. Sine dubio autem scribendum *Nicaeae*, ut et Graeuio uidebatur. Terminatio mutata est e uerbo *Uaccaeis.* In fine autem puto delendum *in Bithynia,* quod manifesto est a glossatore. *In Uaccaeis* per inrisionem sic dixit, ut Trebatium in Epistulis uocat ICtum praestantissumum Samarobriuis ad Diu. VII, 2., ut recte uidit etiam Oliuetus. ERNESTIUS. Locum corrupit Gruterus addendo *Nicaeis,* quo loco id pauci habent Msi ex manifesta inperitorum audacia, cum recte idem abiecerit, ubi pro *Uaccaeis* male erat positum in edd. Naug., P. Man., Gryph., C. Steph., et in repet. Lamb.. Ei Uerburg. et Lall. obsecutos miror. Illa uero tam infirmo fundamento nixa emendatio *Nicaeae* quin corruat, abesse non potest. Primus illius auctor Lamb. dedit: *Set fui, inquit, (putabam in Uaccaeis dicturum) bis Nicaeae in Bithynia.* Graeuium secutus Ernestus, *Set fui, inquit, Nicaeae (p. in U. d.) bis;* tum inclusit uncis *in Bithynia,* et glossema certissumum putauit. Set neque Cicero solitarium eo loco *bis* posuisset; neque, ubi abundat alterutrum, illut potius eiecerim, quod in Msis est omnibus, quam quod leuissumo est indicio cognitum atque incertissumo. Abundat autem profecto *Nicaeae:* quis enim Bithynia conmemorata Nicaeam statim cum Rhodo conparari miretur? Quam denique bella sit adnominatio

lususque *Nicaeae, in Uaccaeis*, alii uiderint. Ego sequor optumos et plerosque codices. Liuios in fragm. p. XXXI. *Segouiam et in Uacceorum* (h. e. *Uacaeorum*, quod optume U. C. Iuuenat. adgnouit, ut in Polyb. III, 14. edi *Οὐακκαίους* uideo) *gentem misit*, quomodo lapis Grut. CCCXXIV. 10. EX GENTE UACCAEORUM. Eam gentem ex XVIII. ciuitatibus constitisse tradit Plin. H. N. III, 3. Idem Liu. XL, 47. *ut in Uaccaeos per Lusitaniam iret Albinus* etc., et propius ad huius loci formam XXI, 5. *Hannibalem regressum ex Uaccaeis:* idemque Plin. XVI, 39. *in Hispania maxumeque Uaccaeis*, quod ex uestigiis Msorum eruit Harduinus, quae sunt eadem in ed. Taruis. et in cod. Barb. n. 754., similiterque hic *eis* auolsum uides in Erfurtense. Singulare est, quod in aliis esse nescio quibus Tulli Msis ait Iannoctius, *in Uacerratis;* quibus uestigiis innixam profert Francisci Pucci hanc, quae mihi placet admodum, coniecturam, *putabam in Uacci pratis dicturum*. Notissuma sunt *Uacci prata*, quae Romae in Palatio fuerunt, ex c. 38. pro domo et Liuio VIII, 19. GARATONIUS. Uerborum lusum, adnominationem etiam, si ita uis, non magis bellam, ubi per se spectetur, quam placitam h. l. Ciceroni, reuera latere in miseris istis corruptelis, aduersus Garatonium nimis seuerum talium deliciarum iudicem, etiam atque etiam contendo: nam uel eiusmodi nugas non semper detrectasse Tullium, inlustri documento est subobscena eius cum Clodio altercatio, quam cum gloriola quadam refert Attico Epist. I, 16.; item similis plane huic lusus ad Attic. II, 1.: *Fauonius dixit ita, ut Rhodi uideretur molis potius, quam Moloni operam dedisse.* Alioqui cur tandem inter omnis gentis barbaras unos Uaccaeos potissumum delegisset, quorum nomine risum auditoribus exprimeret? Sic aput nos si quis talia captaret, iocari posset in poetam de triuio, eum ex notissumo illo *Kuhländchen* oriundum esse, cuius incolae poetica sane indole praediti esse perhibentur. Longe melius itaque Ernestius in toto hoc loco uersatus est, nisi quod cum Lambino scribendum erat: *set fui inquit — putabam in Uaccaeis dicturum — bis Nicaeae.* omisso tamen *in Bithynia*, quod h. l. e glossemate omnino profectum est. ORELLIUS. Miror, post ea, quae sapienter Garatonius monuit, tam peruerse iudicare Orellium de hoc loco potuisse. Ac primum quidem rectissume Garatonius inter *inquit* et *putabam* nomen *Nicaeae* posse recipi negauit. Nullast enim paucissumorum codicum illorum, qui habent, auctoritas. Accedit, quod uerba, quibus locus, in quo se fuisse Laterensis dixerat, describebatur, manifesto sequi post uerba *putabam in Uaccaeis dicturum* debent, certe, id quod caecus uideat necessest, nullo pacto interiectis illis *putabam — dicturum* seiungi a se inuicem potuerunt.

Neque uero quod Lambino auctore Orellius fecit, qui nomen *Nicaeae* post *bis* addidit, *in Bithynia* ratus glossam esse, ullo modo probari posse concedo. Nam etsi super nomen *Nicaeae*, si fuisset a Cicerone scriptum, explicandi caussa *in Bithynia* poni, eaque glossa, quod saepius factum, uox genuina exturbari potuit, tamen primum recepto eo nomine quid lucremur, nihil intellego. Recte enim monuit Garatonius, conmemorata Bithynia neminem potuisse mirari, quod in sequentibus Nicaea cum Rhodo conparetur. Deinde, quae res maxume inpulit Orellium, ut nomen *Nicaeae* restituendum arbitraretur, si adnominationem quandam lusumque uerborum Cicero hic quaesisset, profecto formae *Uaccaeis* nomen eiusdem terminationis respondere et populo populus opponi debebat. Iam uero *Nicaeis*, quae sola forma congrueret cum *Uaccaeis*, scribi non potest, cum ciues illius urbis non *Nicaei* set *Nicaeenses* et appellati sint (cfr. Cic. ad Diu. XIII, 61.) et appellari debuerint. Immo ex uerbis *in Uaccaeis* illut denuo confirmatur, minume sollicitanda uerba *in Bithynia* esse, cum hoc certe maxume probabile sit, Ciceronem, si aliqua modo ratione fieri potuit (potuisse autem fieri iam

uidimus), ciuitati ciuitatem potius quam urbem, quo melius sibi uerba opposita responderent, oppositurum fuisse. Itaque id unum restat, ut de uerbis *in Uaccaeis* ac de aculeo, qui huic loco subesse debet, uideamus. Errare autem Garatonium, qui pro uerbis illis cum Francisco Puccio *in Uacci pratis* scribendum suasit, sponte ex iis, quae de totius loci sententia expositurus sum, intellegetur. Exprobrauerat Laterensis Ciceroni qua pollebat declamandi artem, quam se utique ignorare nec posse callere iactauerat, ut qui non Rhodi fuisset, ubi disci ea soleret, set —. Hic quid magis debebat expectari, quam eo in loco se fuisse Laterensem dicere, in quo non modo non disci ars illa, set adeo dedisci ars recte loquendi possit?. Eiusmodi igitur loci nomen necessario debet positum esse in uerbis a Cicerone interiectis. Iam si praestare scripturae uolgatae *in Uaccaeis* ueritatem possemus, statuendum esset, et Laterensem fuisse in Hispania, et Uaccaeos illos, ciuitatem Hispaniae, homines rudis et a facultate recte et ornate loquendi alienissumos fuisse. Posterius et posse statui et probabiliter statui, nemo non uidet; set fuisse ibi Laterensem, nec scimus, nec ualde probabilest. Quem cum Cyrenis quaestorem fuisse, ex hac ipsa oratione (cfr. C. V. §. 13. et C. XXVI. §. 63.) conpertum habeamus, mirifice mihi placet, quod Niebuhrius, uir ille acutissumus, mihi scripsit a Cicerone sibi uideri positum esse, *in Barcaeis.* Eum enim populum egregie patet Rhodiis potuisse opponi. Cfr. Uerg. Aen. IV, 43. *hinc deserta siti regio, lateque furentes Barcaei.*

Nescio, cur seueriorem Nicaeam putes, quam Rhodum) Hinc apparet, quod supra dictum est: *Rhodi non fui*, ad loci reprehensionem obiectum esse. MANUTIUS. Puto ad eloquentiam pertinere, quae Nicaeae non castigatior sit, quam Rhodi; quamquam sequentia *de dignitate* uidentur ad uitae rationem pertinere. ERNESTIUS. Minume uero. Recte Ferratius, cuius uerba supra p. 207. adtulimus, Laterensem in Bithynia rei militari operam dedisse monuit. Itaque cum se in Bithynia fuisse Laterensis gloriaretur, Ciceronem autem Rhodi conmoratum esse diceret, hoc significabat, se ut rei publicae seruiret peregrinas terras adisse, Ciceronem autem, ut inutilem artem adeoque perniciosam disceret, peregre esse profectum. Eam sententiam autem quoniam sic enuntiauerat Laterensis, ut locum ipsum, in quo fuisset Cicero, reprehendere uelle uideretur, ita respondet Cicero, ut, cum uterque locus in Asia situs sit, Nicaeensium mores neget seueriores posse dici quam Rhodiorum, significans simul, sibi si cognomen *Asiatici* cum reprehensione quadam tribuatur, idem Laterensi tribuendum esse.

Si spectanda caussast) Si id, quod egimus, uel cuius rei caussa profecti sumus ego Rhodum, tu in Bithyniam, spectandumst.

Ego Rhodi non minore) Eloquentiae studium non minus quam rei militaris exercitationem ciue Romano dignam esse significat.

Nam quod in eo me reprehendisti, quod nimium multos defenderem, utinam et tu — leuare) Mira cum uerecundia et moderatione et ceterorum ingenia depressit et suam in dicendo praestantiam omnibus anteposuit, quando grauiores caussas illi declinauerint, non sufficientes implendae defensioni, ipse uero confidentissime susceperit; quo agente reus innocens indubitatam sibi spem uictoriae polliceretur. SCHOLIA AMBROSIANA. Bau. et unus Oxon. *defenderem.* Si quid mutandum esset, quod non est, placeret *defendam.* GARATONIUS. Immo unice uera scripturast, quam Bau. cumque eo duo optumi libri Amb. et Erf. aliique praebent. Nam *defenderim* si scribitur, Laterensis reprehendisse existumandus est Ciceronem, quod usque ad id tempus, quo Planci caussam suscepit, nimium multos defenderit. Quo facto excluditur ab ista re-

39

prehensione defensio Planci. At Ciceronem ob id ipsum reprehensum omninoque uituperatum esse, quod eo tempore, quo Laterensis Plancium accussauit, nimium multos defenderet, docent uerba, quae secuntur, Ciceronis: *utinam et tu, qui potes, et* etc.. In quibus necessario Cicero *et tu, qui potuisti* etc. dixisset, si, quod adhuc nimium multos defendisset, ab Laterense esset reprehensus. Laterensis igitur oratio ipsa sine dubio haec fere fuit: reprehendendus es, M. Tulli, quod nimium multos defendis. Eam reddens Cicero non poterat aliter loqui quam sic: *nam quod — me reprehendisti, quod nimium multos defenderem.* Ceterum reuera multos tum defendisse reos Ciceronem, ex ipsius Epp. ad Q. fr. II, 16. III, 3. etc. conpertum habemus.

Set fit uostra diligentia) Nimia anxietate uel metu, ne quem defendendum suscipiatis, cuius innocentia non maxume perspicua sit facillumoque negotio demonstrari possit. Egregia arte hoc loco Cicero id, quod reprehendendum ducit, cum laude quadam ecfert, eosque, quos difficiliores caussas cum propter iuris ignorantiam tum propter laboris molestiam non suscipere norat, diligentiae nomine laudat.

Qui in caussis ponderandis omnis fere repudiatis) Bau. [et Erf.] *in* non adgnoscit, quo carere profecto possumus. GARATONIUS. Et sane in Bau. lectione plus inest acrimoniae: eo ipso, quod caussas uos ponderare dicere soletis, praetextu utimini omnis repudiandi. Idcirco *in* uncinis inclusi. ORELLIUS. Non adsecutus huius loci sensum Orellius est. Nam si omissa praepositione *caussis ponderandis* pro ablatiuo, ut fecit Orellius, instrumenti habemus, sententia uerborum non potest alia esse quam haec: *eo, quod caussas ponderatis* siue *propterea, quod caussas ponderatis.* Ita autem Cicero reprehenderet illos, quod caussas ponderarent, in eaque se esse sententia ostenderet, in qua esse non potuit, ut non esse ponderandas caussas putaret. Immo certumst, hoc eum et uoluisse et debuisse dicere: *fit uostra diligentia, qui, cum caussas ponderatis et difficultatem earum agendarum perspicitis, omnis repudiatis, ut* etc.. Hac autem sententia mihi olim necessaria *in* praepositio uidebatur; cfr. Proleg. L. II. C. I. §. 3.. Nunc tamen non nego, eundem sensum etiam omissa praepositione huius loci esse posse; uide quae ad C. VI. §. 15. p. 80. adnotaui; ut iam non ausim eam a M. Tullio adiectam esse contendere.

§. 83. *Admonuisti*) Cod. Amb. *Admonefecisti.* „*Admonefacio* inter barbara dumtaxat habet Forcellinus; set oriri poterat ex *conmonefecisti*, quod non deterius foret.“ ORELLIUS. Inprobabilis haec coniecturast. Nisi *admonefacio* Ciceronis tempore usurpatum esse alio testimonio confirmatur, retinenda, opinor, scriptura uolgata erit.

Admonuisti etiam, quod in Creta fuisses, dictum aliquod in petitionem tuam dici potuisse) *Ad* scolastica*m* leuitate*m et* quasi mimica*m* spectat [1]) huiusmodi locus. M. Tullium uidebatur denotasse Laterensis, quod multa quae facetius dici possent cum aliqua figurandi suptilitate non praetermitteret. Itaque hoc eum dicto perstrinxerat, habuisse materiam de uocabulo Cretae insulae aliquid in se ioculariter dicendi, nec tamen id excogitasse. Constabat enim Laterensem fuisse in Creta prouincia. Et solebant omnes candidati alba creta obliniri ceruicem, ut populo notabiliores essent. Ergo dicit eum iocari potuisse, si ad hoc adiecisset ingenium, ut id inueniret quod poterat

1) Sic A. Maius scripsit. Codex, *scolastica leuitate quasi nimica spectante.*

occurrere. Set acute rapuit ex eodem proposito ualidam responsionem, ut magis eum cupidum lacessendi ostenderet, qui sibi ea ultro suggereret, quae potuisse dici fateretur, nec tamen dicta sint. SCHOLIA AMBROSIANA. Scholiastes, *et solebant omnes candidati alba creta obliniri ceruicem, ut populo notabiliores essent.* Eritne, qui credat? eritne hinc Persi acerbitas illa explananda Satyr. V. u. 177., qua candidatus *palpo* dicitur, *quem ducit hiantem cretata ambitio?* Subit animum species candidati sane ridicula, quem ab tergo aspicientibus praeclarum cretatae ceruicis insigne demonstret. Cur non album fronti potius inpositum, ut in equis et canibus natura factum uidemus? Set toga illis candida satis erat ad dignoscendum insignis. Neque enim uolgaris inerat candor, set per cretam fullonum artificio quaesitus. Hinc aput Persium non ceruix, uerum toga cretata intellegitur, et Iuuenalis X. Sat. 65. *bouem cretatum* ad sacrificia conmemorat, ut magis albesceret. Optume res ex Liuio perspicitur IV, 25.: *Placet, tollendae ambitionis caussa tribunos legem promulgare, ne cui album in uestimentum addere petitionis caussa liceret,* h. e. cretam uestimento addere, ut non modo album sit, uerum etiam splendidum fiat, atque, ut *candidum* interpretatur Seruius ad Uerg. III. Georg. 82., *quadam nitenti luce perfusum.* Denique candidati non solum ad prensandum prodibant, set comitatu conspicui. Cfr. Q. Cicero de petit. cons. c. IX. et Cicero pro Mur. c. 32.. GARATONIUS.

Dictum aliquod in petitionem tuam dici potuisse) Male Ernestius cum in edd. uett. plerisque pro *aliquod* scriptum *aliquid* repperisset, delendum *dictum,* ut a glossatore additum, iudicauit. Contra quem Garatonius recte monuit: „*dictum dicere* hoc sensu optumumst atque Tullianum, ut cum aliis uidit Heusing. ad II. Phil. 17., Scheller. Obs. p. 148. egoque habeo pro conperto.“

Te aiebas de tuis rebus gestis nullas litteras misisse, quod mihi meae, quas ad aliquem misissem, obfuissent) Haec omnia non ad reum, sed ad omnem [1]) Ciceronem pertinent, quasi asperius a Laterense proposita. Nam significat epistulam non mediocrem ad instar uoluminis scriptam, quam Pompeio in Asiam DE REBUS SUIS IN CONSULATU GESTIS miserat Cicero aliquanto, ut uidebatur, insolentius scriptam, ut Pompei stomachum non mediocriter commoueret, quod quadam superbiore iactantia omnibus se gloriosis ducibus anteponeret. Hoc igitur uult esse purgatum, dicens nuntiasse se Cn. Pompeio patriae conseruationem, nec inscienter de semet ipso gloriatum. Obfuerunt autem re uera: nam sic effectum est, ut ei Pompeius contra Clodianam uim non patrocinaretur. SCHOLIA AMBROSIANA. Manutius illas ad Pompeium scriptas fuisse litteras recte suspicabatur. Set nihil suspicione opus esse Cicero ipse declarat pro Sulla c. 24.: *Hic tu epistulam meam saepe recitas, quam ego ad Cn. Pompeium de meis rebus gestis et de summa re publica* (ita cod. Bauar. non *rei p.*) *misi.* Qui saepe summa eloquentia res suas gestas extulerit, uideatur sane in illa etiam epistula gloriosus fuisse; quamquam ut longior esset, res ipsae poscebant; haut tamen ita, ut ullo modo Pompeium offenderet, *omnibus a se pictum et politum artis coloribus,* ut ait II. ad Att. 21.: *cuius ad gloriam augendam tanto studio se dederat,* ut eum Q. frater monuerit cap. IV. aduersarios ob id in petitione consulatus ei non defuturos; cui denique illo ipso tempore consul *supplicationem confecto bello Mi-*

1) Ita perspicue codicem *omnem* scribere A. Maius monet.

thridatico; ut cap. XI. de prou. cons. dicit, *duplicatam,* h. e. dierum duplo, quam solebat, plurium decernendam curauerat. Itaque offensus ipse uere grauiterque, set familiariter hominem cautum atque omnia circumspicientem accussauit V. Epist. 7.: *Res,* inquit, *eas gessi* (de quibus ad eum copiose iam scripserat), *quarum aliquam in tuis litteris et nostrae consuetudinis et rei p. caussa gratulationem expectaui; quam ego a te praetermissam esse arbitror, quod uererere, ne cuius animum offenderes.* Erat enim ob eas ipsas res magna in inuidia Cicero; intuma Crasso et Hortensio simultas inerat, ut ex epistulis ad Atticum nouimus; oppugnabatur a C. Caesare praetore, qui iam tum aput plebem ex Marianis partibus et ex largitione gratiosus rem p. ualde turbabat; infestos tribunos plebis habebat Calpurnium Bestiam et Metellum Nepotem; hi tres Pompeio adsentabantur, eumque Ciceroni opponere conabantur; ad eum denique Nepos profugit iratus. Quo referendum est fragmentum illut orationis Metellinae aput Quinct. I. O. IX, 3. p. 811. *Uenit ex Asia* (*hoc ipsum quam bonum!*) *tribunus plebis uenit ex Asia — ueruntamen uenit.* Nam repente inde redierat. Haec omnia testantur Plutarchus in Cic. c. 23. 26. et Dio XXXVII. c. 37—44.. Quo tum animo Pompeius fuerit, cum nobis ipsis licet iam intellegere, tum Cicero, qui probe illum nouerat, optume iudicauit. Erigebat ergo uirum et uictoriis et cognomine Magnum et confirmabat his uerbis: *Set scito ea, quae nos pro salute patriae gessimus, orbis terrae iudicio ac testimonio conprobari.* Praeclara uero summoque uiro digna postrema illa sunt: *Quae, quom ueneris, tanto consilio tantaque animi magnitudine a me gesta esse cognosces, ut tibi multo maiori, quam Africanus fuit, me non multo minorem, quam Laelium, facile et in re p. et in amicitia adiunctum esse patiare.* Iam quoniam Pompei silentium eiusque caussam cognouimus, an offensionis tamen aliquid ostenderit, uideamus. Atqui eum, antequam in urbem rediret, *nobis amicissumum constat esse,* scripsit Cicero ad Att. I, 12.; in ipso aduentu, *ut me primum decedens ex Syria uidit, conplexus et gratulans meo beneficio patriam se uisurum esse dixit,* II. Phil. 5., quem locum adtulit Maius; denique, cum primum in senatum uenit, *omnia illius ordinis consulta laudauit,* I. ad Att. 14. *Tum Crassus posteaquam uidit illum excepisse laudem ex eo, quod suspicarentur homines ei consulatum meum placere, surrexit, ornatissumeque de meo consulatu locutus est —. Proxume Pompeium sedebam; intellexi hominem conmoueri: utrum Crassum inire eam gratiam, quam ipse praetermisisset, an esse tantas res nostras, quae tam lubente senatu laudarentur,* etc.. Cum his superiora si conferas, quibus Pompei silentium redarguerat, qua fuerit prudentia Cicero, intelleges. Sequitur epist. 16. de se et Pompeio: *multa et iucunda consuetudine coniuncti inter nos sumus usque eo, ut nostri isti comissatores coniurationis barbatuli iuuenes illum in sermonibus Gnaeum Ciceronem appellent.* Item epist. 19.: *Itaque primum eum, qui nimium diu de rebus nostris tacuerat, Pompeium adduxi in eam uoluntatem, ut in senatu non semel, set saepe multisque uerbis huius mihi salutem inperi atque orbis terrarum adiudicarit. Quod non tam interfuit mea* (*neque enim illae res aut ita sunt obscurae, ut testimonium, aut ita dubiae, ut laudationem desiderent*) *quam rei publicae; quod erant quidam inprobi, qui contentionem fore aliquam mihi cum Pompeio ex rerum illarum dissensione arbitrarentur.* Insignis etiam est locus II, 1., quo purgat se de Pompei iam nimium popularis familiaritate obiurgatus ab Attico: eumque *de meis,* inquit, *rebus, in quas eum multi incitarant, multo scito gloriosius quam de suis praedicare: sibi enim bene gestae, mihi conseruatae rei publicae dat testimonium.* Pergit epist. 3. *coniunctio mihi summa cum Pompeio.* Illa uero notari uelim, *ex rerum illarum dissensione, in quas eum*

multi incitarant, ut ad ea, quae de pristino Pompei silentio diximus, adiungantur. Ubinam igitur tanta illius epistulae insolentia, quae post quadriennium denique erupturam inimicitiam pepererit? Nam quae de subdolo quodam tectoque homine dicuntur I. ad Att. 13., perperam de Pompeio Manutium aliosque intellegere, tot aduersa quae adtulimus testimonia demonstrant. Sensit Tunstallus, et in seuerissuma ad Middletonium epistula p. 36. Q. Hortensium significari optume docuit. Fuit omnino illa inimicorum calumnia, quorum stultitia ita cum iniquitate certabat, ut nescias, utrumne magis laederent, Ciceronem an Pompeium. Similluma est alia, quam in Pison. c. 29. ipse Cicero refutauit. Dixerat enim huius consulatum conlaudans L. Piso: *non illa tibi inuidia nocuit, set uersus tui: scripsisti enim, Cedant arma togae — tuae dicis togae summum inperatorem esse cessurum.* Deinde post multa c. 30.: *Hoc tamen intellegi, scelerate, uis, Pompeium inimicum mihi isto uersu esse factum; ut, si uersus mihi nocuerit, ab eo, quem is uersus offenderit, uideatur mihi pernicies esse quaesita.* Totum uide locum: nam responsionem necesse non est, re iam patefacta describere. Quam quidem rem ex epistulis potissumum declaraui, ne cum Tunstallo l. c. p. 48. et 50. mihi quisquam obiceret, multa in orationibus falsa temporis commodique caussa referri. Ornate, haut tamen falso dixit pro domo c. 11.: *Quod enim par amicitiae consularis fuit umquam in hac ciuitate coniunctius, quam fuimus inter nos ego et Cn. Pompeius?* etc.. At ueram dissidi inter eos exorti caussam reticuit, culpamque tum ibi, tum pro Sext. 18. et in Pis. 31. in homines inprobos contulit. Erat enim ueritas, uiuis florentibusque Pompeio et Caesare, dissimulanda; neque publici eadem ratio sermonis est quae familiaris. Postquam uero illi perierant, II. Phil. 10., ausus est dicere, C. Caesaris opera Pompeium *a sua familiaritate fuisse disiunctum.* Conprobat id Plutarchus in Cic. c. 30.. Illa nimirum ab coitione Pompei cum Caesare et Crasso caussa est repetenda, qui rem publicam cum occupassent, cuius amantissumus Cicero semper fuit, non potuit inter eos dissensio non consequi. Quae paulatim eo progressa est, ut, cum *Pompeius se totum Caesari tradidisset* (l. c. Philipp.), simulatione doloque interposito, perniciem denique incauto adtulerit et inmerenti. Ut Clodium uidit tribunatus caussa ad plebem translatum, exarsit Cicero iracundia, cum tamen spes eum quaedam falsa deciperet. Scripsit ad Atticum II, 9.: *Si uero, quae de me pacta sunt, ea non seruantur, in caelo sum; ut sciat hic noster Hierosolymarius* (Pompeius) *traductor ad plebem, quam bonam meis putissumis orationibus gratiam rettulerit, quarum expecta diuinam παλινῳδίαν.* Pompeio tamen adiuranti credebat, neque ipse sibi constabat, ut ex iis epistul. II, 20. etc. patet: illum enim perdite amabat, ut epist. 21. ipse indicauit. Experti tandem grauis et philosopho digna oratio est, ad eundem Att. X, 4. belli ciuilis initio: *Cogito — quid intersit inter me et istos, quos propter omnia amisimus* (Pompeium et Caesarem). *Hi sunt, qui nisi me ciuitate expulissent, obtinere se non posse putauerunt licentiam cupiditatum suarum, quorum societatis et sceleratae consensionis fides quo eruperit, uides.* Tum de Pompeio: *qui nos sibi quondam ad pedes stratos ne subleuabat quidem, qui se nihil contra huius* (Caesaris) *uoluntatem aiebat facere posse.* De hoc Pompei responso ac de utriusque perfidia notissumus Dionis est locus XXXVIII, 15.. Sic itaque pergit Cicero: *Horum ego summorum inperatorum non modo res gestas non antepono meis, set ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissuma, nos duriore conflictati uidemur* etc.. Uera igitur illa sermonis non liberi uox pro domo l. c.: *Ego uero neque me tum desertum puto, set paene deditum;* uereque προδοσίαν illam Plutarchus appellat in Pomp. c. 49.. Denique, ut finem faciam, si Pompeius, quamquam nullum dedit

iuitio plausum, iratus ob eas litteras Ciceroni non fuit; si postea longe grauiore de caussa illum prodidit, ne dum deseruit: errat profecto cum accussatore scholiastes, qui responsionem adeo Ciceronis, nescio qua mente, falsam comminiscitur, quasi quae *leuiora* esse dicit, iis aliquid adiciat ponderis. Ita enim pro sua dignitate ac prudentia respondet: *mihi obfuisse non intellego*, quia nihil ea de caussa offensionis in Pompeio cognouerat; *rei p. uideo prodesse potuisse:* neque enim profuerunt, cum Pompeius a senatu desciuerit, quem retinere in optumatium partibus potuissent, ut suis opibus consensum bonorum, coniunctionem ordinum, uim aduersus inprobos ciuis et rem p. concutientes conroboraret. Tecte hoc significat, ne reconciliatum Pompei animum pungat restitutionis suae beneficio deuinctus. GARATONIUS. Etsi perdocte Garatonius de Ciceronis cum Pompeio coniunctione exposuit, in eo tamen manifesto errauit, quod epistulam illam Ciceroni negat quicquam obfuisse. Nam primum non est probabile, Laterensem Ciceroni aliquid fuisse exprobraturum, quod ab omni ueritate abhorreret; porro dubitari uix potest, quin Cicero, nihil si nocuisset, disertius id fuerit adfirmaturus, et pro uerbis quae posuit *obfuisse non intellego* scripturus potius fuerit *non obfuisse scio*; deinde eo, quod concedit *non profuisse rei publicae*, cuius caussa scripta uidebatur, aperte ostendit, ne sibi quidem ipsi profuisse; quem certumst sua caussa cupiuisse, ut Pompeius a partibus optumatium staret. Quodsi non profuit Ciceroni, ita ut Pompeium a coniunctione cum inimicis suis retinere non posset, necessario obfuisse debet, cum Cicero, quod ex or. pro Sull. c. 24. patet, de iniquitate et inprobitate eorum, quibuscum postea se coniunxisset Pompeius, in ea conquestus esset. Postremo altera illa epistula, quam non multo post ad Pompeium scripsit (ad Diu. V, 7.), perspicue profecto docet, Pompeium moleste tulisse, quae Cicero de rebus suis in consulatu gestis scripsisset. Uide inter alia haec: *Ad me autem litteras quas misisti quamquam exiguam significationem tuae erga me uoluntatis habebant* etc.. Itaque quamquam Pompeius, posteaquam in urbem reuersus erat, aliquamdiu amicus Ciceroni fuit priuatamque illam offensionem publici benefici memoria uidetur oblitterasse, tamen obfuisse illa epistula Ciceroni necessario debet, quod et homines, quibuscum postea se coniunxit Pompeius, et agendi ratio, quam idem postea iniit, in ea reprehendebatur.

Rei publicae uideo prodesse potuisse) Id enim egerat Cicero, ut Pompei animum ab iis abalienaret, qui aduersus rem publicam coniurauerant.

CAP. XXXV.

§. 86. *Set sunt haec leuiora*) Non male unus Oxoniensis [cum aliis] omittit *sunt*, quod saepius a Cicerone similibus locis omittitur. GARATONIUS. Immo alienum hoc quidem loco a consuetudine Tulliana uidetur. Uide Cic. III. Philipp. IX, 23. *Set haec leuiora fortasse; illut quaero* etc., et II. Phil. XI, 25. *Set haec uetera; illut uero recens, Caesarem* etc.. Confer quae Proleg. L. II. C. I. §. 16. monui.

Quod meum discessum, quem saepe defleras, nunc quasi reprehendere — uoluisti) A multis discessus ille reprehensus est, ita ut saepe Cicero eius caussam exposuerit. Cfr. post red. in sen. c. 13. 14., pro domo c. 24. et c. 35. §. 95. c. 36., pro Sestio c. 16. et seqq., in Uatin. c. 3., in Pis. c. 9. c. 14.. Adde ad Diu. I, 9, 29..

Ego uero fateor hercule, quod uiderim mihi auxilium non deesse, idcirco me illi auxilio pepercisse) Uide quae de huius loci scriptura Proleg. L. II. C. I. §. 16. monuimus.

Quod uiderim mihi auxilium non deesse, idcirco me illi auxilio pepercisse) Explicat haec ipse Cicero infra C. XXXVI. §. 89. *quo maiora studia in me bonorum fuerunt, hoc iis magis consulendum et parcendum putaui.*

Quis enim status etc.) His et sequentibus usque ad C. XXXVII. exponit Cicero, quam ob caussam auxilio, quod praesto fuerit, uti noluerit. In qua re exponenda cum animi quodam feruore abripi se passus sit, factumst, ut oratio uiuidior existeret ideoque nexus, quo singula membra inter se cohaerent, minus in oculos lectoris incurreret. Itaque Weiskius uerba, *consules post hominum memoriam — serui in dominos armabantur,* inepto declamatori reddenda iudicauit; quae tantum abest, ut omitti potuerint, ut ad sententiae integritatem prorsus sint necessaria. Idque cuiuis patebit, qui nexum eorum, quae a C. XXXV. usque ad C. XXXVII. scripta sunt, diligenter considerauerit. Is hic est. Primam caussam, qua ductus auxilio, quod praesto fuerit, parcendum putarit, ponit in statu rei publicae, obiter monens, se nec P. Clodi terrore, nec A. Gabini furore a dimicando esse deterritum (*tribunicius me terror — uiceram*). Eum statum describit copiosius uerbis *consules post hominum memoriam — uastitatis metus inferebatur.,* ita quidem, ut primum consules, sine quorum auxilio suscipi nihil possit, homines pessumos fuisse et a senatu, a re publica, et a bonis omnibus defecisse; deinde eos, qui secundum consules plurumum ualuerint, cum Clodio et consulibus facere perhibitos esse; denique faecem populi contra bonos armatam fuisse moneat. Contra secum coniunctum quidem senatum, coniunctum totum equestrem ordinem, coniunctam totam fere Italiam fuisse, set senatum crudelissuma consulum potestate de gubernaculis rei p. deiectum, equestrem ordinem Gabini denuntiatione proscriptionis perterritum, totam Italiam belli intestini et uastitatis metu percussam fuisse. Alteram caussam, cur his auxiliis uti noluerit, C. XXXVI. ineunte in genere dimicationis ponit, quod armis fuerit dimicandum; tertiam in eo, quod caedem fieri senatus et bonorum rei publicae exitiosum fuerit; quartam denique in exitu pugnae, quod uictoriae grauis fore aduersarios, interitus nullos ultores uiderit. Has ob caussas §. 89. ineunte dicit se illis uti auxiliis noluisse, idque eo minus, quo maiora bonorum illorum, qui a suis partibus steterint, in se studia fuerint.

Cum reliquiis eorum) Cfr. in Pis. C. VII. §. 16. C. X. §. 23..

Et illa principia) Quae simulatque consules erant facti fecerunt. Atque L. Pisonis quidem res in consulatu gestas Cicero in oratione illa uehementissuma, qua in eum inuehitur, C. IV — XV. percenset.

Et hi recentes rerum exitus) Exponuntur haec fuse in or. de prou. cons., quam Cicero habuit anno superiore. GARATONIUS. Explicat breuiter hoc ipso loco Cicero uerbis *alter exercitum perdidit, alter uendidit.*

Quorum alter exercitum perdidit, alter uendidit) Haec iam saepius dicta sunt de Pisone et Gabinio, qui actionibus P. Clodi tribuni pl. in perniciem M. Tulli consenserant, habituri prouincias *Piso* Macedoniam, Gabinius Syriam. Sed hic *alterum* exercitum perditum a Pisone, alterum a Gabinio uenisse significat; scilicet quod regem Ptolemaeum acceptis decem millibus talentum per uim militarem exercitus Romani restituisset in regnum suum. Et simul in hoc epiciremate adhibet eundem colorem iam sibi in multis orationibus frequentatum, idcirco secedere urbe maluisse, ne quid seditiosae dimicationis

cum multorum exitio moueretur. Scholia Ambrosiana. De Pisonis scelere cfr. in Pis. C. XX. §. 47., de Gabini pro Rabir. Post. C. VIII. §. 21. et in Pis. C. XXI. §. 48..

Emptis prouinciis a senatu — defecerant) Guilielmi coniecturam probo, *empti prouinciis:* hoc enim pretio Piso et Gabinius a re p. defecerunt, quod in uolgata minus concinne significatur. Garatonius. Orellius uolgatam scripturam retinendam monuit, adlato de prou. cons. C. IV.: *Emisti a foedissumo tribuno pl. — grandi pecunia, ut tibi de pecuniis creditis ius in liberos populos — dicere liceret.* ibidem: *quom Gabinius omnia sibi et empta et emenda esse clamaret.* Contra quem Bakius pro Sestio C. XIV. extr. *pacto foedere prouinciarum*, et in Pis. C. XXIV. in. *una mercede prouinciae* correctionem istam tueri monuit. Loquitur de eadem re Cicero in Pis. C. VII. §. 15. *cui tu senatus auctoritatem, salutem ciuitatis, totam rem p. prouinciae praemio uendidisti.* Ibidem C. XXIV. §. 57. *quom prouincia tibi ista manupretium fuerit non euersae per te, set perditae ciuitatis.* post red. ad Quir. C. V. §. 15. *quom duo consules empti pactione prouinciarum auctores se inimicis rei publicae tradidissent.* Uerissuma autem uolgata scripturast, dictumque *emptis prouinciis* sic, ut sit: *eo, quod emerunt prouincias, a senatu* etc. *defecerunt.* Ac tuentur eam egregie ea, quae ad Lentulum (ad Diu. I, 9, 29.) a M. Tullio scripta sunt: *Postea quom tu Hispaniam citeriorem cum inperio obtineres, neque res publica consules haberet, set mercatores prouinciarum et seditionum seruos ac ministros: iecit quidam casus caput meum quasi certaminis caussa in mediam contentionem dissensionemque ciuilem.* Adde post red. in sen. C. IV. §. 10. *non consules, set mercatores prouinciarum ac uenditores uostrae dignitatis.*

Qui exercitibus, qui armis, qui opibus plurumum poterant) Bau. [et Erf.] et unus Oxoniensis *exercitu.* Conferenda Sextiana est C. XVII. XVIII. XIX.. Ex ea patet, triumuiratum celeberrumum intellegi Pompei, Caesaris, et Crassi; *ex quibus,* dicit, *unum* (Caesarem) *habere exercitum in Italia maxumum, duo, qui priuati tum essent, et praeesse et parare, si uellent, exercitum posse, idque facturos esse* (Clodius) *dicebat; nec mihi ille iudicium — set uim, arma, exercitus, inperatores, castra denuntiabat.* Cum igitur unus reuera esset exercitus, eoque uno triumuiri iam plurumum possent, hic lubenter equidem *exercitu* praeferam. Garatonius. Nihil uerius scriptura *exercitu,* quam et optumi codices, et res ipsa, et alii loci, in quibus eiusdem rei mentio fit, unice tuentur. Cfr. pro domo C. LI. §. 131. *Tu — quom praesentibus copiis perditorum, absentis exercitus terrore et minis* etc., de arusp. resp. C. XXII. §. 47. *An iste — nisi exercitum C. Caesaris* (*in quo fallebat, set nemo eum redarguebat*) *nisi eum, inquam, exercitum signis infestis in curiam se inmissurum minitaretur.* post red. in sen. C. XIII. §. 32. *Erat alius ad portas cum inperio in multos annos, magnoque exercitu; quem ego inimicum mihi fuisse non dico; tacuisse, quom diceretur esse inimicus, scio.*

Furialis illa uox, nefariis stupris religiosis altaribus effeminata) Pessume ab Ernestio, Schutzio, Orellio, aliisque post *stupris* comma positum esse, ipse docebit Cicero in orat. de prou. cons. C. X. §. 24. scribens: *Quod mihi odium cum P. Clodio fuit, nisi quod perniciosum patriae ciuem fore putabam, qui turpissuma lubidine incensus duas res sanctissumas, religionem et pudicitiam, uno scelere uiolasset?* Uide eadem de re loquentem M. Tullium in orat. Pison. C. XXXIX. §. 95., de arusp. resp. C. XVII. sq., et ad Att. I, 12..

Secum et illos et consules) Mendosa erat lectio editorum ante P. Manutium, quam cum codd. Grut. seruant Barb. et meus, *secum et illos consules.* Neque enim id iis conuenit, de quibus agitur, Pompeio, Crasso, Caesarique. Confer pro Sext. 17., de H. R. 22. etc.. Recte itaque a Man. additum *et,* ut hi tres a consulibus disiungerentur. Graeuium autem tacuisse nollem. Me certe uetus illa lectio in suspicionem adducit, uocem *consules* aut ab interprete profectam esse, aut a uarietate *eos,* ut alibi, extitisse. Nam de consulibus dictum supra uidetur satis, et, cum legeris, *secum et illos facere,* nihil requires amplius, perfecta omnia uidebuntur. Quin etiam quod sequitur *acerbissume* (hanc uocem a Lamb. et Ern. repudiari miror) *personabat,* de terrore ac metu potissumum dicitur, quem arma incutiebant et nimia trium illorum in re p. principum singularisque potentia; quibus repugnantibus nihil Clodius, nihil consules perficere potuissent. Quantam ea res acerbitatem haberet, quiuis existumare facile per se potest et ex c. 22. pro Sext. cognoscere. GARATONIUS. In septem quoque Oxonn. *secum et illos consules,* mendose, nisi deleas etiam *consules,* quod olim faciendum esse suspicabar. Nunc Bauarici auctoritate deterreor, qui [cum E, Lb, Lc, et aliis] hanc uolgatam conprobat. IDEM. Recte Orellius lectionem a Garatonio propositam, *secum et illos facere,* uel propter rarissumum hunc *et* copulae usum, de quo Beierus ad Cic. Offic. III, 6. T. II. p. 227. monuit, non esse probandam monuit. Accedit, quod Cicero, si triumuirorum illorum mentionem tantummodo inicere hic uoluisset, non est dubium quin simpliciter, *secum illos facere,* scripturus fuerit. Eo aptior autem huic loco et illorum et consulum mentiost, cum in antecedentibus ne uerbo quidem Cicero consules se cum P. Clodio coniunxisse, set tantummodo a re p. defecisse monuerit. Praeterea defenditur uolgata scriptura iis, quae Cicero de ar. resp. C. XXII. §. 47. dicit: *nisi Cn. Pompeio adiutore, M. Crasso auctore, quae faciebat, facere clamaret; nisi consules caussam coniunxisse secum, in quo uno non mentiebatur, confirmaret.*

Acerbissume personabat) Ernestius Lambinum uerissume ait *acerrume* scribendum putasse. In quo uehementer fallitur. Non enim conuenit, de magnitudine clamoris, set de acerbitate uel dolore, quem omnibus bonis clamor iste iniecerit, Ciceronem hic loqui. Uidit hoc iam Garatonius monuitque supra ad uerba *secum et illos et consules.*

§. 87. *Aderat mecum senatus — Aderat mecum cunctus equester ordo — At tota Italia conuenerat*) Sic in omnibus codicibus omnibusque editionibus hic locus scriptus extat, nisi quod editores nonnulli, P. Manutius, Lambinus, Garatonius, Orellius aliique *At* ante *tota* delendum iudicarunt. Quod temere factum esse uel ex eo intellegi potest, quod *at* ab librario esse additum prorsus inprobabilest. Facilluma eaque certissuma medicina hic locus sanari potuit. Docuimus supra ad uerba *Quis enim status* etc., haec, quibus §. 87. incohatur, manifesto opponi antecedentibus, in quibus de iis exponit Cicero, qui sibi aduersati sint, cum nunc de illis conmemoret, qui secum fuerint coniuncti. Itaque necessario requiritur particula aduersatiua. Porro quod nunc scriptum legitur *aderat mecum,* plane ineptum loquendi genus est. Ad quem enim locum aderat cum Cicerone senatus? Ad iudiciumne? Atqui in iudicium minume uocatus erat Cicero. Cfr. pro Sestio C. XVII. §. 40. *nec mihi ille* (Clodius) *iudicium populi, nec legitumam aliquam contentionem, nec disceptationem, aut caussae dictionem, set uim, arma, exercitus, inperatores, castra denuntiabat.* An Romae? At tum antea absens fuisse senatus censendus esset, quod statui nequit. Itaque nihil certius est, quam scripsisse Ciceronem, id quod recipere non dubitaui, *At erat mecum senatus — At erat me-*

cum cunctus equester ordo —. Iam patet rectissume *at* particulam ante *tota* positam se habere, quam omnes tuentur codices, omninoque totam sententiam egregie procedere. Particula *at* eam hic uim habet, qua saepissume usurpatur ab eo, qui occupat, quae ab altero sibi posse opponi putat. Eam autem, qui sibi fieri fingit, oppositionem statim refutat Cicero uerbis *set recordare* etc., *quem quidem in contionibus* etc., *cui quidem belli intestini* etc., priore loco *set* particula, duobus posterioribus particula *quidem* usus, cui non secus atque *set* particulae disiunctiuam uim subesse supra iam C. XXXI. §. 75. ad uerba *Ei quidem* monitum a nobis est. Eodem modo locutus Cicerost in Cat. Mai. C. XVIII. §. 65.: *At sunt morosi et anxii et iracundi et difficiles senes, si quaerimus, etiam auari; set haec morum uitia sunt, non senectutis.* et Propert. II, 7, 5. *Gauisast certe sublatam Cynthia legem, Qua quondam edicta flemus uterque diu, Ni nos diuideret; quamuis diducere amantis Non queat inuitos Iuppiter ipse duos. At magnus Caesar; set magnus Caesar in armis; deuictae gentes nil in amore ualent.* Uide etiam Handium de part. lat. T. I. p. 432—435. egregie de hoc *at* particulae usu disserentem. Ceterum ne mutatio quidem dici potest, quod *At erat* scripsi pro *Aderat;* immo Ciceronis manum si repraesentare noluissem, nescio equidem an satius fuerit, diiunctim tantummodo *Ad erat* scribere. Eius enim aetate una eademque littera et praepositionem et coniunctionem esse scriptam, cum ex Quinctiliani apparet uerbis I, 7, 5.: *illa quoque seruatast a multis differentia, ut ad, cum esset praepositio, d litteram, cum autem coniunctio, t acciperet.* de quorum sensu recte iudicauit Conr. Leop. Schneider. in Gramm. ling. lat. T. I. p. 252., tum ex codicibus palimpsestis, nostra aetate e tenebris erutis, in quibus coniunctionem illam saepissume *ad* scribi uidemus. Sic, ut unum adferam exemplum, palimps. Taurin. in M. Tulli orat. Caeliana C. XXIX. §. 68. *Ad sunt serui* habet, licet *ad* coniunctio sit, ibidemque *Ad propinquis inquit placuit* pro uolgari *At propinquis placuit.* Uide Am. Peyron. Uarr. Lectt. p. 198..

At erat mecum senatus) Ne quis in locutione *erat mecum senatus* haereret, adposui hos duo locos, pro C. Rabirio C. VIII. §. 24.: *Atqui uidemus, haec in rerum natura tria fuisse, ut aut cum Saturnino esset, aut cum bonis, aut lateret; latere, mortis erat instar turpissumae; cum Saturnino esse, furoris et sceleris; uirtus et honestas et pudor cum consulibus esse cogebat.* et Philipp. VIII, 11. *Quas ob res ita censeo: eorum, qui cum M. Antonio sunt, qui ab armis discesserint, et aut ad A. Pansam — ante idus Martias primas adierint, iis fraudi ne sit, quod cum M. Antonio fuerunt.*

Qui soli — non siuerint — ademerint) Scribendum est, *siuerunt — ademerunt.* Non enim pendent haec ab *recordare;* set in iis est iudicium Ciceronis. Atque ita feci. Ernestius. Male quidem; Cicero non simpliciter narrat, ut *qui* positum sit pro *hi,* set rationem adfert, cur hostes fuerint, consulum nomen cum haberent. Notissumumst autem, *qui,* si ponatur pro *quia* uel *cum,* coniunctiuo iungi. Weiskius. Recte Weiskius coniunctiuom requiri hic uidit. Ceterum scripturae uarietate, quae est in codicibus, ductus pro *sierint* scripsi *sirint,* cum coniunctiui illius non uideatur alia forma quam *sirim* a scriptoribus prosaicis usurpata fuisse. Cfr. Gronouius ad Liu. I, 32. et Bardili ad Corn. Nepotis Fragmm. XII, 2. p. 375.. Pariter semper *sisti, sistis, sissem, sisse,* et *desisti, desistis, desissem, desisse* dictum uidetur. Cfr. pro Sestio C. XIX. §. 44. *qui ne uestitu quidem defendi rem p. sissent.* Ibidem C. LVII. §. 122. *Exolare sinitis, sistis pelli, pulsum patimini.* Pro domo C. XXXIV. §. 92. *Tu sororem tuam uirginem esse non sisti.* Pro C. Rabirio Post. C. VI. §. 13. *Huic ordini ignem nouom*

subici non sistis. Ad Att. I, 14. *Te ad coenas itare desisse moleste fero.* Corn. Nep. XII, 3, 1. *magistratus gerere desisset.* A. Gellius XV, 16. *artem athleticam desisset.* Cic. Phil. II, 35. *simulac timere desisses, similem te futurum tui.* Ibid. C. XXXVII. *quonam modo ante K. Aprilis debere desisti?* Ibid. XI, 15. *qui ne uiuo quidem Trebonio Dolabellae latrocinium in Syriam penetrare sisset.* In quibusdam horum locorum male nunc duplex *i* poni solet.

Quem quidem in contionibus saltator ille Catilinae consul proscriptionis denuntiatione terrebat) Ἰδίως[1]) pro stomachi sui acerbitate Gabinium lacerat quasi famosae inpudicitiae; quem minitatum proscribtionem equestri ordini eaprópter dicit, quod illius edicto[2]) fuisset L. Aelius[3]) eques R., cui familiaris amicitia cum M. Tullio fuerat, relegatus. SCHOLIA AMBROSIANA.

In contionibus) Cod. Ambr. omittit. Set post red. in sen. C. V. *in contionem* (Gabinius) *ascendit — quos ei commodum fuit conpellauit; L. uero Lamiam equitem R. consul inperiosus exire urbe iussit.* Item pro Sext. C. XII. *Exanimatus euolat ex senatu — aduocat contionem, L. Lamiam in contione relegauit.* GARATONIUS. Nulla potest codicis illius aliquid omittentis auctoritas esse.

Saltator ille Catilinae consul) Gabinius. Post red. in sen. C. VI. §. 13.: *Cur in lustris et heluationibus huius calamistrati saltatoris eximia uirtus tam diu cessauit?* Pro domo C. XXIII. §. 60. *Campanum illum consulem cum saltatore conlega.* In Pisonem C. VIII. §. 18. *Tu ex tenebricosa popina consul extractus cum illa saltatrice tonsa senatum rei publicae occasum atque interitum lugere uetuisti.* Ibidem C. X. §. 22. *cum conlegae tui domus cantu et cymbalis personaret, cumque ipse nudus in conuiuio saltaret.* MANUTIUS. Nullus dubito, quin ad hunc locum et illos, quos Manutius adtulit, respexerit Macrobius Saturn. XI, 10.: *Priusquam a saltatione discedo, illut adiciam, uno eodem tempore tribus nobilissumis ciuibus non modo studium saltandi, set etiam, si dis placet, peritiam, qua gloriarentur, fuisse, Gabinio consulari Ciceronis inimico, quod etiam Cicero non dissimulanter obiecit.* GRAEUIUS. *Catilinae* non bene conuenit; saltatores absolute dicuntur. *Amator Catilinae* et *uir* fuit, ut in or. post red. in sen. c. 4. dicitur; *saltator* nihil ad Catilinam pertinet; *saltator consul* autem acerbissume dicitur. Itaque *Catilinae* delendum est. ERNESTIUS. Delendum *Catilinae* nomen censet Ernestus, eique uiri peritissumi opinioni omnes fauent loci, quos ex

---

1) Uerbum graecum A. Maius ex coniectura addidit, ut uacuum spatium expleret.

2) *Edicto* scripsit idem pro *dicto*, quod in codice est, conferri iubens Ascon. ad Cic. or. in Pis. C. X. et pro Sestio C. XII. XIII.

3) Cod. *Laelius*, non *L. Aelius*. At in Pis. c. 27. dicitur *L. Aelius*. Alibi saepe meminit huius uiri et facinoris Cicero, post red. in sen. 5., pro Sext. 12., ad Fam. XI, 16. 17. XII, 29., quibus in locis scribit uel *L. Lamiam*, uel *Lamiam*. Asconius item l. l. nuncupat *L. Lamiam*. Quoniam igitur praenomen *Lucii* saepe huic uiro tribuitur, nuncupetur sane integre *L. Aelius Lamia*. Et quidem facilis fuit illa separatio *L. Aelius* pro *Laelius*. A. MAIUS. Erat Aeliae gentis L. ille Lamia, cuius nobilitatem familiae praedicauit Horatius III. Carm. 17. ab Lamo Neptuni filio deducens. Neque uero idem potest Laelius nominari XI. ad Attic. 7., aut ibi, quom huius L. Lamiae mentio antecesserit, L. Aelius similiter emendari; set alius homo est, ut uidit Ernestus, D. Laelius, qui L. Flaccum accussauit, et Pompeio adfuit in bello ciuili. GARATONIUS.

ipso Cicerone adtulit Manutius. Garatonius. Nihil peruersius est, quam ea ab interpretibus addita putare, quae quo sensu sint dicta non adsequaris. Eiusmodi est nomen *Catilinae,* quod nemini interpreti addere in mentem poterat uenire. Speciosior eius coniectura esset, qui *consul* delendum putaret. Set nec hoc uerbo ullum magis genuinumst. Egregia enim tribus illis uerbis *saltator Catilinae consul* continetur acerbitas, quae uno remoto uehementer debilitatur. Primo uerbo *saltatoris* insania obicitur Gabinio; cfr. pro Mur. C. VI. §. 13. *non debes, M. Cato, — temere consulem populi Romani saltatorem uocare. Nemo enim fere saltat sobrius, nisi forte insanit.* Secundo uerbo *Catilinae* famosa inpudicitia ei obicitur, quemadmodum alibi *uir* dicitur *Catilinae* fuisse. Idque uidit iam interpres Ambrosianus, ex quo illum etiam in suo antiquissumo codice *Catilinae* nomen scriptum repperisse intellegitur. Haec duo flagitia etsi in omnibus omnino ciuibus Romanis reprehendenda erant, tamen indignissume in consule erant ferenda, ideoque addito *consulis* nomine crimina illi obiecta magis etiam detestabilia apparent. Plane similis est locus in or. Pis. C. IX. §. 20. *an cum altero barbaro Epicuro, cum altero Catilinae lanternario consule?*

CAP. XXXVI.

Numquam, quo ceteri saepe abundarunt, id mihi ipsi auxilium meum defuisset) Ex Erf. additum *saepe* tuetur Bau.. Sic in Pis. C. IX. *Quasi uero non modo ego, qui multis saepe auxilio fuissem,* etc.. Deinde idem cum aliis multis *ipsum:* h. e. *numquam id ipsum, quo ceteri saepe abundarunt, mihi auxilium meum defuisset.* Ita supra C. XXXIII.: *meque in eo ipso, in quo nihil potest esse nimium — nimium gratum esse concedam.* Set nihil muto. Porro III. ad Att. 15. *hic mihi consilium meum defuit, set etiam obfuit*; et paulo ante, *me numquam esses passus, quo tu abundabas, egere consilio,* deinde, *quodsi non modo tu, set quisquam fuisset, qui me Pompei minus liberali responso perterritum a turpissumo consilio reuocaret, quod unus tu facere maxume potuisti, aut occubuissem honeste, aut uictores hodie uiueremus.* Haec in exilio scribebat; restitutus meliora. Laterensis enim cum aliquam exili culpam in ipso Tullio quaerebat, Planci meritum extenuabat, timiditatem in patroni magniloquentia reprehendebat. Confer pro domo C. XXIV., I. Epist. 9., pro Sextio C. XX.—XXII.. Garatonius. Uerbum oppositum *ceteri* manifesto indicat, Ciceronem *id mihi ipsi* scripsisse. *Auxilio* eloquentiam significat.

§. 88. *Uinci autem inprobos a bonis, fateor fuisse praeclarum, si finem eum uincendi uiderem, quem profecto non uidebam*) Fuisse suspicor, qui *finem eum* legentes suspendi orationem putarint, eiusque conplendae caussa, *quem profecto non uidebam,* addiderint; quae quamuis in Erf. deesse non uideantur [omnino desunt in Erf. aliisque], in duobus optumis, Pith. et Bau., certe desunt, in mei autem codicis margine adscribuntur. Neque in tot aliis extare mirandum est, cum orationem creditum sit iis carere non posse. Quod tamen est longe secus. Uolt enim hoc dicere, praeclarum fuisse arma Clodiana uincere, set tum, si is pugnandi finis esset futurus. Paulo post cum etiam pugnandum fuisse cum consulibus dixerit, quos triumuiri principatum in re p. obtinentes adiuuassent (quod saepe subindicat), *uictoriae,* inquit, *nostrae grauis aduersarios paratos uidebam.* Post red. in sen. C. XIII.: *uidebam, si uicissem praesentem aduersarium, nimium multos mihi alios esse uincendos.* Item pro Sext. C. XIX. P. Clodium narrat *in contione dixisse, aut mihi semel esse pereundum, aut bis esse uincendum. Quid erat bis uincere? id profecto, ut, cum amentissumo tribuno pl. quom decertas-*

sem, cum consulibus ceterisque eius ultoribus dimicarem. Et pro domo C. XXXIV.: *mihi aut te interfecto cum consulibus, aut te uiuo et tecum et cum illis armis decertandum fuit.* Placetne igitur hoc ita exprimi, *si finem eum* (aut *tum*, ut est in E, B, aliisque) *uincendi uiderem, quem non uidebam?* quaenam haec loquendi ratio? Tolle nunc additamentum, et uerbulum *fore* uel *futurum*, quod extrusum patet, restitue: *uinci autem inprobos a bonis, fateor fuisse praeclarum, si finem eum* (uel *tum*) *uincendi fore uiderem*, uel, *uiderem fore:* iam recta et perspicua uidebis omnia. Garatonius. Recte Garatonius Ciceronem negauit scribere potuisse, *si finem eum uincendi uiderem, quem profecto non uidebam,* set neque cur ita scribere non potuerit, neque quomodo scribere debuerit, intellexit. Non potuit sic scribere, quod uerba *finem eum — quem* necessario hanc sententiam continent, ut pluris existumare debeamus finis uincendi fuisse. Atqui hoc alienissumum a sententia Ciceronis est, qui simpliciter noluisse se uinci inprobos a bonis dicit, quod uictis inprobis finem uincendi non uiderit. Haec autem sententiae peruersitas certissuma correctione et poterat tolli ab editoribus et uero etiam debebat recepta optumorum codicum scriptura *tum* pro *eum* exhibentium. Iam optume dictumst *si finem tum uincendi uiderem*, sic ut *tum* sit *uictis inprobis*, quo sensu saepe hanc particulam usurpari constat. Neque uero uerba, *quem profecto non uidebam,* saluo sensu omitti posse puto. Quae enim secuntur uerba, *Ubi enim praesto fuissent* etc., iis manifestumst huius ipsius sententiae, quae uerbis *quem profecto non uidebam* subest, rationem reddi, ita ut his omissis omnis sensus nexusque tollatur. At enim, obiciat quis, ipsa illa, quam his uerbis enuntiari debuisse sententiam contendo, iam uerbis, *si finem tum uincendi uiderem,* subest. Ea enim uerba qui ponit, numquam non hoc in mente habet et ab auditoribus subintellegi uolt: *set finem tum uincendi non uidebam.* Praeterea constat, non raro *enim* particula rationem reddi sententiae non enuntiatae disertis uerbis, set suppressae uel subintellegendae; ut cum dicit Cicero Tuscul. II, 24, 59.: *Num tum ingemuisse Epaminondam putas, cum una cum sanguine uitam ecfluere sentiret? inperantem enim patriam Lacedaemoniis relinquebat, quam acceperat seruientem.* Quo in loco referendast *enim* particula ad suppressam sententiam: *non ingemuit.* Alia exempla adtulit Ramshornius Gr. Lat. §. 187. I, 1. p. 564.. Haec omnia etsi cuipiam cum magna quadam probabilitatis specie mihi obici uideantur, nego tamen uerba, de quibus agitur, omitti posse, longe aliam illorum locorum, in quibus *enim* a suppressa sententia pendere uidemus, quam huius loci rationem esse contendens. In illis enim locis, id quod res ipsa postulat, ad eam refertur sententiam particula illa, quae aut ex toto uerborum, quae praecedunt, conplexu, aut e uerbis, quae sunt primaria maxumeque respici debere apparet, nemini non sponte subintellegitur. Itaque hoc loco, in quo primaria haec esse liquet: *Uinci autem inprobos a bonis, fateor fuisse praeclarum*, si ad sequentia, *Ubi enim* etc., suppressa deberet sententia putari, ex qua illa penderent, meo iudicio haec tantum suppressa posset existumari: *set uinci inprobos a bonis, non fuit praeclarum.* Atqui huius sententiae minume Cicero in sequentibus rationem reddit. Deinde uero alienum omnino a Latinorum loquendi consuetudine iudico, ut post enuntiationes condicionalis, qualis haec est, de qua disputatur, ita sequatur *enim* particula, ut ea sententiae, quae ex enuntiatione condicionali conligi demum potest nec diserte enuntiatast, ratio reddatur. Neque uero inutile quid faciet, qui accuratius exponere instituerit, quibus condicionibus supprimi sententia possit, ex qua *enim* particula pendeat. Nam ut recte hoc factum Tuscul. II, 24, 59. est, ita in orat. Sest. C. XLIX. §. 105., qui locus illi simillumus est: *Num uos existumatis, Gracchos, aut Saturninos, aut quem-*

quam illorum ueterum, qui populares habebantur, ullum umquam in contione habuisse conductum? Nemo habuit; ipsa enim largitio et spes commodi propositi sine mercede ulla multitudinem concitabat. nullo modo uerba *nemo habuit* omitti potuerunt. Itaque seruanda putaui uerba, *quem profecto non uidebam.* Uide etiam Proleg. L. II. C. I. §. 2. p. XXXI..

Fateor fuisse praeclarum) Ne *futurum fuisse* dici debuisse putes, confer G. T. A. Krugerum, grammaticum eruditissumum, in libro, cuius titulus: Untersuchungen aus dem Gebiete der lat. Sprachlehre. Fasc. I. p. 151 sq. conl. p. 362 — 370..

Si finem tum uincendi uiderem) De hoc quoque loquendi genere, *si — uiderem,* pro quo tirones *si — uidissem* expectent, optume exposuit idem Krugerus l. l. p. 216 — 242.. Addo ex hac orat. C. XX. §. 53.: *neque enim umquam maiores nostri sortitionem constituissent aediliciam, nisi uiderent accidere posse, ut conpetitores pares suffragiis essent.* et de arusp. resp. C. XXII. §. 47.: *An iste, nisi primo se dedisset iis, quorum animos a uostra auctoritate seiunctos esse arbitrabamur; nisi eos in caelum suis laudibus praeclarus auctor extolleret; nisi exercitum C. Caesaris (in quo fallebat, set eum nemo redarguebat), nisi eum, inquam, exercitum signis infestis in curiam se inmissurum minitaretur; nisi Cn. Pompeio adiutore, M. Crasso auctore, quae faciebat, facere clamaret; nisi consules caussam coniunxisse secum, in quo uno non mentiebatur, confirmaret: tam crudelis mei, tam sceleratus rei publicae uexator esse potuisset?* Quo in loco ex uariatione plusquamperfecti *dedisset* et inperfectorum *extolleret, minitaretur, clamaret, confirmaret,* quid discriminis inter utrumque tempus intercedat, maxume elucet. Ad inlustrandum autem, quod in hac or. Planciana positumst, *si — uiderem,* iuuat adposuisse, quae idem Cicero scripsit eadem de re in or. post red. in sen. C. XIII. §. 33.: *potui, p. c., multis auctoribus fortissumis uiris me ui armisque defendere; nec mihi ipse ille animus idem meus, uobis non incognitus defuit; set uidebam, si uicissem praesentem aduersarium, nimium multos mihi alios esse uincendos.*

Ubi enim — ultores uidebam) Copiosius haec Cicero pro Sestio C. XIX. §. 43. exponit.

Praesto fuisset mihi aut tam fortis consul, quam L. Opimius, quam C. Marius, quam L. Flaccus — aut, si minus fortes, attamen tam iusti) Cur singulari utitur, cum pluris nominat, plurali uero, cum unum? praesertim cum continuo sequatur, *Esset igitur pugnandum cum consulibus.* Uerae lectionis uestigium *fuissent* in uno tantum Oxon. [aliisque] esse uideo. Neque enim dubitandum est, quin scriptum a Tullio fuerit, *Ubi enim praesto fuissent mihi aut tam fortes consules.* Falsa usitati conpendi *Coss.* interpretatio mendum facile adduxerit. GARATONIUS Nihil uerius hac emendatione, in quam cum Garatonio etiam Weiskius incidit.

L. Opimius) Dictum de eo iam C. XXVIII sq. est.

L. Flaccus) L. Ualerius Flaccus conlega C. Mari VI. consulis. Uide Cic. pro C. Rabirio C. VII. §. 20., Philipp. VIII, 5, 15. et in Catil. I, 2, 4..

Inprobos ciuis) M. Fuluiom Flaccum consularem et C. Gracchum tribunicium Opimio consule; Saturninum tribunum pl. et Glauciam praetorem C. Mario et L. Ualerio Flacco coss.. MANUTIUS. Uide eam rem fusius exponentem M. Tullium in iis locis quos modo adtuli.

P. Mucius) P. Mucius Scaeuola, qui cum L. Calpurnio Pisone Frugi an. 621. consulatum gessit.

P. Scipio) P. Scipio Nasica, qui pontifex maxumus fuit. Cfr. in Catil. I, 1, 3. ibique interpretes, et Philipp. VIII, 4, 13..

Sumpserat, ea Ti. Gracco interempto iure optumo sumpta esse defendit) Bau. cum Erf. *ceperat*, quod probo, etsi proxume *sumpta* dicuntur, non quia concinnitas in uolgata desit, set quia semper postulanda non est. GARATONIUS. Cum magnum sit inter *capere* et *sumere* discrimen, quod maxume in conpositis *accipere* et *adsumere* elucet, facile apparet, non posse *capere arma* et *sumere arma* nihil differre, licet nonnumquam non multum intersit, utram locutionem usurpes. Immo uidetur hoc interesse, quod *capere arma* dicitur is, qui arma non iacere patitur set adtingit, iisque instructum se reddit, ut aut inpetum aliorum a se defendere, aut ipse alios inpetu petere possit; contra *sumere arma* dicitur, qui, ubi solutast eligendi optio, utrum arma capere an aliam agendi rationem inire uelit, armis potissumum utitur, ita ut nunc quod non expectatum fuerit, nunc quod cum deliberatione factum sit, fecisse significetur, qui arma sumpsisse dicitur. Adferam quae in promptu sunt exempla, et primum quidem, ubi *capere arma* dictumst. Cicero pro Sex. Roscio Am. C. LIII. §. 153.: *Illam priorem* (proscriptionem), *quae factast in eos, qui arma capere potuerunt, tamen senatus suscipere noluit, ne quid acrius quam more maiorum conparatumst, publico consilio factum uideretur.* Idem pro Tullio C. VI. p. 42. ed. Mai. sec.: *ne ipsi statuerent, quo tempore possent suo iure arma capere, manum cogere, homines occidere.* Idem pro C. Rabirio C. VI. §. 19.: *Confiteor interficiendi Saturnini caussa C. Rabirium arma cepisse.* Ibidem C. VII. §. 20.: *Adhibent omnis tribunos pl. praeter Saturninum, praetores praeter Glauciam; qui rem p. saluam esse uellent, arma capere et se sequi iubent.* Ibidem: *quom omnes, qui in salute rei p. salutem suam repositam esse arbitrabantur, arma cepissent: quid tandem C. Rabirio faciundum fuit?* Ibidem §. 21.: *quom ad arma consules ex senatus consulto uocauissent; — quom L. Metellus, Ser. Galba, — omnesque, qui tum erant, consulares pro salute conmuni arma cepissent.* Ibidem C. IX. §. 27.: *quid de tribunis aerariis, ceterorumque ordinum omnium hominibus, qui tum arma pro conmuni libertate ceperunt.* Ibidem C. X. §. 30.: *ac, si pro illorum laude mihi arma capienda essent, non minus strenue caperem, quam illi pro conmuni salute ceperunt.* Ibidem C. XI. §. 31.: *Neminem esse dico ex iis omnibus, qui illo die Romae fuerint, — pubesque tum fuerit, quin arma ceperit, quin consules secutus sit.* Philipp. IV, 3, 7.: *omnes mortales una mente consentiunt: omnia arma eorum, qui haec salua uelint, contra illam pestem esse capienda.* Ibidem X, 7, 15.: *Nam si quattuor exercitus ii, de quibus dixi, propterea laudantur, quod pro populi Romani libertate arma ceperunt.* Eadem orat. C. IX. §. 18.: *non sunt enim credo innumerabiles, qui pro conmuni libertate arma capiant.* Ibidem XI, 1, 1.: *perspeximus enim, quanta in iis, qui contra patriam scelerata arma ceperunt, inesset inmanitas.* Eadem orat. C. XIV. §. 37.: *eos ueteranos, qui pro re publica arma ceperunt.* Ibidem XII, 7, 16.: *Idcircone saga sumpsimus, arma cepimus?* Caesar B. G. V, 26.: *Quom celeriter nostri arma cepissent — desperata re hostes suos ab oppugnatione reduxerunt.* Ibidem L. VII. C. IV.: *hortatur, ut conmunis libertatis caussa arma capiant.* Nolo plura huius locutionis exempla adferre, quae innumera ex Liuio, ex Sallustio, ex Tacito, Curtio aliisque adferri possunt. Ex omnibus patebit, quod dixi, *arma capere* nihil esse aliut nisi *se armare.* Contra *sumere arma* adtende in omnibus fere, quae iam prolaturus sum, exemplis eo, quem exposui, sensu dici. Cicero Tuscul. I, 35, 86.: *Utrum igitur, si tum esset extinctus* (Pompeius), *a bonis rebus, an a malis discessisset? certe a miseris: non enim cum socero bellum gessisset; non inparatus arma sumpsisset;* etc.. Quo loco iam ex eo, quod praepositumst, *inparatus* apparet,

aliut potius Pompeium facere aequom fuisse quam quod fecerit, a Cicerone ostendi. Idem Philipp. VIII, 5, 15.: *C. Mario, L. Ualerio consulibus senatus rem publicam defendendam dedit: L. Saturninus tribunus pl., C. Glaucia praetor est interfectus. Omnes illo die Scauri, Metelli, Claudii, Catuli, Scaeuolae, Crassi arma sumpserunt. Num aut consules illos, aut clarissumos uiros uituperandos putas?* Non est neglegendum, eandem rem exponentem M. Tullium in oratione Rabir. C. VII. §. 21., quem locum paulo ante adtuli, locutione *capere arma* usum esse. Uerum animaduerti uolo, illic simpliciter hoc uoluisse Ciceronem dicere, cum omnium ordinum homines, ad arma a consulibus uocatos, tum illos etiam uiros clarissumos armis fuisse instructos, hoc autem loco, in quo ciuis inprobos, qui perniciem rei p. moliantur, interfici praestare docet quam alia ratione corrigi ac seruari, id dicere, uiros illos clarissumos secus atque expectatum fuerit optumum duxisse, armis in illo tumultu uti. Idem in orat. Pison. C. XXXI. §. 77.: *se contra armatum tribunum pl. sine consilio publico decertare nolle; consulibus ex S. C. rem p. defendentibus se arma sumpturum.* pro C. Rabirio C. VI. §. 19.: *Si interfici Saturninum nefas fuit, arma sumpta esse contra Saturninum sine scelere non possunt; si arma iure sumpta concedis, interfectum iure concedas necessest.* pro Sex. Rosc. Am. C. XLVII. §. 137.: *Sin autem id actumst, et idcirco arma sumpta sunt, ut homines postremi pecuniis alienis locupletarentur.* Philipp. IV, 1, 2.: *Nec enim fieri potest, ut non aut ii sint inpii, qui contra consulem exercitus conparauerunt, aut ille hostis, contra quem iure arma sumpta sunt.* Ibid. XIV, 8, 24.: *Nam mihi consuli supplicatio nullis armis sumptis non ob caedem hostium, set ob conseruationem hostium — decretast.* De orat. II, 20, 84.: *Ad ludendumne an ad pugnandum arma sint sumpturi.* Ad Diu. VI, 5.: *Habes augurium meum, quo, si quid addubitarem, non potius uterer, quam illa consolatione, qua facile fortem uirum sustentarem; te, si explorata uictoria arma sumpsisses pro re publica (ita enim tum putabas), non nimis esse laudandum.* Liuios II, 43.: *Eo anno non segnior discordia domi et bellum foris atrocius fuit. Ab Aequis arma sumpta; Ueientes agrum quoque Romanorum populantes iniuerunt.* Idem III, 17.: *Iuberent tribuni, quoniam in Ap. Herdonium uetarent, in P. Ualerium consulem sumi arma. Ausurum se in tribunis, quod princeps familiae suae ausus in regibus esset.* Idem ibid. C. XIX.: *Tusculi ante quam Romae sumpta sunt arma. In dubio fuit, utrum L. Mamilius Tusculanus dux, an P. Ualerius et C. Claudius coss. Romanam arcem liberarent; et qui ante Latinos ne pro se quidem ipsis, quom in finibus hostem haberent, adtingere arma passi sumus, nunc, nisi Latini sua sponte arma sumpsissent, capti et deleti eramus.* Tacitus Hist. III, 24.: *Igitur Antonius — omnis spe promissisque accendens, cur rari sumpsissent arma.* Idem ibid. IV, 3.: *Quippe sumpta per Gallias Hispaniasque ciuilia arma, motis ad bellum Germanis, mox Illyrico.* Idem ibid. V, 9.: *Dein iussi a C. Caesare effigiem eius in templo locare, arma potius sumpsere.* Idem Germ. 13.: *Set arma sumere non ante cuiquam moris, quam ciuitas suffecturum probauerit.* Idem ibid. 40.: *Non bella ineunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum; pax et quies tunc tantum nota.* Iustinus Hist. II, 4.: *Horum uxores cum uiderent exilio additam orbitatem, arma sumunt; finisque suos, submouentes primo, mox etiam inferentes bella, defendunt.* Qui nexum singulorum, quos adtuli, locorum sententiamque accuratius perspexerit, facile quae de sensu locutionis *sumere arma* monui probari iis intelleget. Neque uero timeo, ne quis obiciat mihi, *sumere arma* necessario dici debere, ubi passiuom usurpandum sit, cum *capi arma* in potestatem aduersariorum uenire significet. Nam si hoc certumst,

quod negari nequit, *sumere arma* et *capere arma* differre, profecto perspicitur, *sumere arma* non potuisse forma passiui significationem suam exuere, neque tam rudis fuisse scriptores latinos, ut non potuerint orationem ita conformare, ut, ubi notio locutionis *arma capere* requireretur, actiuo etiam locus esset.

Ad hunc orat. Plancianae locum ut reuertar, primum et maxume propterea *sumpserat* tuendum puto, quod in repetita eiusdem rei expositione necessario idem uerbum bis hic ponendum erat: nam dicitur id, quod factum sit, iure optumo factum esse. Deinde significantius etiam reique, quae narratur, accommodatius *sumpserat* est, siquidem P. Scipio, cum priuatus interficiebat Ti. Gracchum, aliquid fecit, quod nemo expectarat. Denique notior profecto librariis interpretibusque locutio *arma capere* quam *arma sumere* fuit, ita ut, si *ceperat* fuisset scriptum, non sit probabile, quemquam pro eo *sumpserat* scripturum fuisse. Postremo relege quae Proleg. L. II. C. I. §. 9. p. XLIII. monui.

Uictoriae nostrae grauis aduersarios paratos, interitus nullos ultores esse uidebam) Lambinus mutauit ordinem scripsitque *esse ultores*, ut hexametri clausulam tolleret; set uide ad I. Act. in Uerr. 7. [ubi aliena conmemorauit Garatonius]. Illut me potius mouet, quod auctoritas codicum legenti, *esse ultores uidebam*, non defuit. Mei tamen libri ab ordine uolgato non discedunt. GARATONIUS. Tribus de caussis omittendum *esse* putaui. Prima haec est, quod quo loco positum in plurumis codicibus reperitur, a M. Tullio positum esse uix potest, ita ut ab interprete adiectum esse uel hanc ob caussam probabile sit; altera, quod in codice Erfurtensi, cui fortasse etiam B, de quo tacetur, accedit, Lambinique codicibus aliquot ante *ultores* conlocatum uidemus; ex qua re denuo interpolationis suspicio oriatur necessest; tertia haec, quod multo uiuidior eo omisso oratio existit. Nam *paratum aliquem uidere* manifesto ab *paratum aliquem esse uidere* ita differt, ut hoc tantummodo *mente uidere* siue *intellegere, paratum aliquem esse*, illut uero *oculis paratum aliquem uidere* aut *mente paratum aliquem uidere* significet. Cfr. huius orat. C. XXIII. §. 56. *quos ego testis uideo paratos.* Philipp. IV, 5. *faciam igitur, ut inperatores instructa acie solent, quamquam paratissumos milites ad praeliandum uideant, ut eos tamen adhortentur.* ibid. XIII, 11. *nimirum recte ueneficam appellas, a quo tibi praesentem pestem uides conparatam.* Contra pro A. Cluentio C. LVII. §. 157. *quis de plebe Romana testimonium dixit umquam, cui non hoc periculum T. Attio auctore paratum esse uideatis?*

§. 89. *Q. Metello*) Saepissume se Cicero cum Q. Metello Numidico conparat. Uide pro Sestio C. XVI. §. 37. C. XLVII. §. 101. in Pison. C. IX. §. 20. pro Balbo C. V. §. 11. ad Diu. I, 9..

Quem, ut potes ex multis audire, qui tum adfuerunt, constat inuitissumis uiris bonis cessisse) Sic optumi libri, quippe prudentissume interpolati. Nam ex interpretatione tamen esse illut *constat* cum ex incerta eius uocis sede suspicari licet, (plerique enim exhibent *inuitissimis uiris constat bonis*) tum e sententia. Nisi enim uehementer fallor, perquam inepte in eadem re iunguntur *ex multis audire potes* et *constat*. Sublato hoc exquisita oritur et uere Ciceroniana structura: *quem, ut potes ex multis audire, qui tum adfuerunt, inuitissumis uiris bonis cessisse.* Saepius enim constructio e relatiuo suspensa non absoluitur, set ad proxumum se accommodat. Infra C. XXXVIII.: *Stare enim omnes debemus, tamquam in orbe aliquo rei publicae, qui quoniam uersatur, eam deligere partem* etc., ubi bene hanc formulam defendit Garatonius. Cic. de Offic. I, 7, 5.: *Set quoniam non nobis solum nati sumus — at-*

que, ut placet Stoicis, ad usum hominum omnia creari. Bakius. Adde Cic. de prou. cons. C. III. §. 5.: *cum interea, quis nostrum hoc non audiuit, quis ignorat, Achaeos ingentem pecuniam pendere L. Pisoni quotannis?* Ac paenitet me, non eiecisse cum Bakio *constat,* qui recte *ex multis audire* et *constat* iungi potuisse negauit. Uide Proleg. L. II. C. I. §. 15. p. LII., ubi tamen male tantum omitti posse *constat* dixi.

Suum) Quia iurare noluit in legem Saturnini. Manutius.

Senatus factum) Quod ego defendissem, si pugnare uoluissem: nam senatus coniuratos extremo supplicio adficiendos censuit, cui cousul parui. Manutius.

Tamen ob illam, quod illut uoluntarium uolnus accepit) Sic Graeuius scripsit plurumorum codicum auctoritatem secutus, cum Lambinus ex codice quodam suo, *tamen ob illam, qua illut uol. uolnus accepit, constantiam* edidisset. „*Constantiam* post *ob illam* primum addidit Iuntina, quam Uictorius secutus est; abestque a Msis [unus Mb addit]. Inde fieri arbitror, ut totum illut *ob illam constantiam* delendum sit, legendumque *tamen, quod illut u. uolnus accepit* etc.. Et sic edidi. Nam *ob illam, quod illut*, quod Graeuius edidit, est uel sono indignum Cicerone." Ernestius. Miratus sum uehementer, omnis fere Graeuio recentiores hic paruisse, Oliuetum inprimis ab editionibus, quas sequebatur, sibi discedendum existumasse. Non equidem consensum codicum plurumorum parui facere soleo; hic etiam Barb. et meus carent uoce *constantiam* et exhibent cum Gruterianis, *ob illam, quo illut.* Neque item diffiteor, subaudiri posse *perseuerantiam.* Set primum contendo, non esse hanc loquendi rationem Cicerone dignam, et multo certe melius adesse *constantiam.* Molestus est enim caussalium cumulus, *ob illam, quod illut,* et paulo post, *quod et illos ipsos;* neque uideo, quid opus fuerit interponere, *ob illam* h. e. *perseuerantiam,* cum duobus etiam illis remotis uerbis et perspicua oratio et melior conpositio et omnia fierent nitidiora. Haec optume intellexit Ernestus; dedit igitur, *tamen, quod illut* etc., trisque uoces *ob illam constantiam* falsi dampnauit. At neque, cur in omnibus libris priores duae remanserint, expedire possum, neque tamen Ernesti lectio par mihi Lambinianae uidetur propter sequentia, *quod et illos* etc.. Deinde obseruo, non a Naugerio aut Angelio primum inmissam fuisse uocem *constantiam;* set cum in Rom. et in duabus Uen. iam dudum extaret, post u. *Metellorum* male posita, in commodiorem eam locum Naugerius transtulit, siue Msis iubentibus, siue postulante omnino sententia. Accedit, quod Lambinus ex uno Mso optume dedit: *tamen ob illam, qua illut u. uolnus accepit, constantiam;* quod in Pucci codice idem fuit. De hoc eodem Q. Metello Numidico est ipse Cicero conferendus pro Sext. c. 16.. Garatonius. Etiam cod. Bau. *tamen ob illam, quod illud* etc.. Set hoc neque olim probaui, neque probare nunc possum. Uidi etenim semper tantam Metelli gloriam non inde profectam dici, quod perseuerantiae caussa, ne a sententia discederet, expelli se ciuitate sit passus; set in eo caussam illius gloriae poni, quod, cum posset armis et sententiam et ciuitatem retinere, sua caussa ciuem interire uoluerit neminem. Dictum etiam illius refert Appianus I. Ciuil. 31., cum bonis uiris, qui ad eum defendendum armati aderant, gratias egit, et *non conmittam,* inquit, *ullum ut periculum patriae mea caussa creetur.* Huius consili sapientiam laudat Plutarchus in Mario c. 29.. Ernestum itaque, qui *ob illam* eiecerat, recte locum intellexisse fatebar, set cum uiderem haut bene *quod* iterari necessario infra positum, et uoces *ob illam,* quae in omnibus libris extant, aliam tamen in paucis habere, ad quam referantur, nempe *constantiam:* Lambini iudicium nihil delentis praetuli atque ita exhibentis: *tamen ob illam, qua i. u. u. a., constantiam.* De sententia non demoueri, perseue-

rantiae fuit; uoluntarium autem exili uolnus accipere, ne quisquam ciuium interiret, maioris cuiusdam animi atque in uirtute constantiae. Nam I. de Offic. 20. id quoque fortitudini constantiaeque tribuitur, cum quis acerba, quae non sponte suscipiuntur, set pro condicione mortalium incidunt, tam aequo animo fert, ut nihil de statu, nihil de sapientiae dignitate decedat. Praecipua uero Metelli laus illa constantiae fuit, tum aput Ual. Max. III, 8, 4., Appianum, Plutarchum, tum aput Tullium. Hic una in epistula ad Lentulum I, 9. illum uocat *unum acerrumum et fortissumum uirum, suoque iudicio omnium magnitudine animi et constantia praestantissumum*, deinde, *quom omnes homines, tum M. illum Scaurum, singularem uirum, constantia et grauitate superasse* dicit, denique *summa uoluntate cessisse, egregia animi alacritate afuisse, neque redire curasse.* Quapropter non male mihi adhuc uideor iudicauisse. Uerumtamen in ancipiti dubioque loco iam dudum uersanti alia est suspicio suborta. In omnibus Gruteri Msis, in F1, Br., G, in sex Oxonn. non *quod* legitur, set *quo*. Id ego ex *qua* ortum putabam, ut alibi et aput Liu. X, 14.. Set si fuerit ex antiqua scriptura *quom*, et ita *quom* ad Ernesti emendationem adhibeas, optumum profecto erit, *tamen, quom illut uol. uolnus accepit, iustissumos — superauit, quod* etc.. Idem. Uerbum *constantiam* cum in tribus tantum iisque ualde interpolatis codicibus extet, dubitari plane nequit, quin ab interprete profectum sit. Ceterum consentio cum Garatonio in eo, quod *ob illam* eicienda et *quod* in *quom* mutandum censuit. *Quod* et *quom* saepe confusa esse, docui Praef. ad Uarr. lectt. ex cod. Erf. enot. p. LXXVI. et XCVI sqq..

Quom illut uoluntarium uolnus accepit) Cum in exilium maluit ire, quam in legem Apulei Saturnini iurare, de qua uidendus Appianus est Bell. ciu. L. I. c. 29..

Iustissimos omnium Metellorum et clarissimos triumphos gloriae laude superauit) Cum semetipsum praepositurus sit Q. Metello Numidico, et illum tamen copiosissime laudat et ad quoddam egregium specimen uirtutis amplificat, quod maluerit in exilium, quam iurare in agrariam legem tribuni pl. Apulei Saturnini. Uerum sibi, ut coeperam dicere, ipse Tullius maximam laudem praestruxit, qui ad tutelam salutis publicae patientiam discessus illius, quamuis non mediocri cum dolore, susceperit; ut multo sit laudabilior Metello, qui non tam pro uigore sententiae suae . . . . Scholia Ambrosiana.

Gloria et laude) Sic scribendum tollendumque mendum *gloriae laude,* eodem modo, quo in Pisoniana c. 19. duo codices optumi sustulerunt. Quid est enim *laus gloriae?* certe laus gloriam, non gloria laudem parit. II. Epist. 4. *quarum laudum gloriam adamaris.* Respondet hoc superioribus, *quod Q. Metello laudi datum est, hodieque est et semper erit maxumae gloriae.* Uide supra ad c. 29.. Emendationem hanc certissumam unus postea codex Oxon. confirmauit. Garatonius. Codex ille habet *gloriae et laude.* Nihilominus uerissuma emendatio illa. Amatque duo haec uerba saepissume Cicero conponere. Cfr. pro M. Fonteio C. XI. §. 25. *gloria ac laude,* I. in Cat. C. IX. §. 23. *laudi et gloriae,* pro Arch. C. IX. §. 19. *gloriam laudemque,* ibid. C. XI. §. 28. *laudis et gloriae,* de prou. cons. C. XI. §. 27. *laudi gloriaeque,* in Pis. C. XVII. §. 41. *laudi atque gloriae,* ibid. C. XXXIII. §. 82. *laudis et gloriae,* XI. Phil. C. XIV. §. 37. *gloria et laude.*

Infinita dimicatio) Infinita dimicatio non est, quae finem habeat nullum, set quae cum ingenti armorum ui, cui Cicero par esse non poterat, futura sit, quae uis exercitu Caesaris et delectu consulari constet. Garatonius.

CAP. XXXVII.

§. 90. *Ego uero ne inmortalitatem quidem — uellem*) Ego uero ne illam quidem mortem optassem, quae inmortalem gloriam mihi, rei publicae autem damnum parasset, multo minus eam, quae neque mihi inmortalem gloriam et rei publicae perniciem adtulisset. Quibus uerbis Cicero ad Laterensis dictum ita respondet, ut non illut, quod quis expectet, lubenter se mori uoluisse significet, set ut doceat, se ne si oblata quidem mors fuisset accipere, multo minus cupere debuisse.

Uitam ediderunt) Recte hanc optumorum codicum scripturam tuitus cum Graeuio Garatonius est, qui conferri I. F. Gronouium ad Gell. III, 15. iubet, locis Tullianis locutionem *uitam edere* conmunientem.

Ciuile praesidium) Non recte Manutius: „Non enim ei mortuus opem illam ferre possem." Docent enim uerba *in perpetuum* non Ciceronem solum nomine *ciuilis praesidi* significari, set omnis omnino, qui contra inprobos ciuis rei p. caussam suscipiant. Hoc dicit: Nemo in posterum meo exemplo monitus ausus esset contra eiusmodi homines, quales Clodiani fuerunt, rem publicam defendere.

Uis aliqua morbi) Ante exitum illum uitae, quem natura praescripsit; propterea subiungit, *aut natura ipsa:* natura enim iuuenes quoque, non modo senes moriuntur. Manutius.

Auxilia posteritatis) Auxilia, quae in posterum habere posset res publica. Manutius.

Qualis in me retinendo fuisset senatus populusque Romanus) Non retinendo ne iret in exilium: non enim senatus eum, populus Romanus retinuit; set retinendo, id est conseruando, restituendo, in quo populus Romanus cum senatu egregie consensit. Manutius. Retinerine poterat, qui iam exolabat? cuius exemplum restitutionis expectabatur? Manutius frustra explicat, *in me conseruando et restituendo:* hac enim ratione aliena quaeuis ac dissimilia coniungas. Macula est omnino abstergenda, quam inprudentes reliquimus. Ut sensi, emendaui confestim, *in me restituendo.* Quid enim facilius? Set in hoc ipso explicando elaborandum fuit. Nam in reliquis dubitatio uidebatur inesse, utrum senatus populusque Ciceronem restituturus fuerit, an eorum uoluntatem, quae dubia non erat, uis fuerit aliqua inpeditura. Hinc suspicio iniciebatur, uerbum fortasse illut mendosum esse delendum, ut quaecumque illa esset dubitatio, aperte significaretur. Sic enim haberemus: *qualis futurus in me fuisset S. P. Q. R.*. Quaesiui diligenter; dubitationem induci non oportere intellexi, nullam proinde uim amputando esse inferendam; set locutionis, quae mirifica mihi sane ac singularis accidit, rationem non expediebam. Postquam me in omnem partem uersaui, repperi tandem adfine aliquid in oratione post red. in sen. habita c. 4.: *Quodsi Q. Metellus illo tempore consul fuisset, dubitatis, quo animo fuerit in me conseruando futurus, quom in restituendo auctorem fuisse adscriptoremque uideatis?* Manifeste ibi dicitur, quin me fuerit conseruaturus. Hic autem cum uox *exemplum* dubitationem excludat omnem, idque solum spectari iubeat, quod effectum fuit, ita similiter intellegendum est: mea mors peremisset illut exemplum, quod me tam studiose, tam honorifice restituendo senatus populusque dedit, ne quis parum in posterum animose ac fortiter tueri rem publicam dubitaret. In hac sententia uerba ita cohaerent: *auxilia posteritatis essent inminuta, quod peremptum esset mea morte id exemplum, qualis* (quam gratus in me atque studiosus, quam rei publicae conseruandae cupidus) *futurus in me restituendo* (ut fuit, quom me restituit) *fuisset senatus populusque Romanus.* Supra c. 29. *Et quemquam putas*

fuisse tam excordem, qui uiuis his, stante urbe et curia rediturum me, si uiuerem, non putaret? et pro domo c. 24. *Uidebam uiuo senatu populoque Romano celerem mihi reditum,* etc.. In omnibus, quae de exilio ac reditu suo tam saepe copioseque disserit, rerum quidem gestarum elucet ueritas, set quae oratorie glorioseque dicuntur, ea neque historice neque dialectice sunt excutienda seuerius. Conferendus omnino unus est locus pro Sext. c. 22., quo haec eadem enucleatius fusiusque pertractat. *Hoc,* inquit, *uidebam: si caussam publicam mea mors peremisset, neminem umquam fore, qui auderet suscipere contra inprobos ciuis rei publicae salutem. Itaque non solum si ui interissem, set etiam si morbo extinctus essem, fore putabam, ut exemplum rei p. conseruandae mecum simul interiret. Quis enim umquam me a senatu populoque Romano, tanto omnium bonorum studio, non restituto, quod certe, si essem interfectus, accidere non potuisset, ullam rei p. partem cum sua minuma inuidia auderet adtingere? — Ego, qui, quemadmodum multi in senatu me absente dixerunt, periculo rei p. uiuebam, quique ob eam caussam consularibus litteris de senatus sententia exteris nationibus conmendabar, nonne, si meam uitam deseruissem, rem p. prodidissem? in qua quidem nunc me restituto uiuit mecum simul exemplum fidei publicae, exemplum rei publicae defendendae.* Re igitur accurate perspecta errorem non ferendum me sustulisse, ueram lectionem constabilisse confido. Si fallor, uiam tamen ad certiora muniuero. GARATONIUS. Uerissume Garatonius *retinendo* a Cicerone potuisse scribi negauit. Quem cum nec senatus nec populus R., quominus in exilium iret, retinuisset, dicere etiam a senatu se populoque Romano retentum esse non potuit. Atqui hoc manifesto significaret, si *retinendo* legeretur. Accedit, quod et huius totius loci sententia et ille, quem Garatonius ex or. pro Sest. C. XXII. adtulit, luculenter docent, non posse hic de alia re quam de Ciceronis restitutione sermonem esse. Uidit hoc Manutius quoque, qui in eo tantum errauit, quod uerbo *retinendi* significationem *restituendi* et *conseruandi* adtribuit, quam habere nullo pacto potest. Neque uero quod Garatonius legendum putauit, *in me restituendo,* equidem a Cicerone scriptum esse mihi persuadere possum. Omitto, audaciorem mutationem esse, cum *retinere* et *restituere* uix umquam a librariis conmutata reperiantur. Sententiam, quae inde existit, nego aptam huic loco esse. Minume enim interpretatio Garatoni, quae per se quidem bonam sententiam continet, uerbis a Cicerone positis respondet. Interpretatur ille, ut uidimus, h. locum ita: *mea mors peremisset illut exemplum, quod me tam studiose, tam honorifice restituendo senatus populusque dedit.* At non dixit Cicero: *id exemplum, quod dedit me restituendo* etc., set: *id exemplum, qualis futurus in me — fuisset.* Uerba autem *futurus fuisset* manifesto postulant, ut, quod saepe fit in huiusmodi, qualis haec est, locutionibus, suppressam aliquam sententiam statuamus, et quidem hanc: *si uixissem,* ideoque sensus sit: *nemo me mortuo scire posset, quid senatus populusque R., si uixissem, de me, cum restituerer, facturus fuisset.* Nec enim hoc cuiquam esse dubium potest, quin, si legatur *in me restituendo,* id ipsum significare debeat, *in me tum, cum restituerer,* uel *in restitutione mea.* Iam uero ineptam patet loci sententiam fieri addito uerbo *restituendo.* Non enim hoc potest Cicero dicere, sua morte effectum fore, ut nemo sciret, quid senatus de se, si uixisset, in restitutione sua facturus fuisset, set necessario debet simpliciter dicere, sua morte effectum fore, ut nemo sciret, quid senatus de se, si uixisset, facturus fuisset, id est, utrum suscepturus caussam eius fuisset, restituendo eum in patriam, an deserturus, conmittendo, ut in exilio maneret. Ex his conficitur, Ciceronem simpliciter *qualis futurus in me fuisset* etc. scribere necessario debuisse, uerbumque *retinendo*

interpreti illi, qui multas huic orationi explicationes adscripsit satis ineptas, deberi. Frequens autem loquendi genus est, *talis, qualis, is in aliquem fuit.* Cfr. II. in Uerr. II, 68, 164. *Hoc etiam addidit —, ut uos rogarem, ut coniecturam faceretis, qualem in his rebus in me L. Metellum fuisse putaretis.* pro Deiot. C. VII. §. 19. *Quo in loco Deiotarum talem erga te cognouisti, qualis rex Attalus in P. Africanum fuit.* II. in Uerr. I, 15, 41. *Itaque idem iste — idem in Cn. Dolabellam, qui in Cn. Carbonem fuit.* XIII. Phil. 8, 17. *Qualem eum in nos esse uoluit, talis ipse in ceteros extitit.*

In aliorum uigiliam consulum) Sic optumi plurumique codices habent; pauci nec ii boni pro *uigiliam* scribunt *iugulum.* „Praeferendum esse *iugulum,* nemo qui adtenderit negabit. Quomodo tela recidunt in uigiliam? In iugulum illa reciduut. Itaque cum Manutio, Lambino, aliisque *iugulum* retinui." GRAEUIUS. Sane *uigiliam* non sapit glossatorem aut correctorem. Sententia erat: *tela in alios consules reccidissent;* addere consulibus aliquid uolebat. Sane facillumum erat, iugulum, ceruices, capita dicere. Set si minus uolebat dicere: nempe periculum eiusque auertendi curam in eos uersum iri, eleganter sane dicebat *in consulum uigiliam.* Interea faciliorem lectionem secutus sum. ERNESTIUS. *Uigiliam* non dampnasset Graeuius, si rem considerasset adtentius. Non de hominibus hic sermo solum est, uerum etiam de tempore; est autem *uigilia* tum hominum propria, tum temporis. Tela non in alios tantum homines reccidissent, set quia exprompta et emissa fuissent alio tempore, idcirco alios homines offendissent. Cur itaque mutata consulum uigilia et a Cicerone aliis tradita, qui ei erant successuri, non recte coniuratorum tela dicentur propter dilationem temporis *in aliorum uigiliam consulum* recasura? Quis non statim intellegat, telorum iactus et caedem in id tempus incidere debuisse, quo Silanus et Murena coss. rem p. erant gubernaturi et in urbis uigilia post Ciceronem futuri? De illa coniuratione exponit pro Mur. c. 39., de ipsis coniuratis ibidem c. 3.. Quin immo exquisitior mea sententia et ad orationis ornatum inlustrior est illa plurumorum codd. lectio. Hoc a re militari transtulit ad se uerbum saepe Tullius et ad ceteros, qui summae rei p. praeerant, eamque consilio regebant. Cfr. XI. ad Diu. 24., I. Phil. 1. VII, 7. VII, 10., in Pis. c. 7.. GARATONIUS.

§. 91. *Nam quod te in re p. liberum es gloriatus*) Uide quae de huius loci scriptura Proleg. L. II. C. I. §. 12. p. XLVIII sq. monui.

Quod me autem negasti) Iure Laterensis Ciceroni exprobrauit, quod non amplius in re publica liber esset. Ipse Cicero amissam libertatem conqueritur in Epp. ad Q. fr. III, 1, 7. III, 5, 3., ubi inter alia haec scribit: *angor — meum non modo animum, set ne odium quidem esse liberum.* Quae eodem sunt anno scripta, quo haec habitast oratio. Cfr. etiam Martyni-Laguna in argum. ad I. ad Diu. 10.. — Ceterum eo consilio Laterensis amissam libertatem Ciceroni exprobrauit, ut indignum eum ostenderet, cui iudices Plancium propter merita in ipsius salutem condonarent, cum libertate perdita rei publicae amplius utilis esse non posset, ideoque beneficio ab iudicibus ornari non mereretur.

CAP. XXXVIII.

Quod non ab omnibus eisdem, a quibus antea solitus sum dissentire, dissentiam) Caesarem maxume et Pompeium significari, sponte intellegitur. Ceterum callide Cicero dissensionem tantum inter se et illos fuisse dixit, cum uerum si dicere uoluisset, maxumam simul-

tatem et inimicitiam intercessisse concedere deberet. Similiter non dissentire se ab iis amplius ait, quibus amicissumum nunc esse se dicere debebat.

Dissentire, dissentiam) Non ualde placet *dissentire*. Puto esse glossatoris. Ernestius. Ernestius nulla potuit alia re offendi, nisi quod proxume *dissentire* et *dissentiam* coniunguntur. In ea uero re nullast offensio. Sic hac ipsa or. C. XXVIII. §. 69. *pro Plancio facio, facere possim.* pro Caec. C. I. §. 3. *quom, iis siue creditur, creditur hoc ipsum.* II. in Uerr. V, 6, 13. *Atque haec sicubi facta sunt, facta sunt, ut* etc.; de Offic. II, 22, 79. *qui nullum habuit, habeat.*

Si bene de me meritis gratum me praebeo, non desino incurrere in crimen hominis nimium memoris nimiumque grati) Lambinus putabat legendum *non debeo* pro *non desino*; quod sane speciosum est. Attamen uolgatum hoc sensu defendi potest: Ego hoc ipso libertatem meam ostendo, quod pergo me bene de me meritis gratum una praebere, etsi multi sunt, qui hoc reprehendunt, ideoque non desino in eorum uoculas incurrere; quod est hominis liberi aliorum iudicia iniqua contemnentis et in sua sententia perseuerantis. Schutzius. Non potuit Cicero sic scribere, ut uoluit Lambinus. Uerba *non desino incurrere — grati* in hunc sensum dicta sunt: *numquam non reprehendor, quod nimium gratus sim;* quod uel ex uerbis membri oppositi, *certe non modo non sum reprehendendus,* satis superque intellegitur. Iste sensus autem unice aptus huic locost. Ciceronis enim sententia, de industria obscurius enuntiata, haec et est et esse debet: Errat, qui aliquid de libertate mea deminutum putat, mihique opprobrio facit, quod cum iis, quibus antea inimicus fuerim, in gratiam redierim: nam si pergo amicitiam colere eorum, qui olim bene de me meriti sunt, iisque gratum me praebere, reprehendor, quod nimium memor sim nimiumque gratus; sin autem sine ullo rei p. detrimento cum iis me coniungo, a quibus antea diiunctus fui, ut mihi meisque aliquando consulam, non modo non sum reprehendendus, set adeo laudandus, quod meae saluti, quacum salus rei p. coniuncta est, prospiciam.

§. 92. *Res uero ipsa publica si loqui posset* etc.) In ea, qua saepe iam utor, epistula ad Lentulum [ad Diu. I, 9.] rem p. ipse adloquitur eodem argumento, ut se ad Pompeium adiungi sinat. *Conlegi,* ait, *ipse me, et cum ipsa quasi re p. conlocutus sum; ut mihi tam multa pro se perpesso atque perfuncto concederet, ut officium meum memoremque in bene meritos animum, fidemque fratris mei praestarem, eumque, quem bonum ciuem semper habuisset, bonum uirum esse pateretur.* Uidebat igitur sibi quidem conducere, set non rei p., ut ad triumuirorum uoluntatem sese adgregaret; quos tamen suis opibus coercere non poterat. Garatonius.

Ut — ut iam mihi seruirem) In mei cod. margine scriptor ipse adnotauit, *abundat unum ut;* set illam iterationem consuetudinis esse Tullianae obseruat recte Manutius. Uide ad c. 24. in Pis.. Garatonius.

Ne parum mihi pro eo, quod tum a me haberet, reddidisset) Sic omnes fere editores scripserunt, quamquam *tum* particulam ab hoc loco alienissumam esse uiderunt. Itaque Ernestius *quod iam,* Garatonius *quod iamdiu* corrigendum putarunt. Uerum uidit Orellius, qui optume intellexit in B et E scriptura *quam tum* latere *quamtum.* Saepenumero enim in antiquissumis codd. pro *quantus* reperitur *quamtus* scriptum. Uide Schneideri Gr. Lat. T. I. p. 311.. Illut *quantum* autem unice accommodatum loci sententiaest, nec inauditum loquendi genus est *pro eo, quantum.* Cfr. Cic. de Fin. B. et M. IV, 21, 58. *eaque pro eo, quantum*

in quoque sit ponderis, esse aestumanda. ad Diu. III, 3, 2.: *equidem pro eo, quanti te facio, quidquid feceris adprobabo.*

§. 93. *Stare enim omnes debemus tamquam in orbe aliquo rei p.*) Uide quae de hoc argumento docte disputat etiam ex Philosophorum libris in ep. IX. lib. I. ad Lentulum. Graeuius.

Qui quoniam uersatur, eam deligere partem) Similis est locus, quem qui appellatur Asconius non expediebat, I. Act. in Uerr. 9. *Siculos sane in eo liberos fuisse* (audio), *qui, quamobrem arcesserentur, quom intellegerent, non uenisse.* Adde IV. in Uerr. 58. *Etenim ille requisisse dicitur etiam Archimedem illum, summo ingenio hominem ac disciplina, quem quom audisset interfectum, permoleste tulisse.* Ita ibi cod. optumus Car. Steph. cum Regio et altero Ursini, Graeuio nobisque probantibus; alii enim *eumque cum.* Item Corn. Nep. in Epam. VI, 2. *Thebis Oedipum natum, qui quom patrem suum interfecisset, ex matre liberos procreasse;* ubi nonnullos et librarios et interpretes *procreasset* maluisse nec miror nec laudo. Neque hic plane defuerunt emendatores. Nam Heruag., P. Manut., S. Gryph., C. Stephan., et Lambinus ediderunt, *eam deligere partem debemus,* ceteris, quos noui, libris ea glossa carentibus. Porro etiam II. ad Att. 9. *hic orbis rei p. est conuersus.* Garatonius.

CAP. XXXIX.

Ego autem Cn. Pompeium) Cur Pompeio inimicus esse non possit, licet contra P. Clodium ab eo defensus non esset, pluribus Cicero in or. Pis. C. XXXI. exponit.

Memoriam et gratiam quaerunt) Bau. *memoriam quaerunt et gratiam;* qui numerus, quae conlocatio in hac periodi conformatione non est aspernanda. Garatonius. Ego cur uolgatum ordinem retinuerim, dictum in Proleg. L. I. C. III. §. 10. p. XXIV. est.

Ego eum non tuear, quem omnes in re p. principem esse concedunt) Sensi primum hoc legens, elegantius fore *concedant;* cum post repperissem *ego C. laudibus desim, quas uideam esse celebratas,* ita corrigendum iudicaui. Sic ergo correxi. Ernestius. Male quidem. Utriusque membri ualde dispar ratiost. In priore uerba *quem* etc. nil nisi explicationem pronominis *eum* continent; quam ob caussam necessarius indicatiuos *concedunt* est. In altero membro uerba *quas — uideam esse celebratas* caussam continent, cur Caesari Cicero deesse non possit, estque *quas uideam* ita dictum, ut significet *cum eas uideam.*

Ego C. Caesaris laudibus desim) Omnis enim illa tempestas, cui cesserat Cicero, Caesare inpulsore atque adiutore dicebatur excitata, ita ut omnes Ciceronem Caesari semper fore inimicissumum putarent. Itaque quod mox in gratiam cum eo rediit, a multis obiectum Ciceroni est. Cfr. de prou. cons. C. VIII. §. 18 sqq. C. XVII sqq., pro Corn. Balbo C. XXVII., in Pis. C. XXXII. ad Diu. I, 9, 3..

Quas primum) Pro *quas* aliquot libri habent *qui,* probarique id potest ex iis, quae Wopkens. I. Lect. Tull. 15. p. 84. 85. suppeditat. Alii malint *qui eas.* Ego uolgatam optumam sine optumorum codicum inperio non desero. Garatonius. Non conuenit *qui* huic loco. Ut enim in antecedentibus dicit, *ego eum non tuear, quem* etc., sic uel concinnitatis caussa debebat pergere, *ego C. Caesaris laudibus desim, quas* etc., id est, ego C. Caesarem non tuear, cuius laudes etc..

Primum populi Romani) A quo Galliam citeriorem in quinquennium inuito senatu Uatinia lege accepit. Manutius.

Nunc etiam senatus, cui me semper addixi) Callide senatui nunc tribuit Cicero, certe a senatu se adsentiente ait factum, quod senatus auctore Cicerone potissumum fecerat. Decreuit enim Cicero, ut dicit in or. de prou. cons. C. XI. §. 26., Caesari supplicationes quindecim dierum, stipendium, et decem legatos.

Tum hercule me confitear) Uide quae de hoc loco Proleg. L. II. C. I. §. 16. p. LV. disputaui.

§. 94. *Neque enim inconstantis puto, sententiam tamquam aliquod nauigium atque cursum ex rei p. tempestate moderari*) In eandem sententiam uerbis, quae haec antecedunt, conmutatis, ut pro sua ubertate copiaque orator solet, in eadem illi insigni ad P. Lentulum epistula ita loquitur: *Numquam enim praestantibus in re p. gubernanda uiris laudatast in una sententia perpetua permansio; set ut in nauigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere non queas, quom uero id possis mutata uelificatione adsequi, stultumst eum tenere cum periculo cursum quem ceperis potius, quam eo conmutato, quo uelis tandem peruenire.* Ad eum locum Manutius cum nostrum hunc recitasset, cuius, inquit, loci extremam partem isdem uerbis iteratam uideo in oratione pro Balbo. Extant uero haec eadem ibi c. 27.. Facere id sane Cicero tum iure suo tum aliorum exemplo poterat. Isocrates, nisi ualde memoria nunc labor, et Xenophon fecerunt. Set non solebat; tam, inquam, ad amussim omnia non solebat: erat enim quarundam locutionum iteratio necessaria saepissume. Neque uero fecisse, testem iampridem habui meum codicem, in quo extra ordinem adiecta ista sunt cum hac praescriptione, *Idem pro Cornelio Balbo.* Neque certe, quod erat ante oculos, non admonui. Euolauit fortasse schedula, quae maioribus male adhaereret; typographus itaque sub dio, ut fit Neapoli, stans, aut ad fenestram in uento, non sensit; qui corrigendo praeerant, animaduertere non potuerunt. Ne ipse quidem animaduerti, nisi cum in manus codicem resumpsi meum. Id cum Romae non fecerim, de cod. Barberino editisque uett., quos tum habebam, nihil audeo confirmare. Set haec in octo Oxonn. deesse uideo et aput Aldum ipsum, quod certum indicium est, in superioribus aliquot editionibus, si non in omnibus defuisse. Postremo quod caput est, in Bau. desunt, qui mihi iam fit auctor idoneus, ut ne in Erfurtensi quidem illius comite fuisse credam [desunt in Erf. multisque aliis]. Quomodo ista huc inrepserint, manifesto tenemus; quam superuacua sint, et res ipsa et illius epistulae conparatio docebit. Paria etenim his abscissis utrobique sunt omnia; ordo tantummodo inuersus est. Nam quae hic priora sunt: *An cum uideam — obtemperem et paream?* haec, inquam, posteriorem in epistula locum obtinent; quae uero ibi primo sunt posita, hic multo pluribus expressa atque, ut orationem decebat publicam, addito splendore ac pompa secuntur. *Ego uero haec didici — postularet, esse defensas.* Satis iam de nauigio; nihil addi sanioris eloquentiae ratio et Ciceronis consuetudo patitur iam consularis, qui maturitatem in dicendo ipse suam praetoria arte definiat. Haec autem, *Ego uero* etc. superioribus, *An cum uideam* etc. eo melius illico referuntur, quo incitatius et promptius. Quin igitur media illa male capto de loco eiciamus, futurum qui intercedat neminem puto. Qui prior intulit, ne illut quidem uidit, satius fuisse, *Neque esse inconstantis puto,* ut est in Balbiana, relinquere, uel potius, quam rem ageret, ignorabat; certe pro *esse* posuit *enim,* quod infra pro *uero* ponere oportuit. Set fraudis indicium non sustulisse gaudeo: nam quasi aduersantis est *ego uero,* non confirmantis. GARATONIUS. Uide quae monui de hoc loco Proleg. L. II. C. I. §. 1. p. XXX..

Haec de sapientissumis et clarissumis uiris — monumenta nobis litterae prodiderunt) Pronum est cum uiris doctis corrigere *litterarum.* Frustra. Tantum interpungatur post *nobis;*

monumenta, litterae, quae uerba et alibi sic iunguntur, eodemque sensu. Ernestius. Nihil mutandum est. Quamquam enim *litterarum* et *annalium monumenta* usitatior locutio est, tamen litterae utique posteris produnt monumenta, h. e. memoriam et testimonia rerum gestarum. Tacitus II. Histor. 101.: *Scriptores temporum, qui potiente rerum Flauia domo monumenta huius belli conposuerunt.* Fere similiter III. de Off. 1. dicuntur *monumenta ingeni mandata litteris.* II. Agrar. 16.: *M. Bruti sceleris uestigia, quam monumenta maiorum sapientiae sequi maluisti.* I. de Inu. 26.: *Quae iam diu gesta — tamen faciant fidem, uere tradita esse, quod eorum monumenta certa in litteris extent.* Iam neque celeb. Ernesti opus esse interpunctione arbitror, *monumenta nobis, litterae prodiderunt,* ut duo fiant nominatiui, et monumenta litteraeque coniungantur, ut in Bruto 7. atque alibi. Garatonius. Uehementer falsus Garatonius est, cuius sententiae miror Orellium adstipulatum esse. Ac primum quidem neque illi loci, quos adtulit, neque ullus omnino alius locutione ista, *litterae produnt monumenta*, Romanos esse usos probare potest, cum ea sit uerbi *monumentum* significatio, ut monumenta quidem prodere aliquid dici possint, quo loquendi genere usus Cicero est de Diuin. I, 7, 12., minume uero litteris monumenta prodi dici possint. Uerum ut concedam paulisper id dici potuisse, certe hoc loco dici non potuit, in quo, si Garatonium sequimur, uerba *haec de sapientissumis uiris in hac re publica monumenta* necessario hoc sensu accipi debent: *hos de sap. uiris in hac re p. scriptos libros.* At neque libri siue uolumina, quae de magnis uiris scripta fuerunt, umquam a Romanis *monumenta de uiris* dicta sunt, neque in hunc locum istiusmodi sententia quadrat, in quo manifestumst, hoc dici a M. Tullio debuisse: *haec in monumentis scripta sunt de sapientissumis uiris.* Neque uero in Ernesti interpunctione acquiescere debemus, qua insolentissumum orationi asyndeton inferatur. Audacior etiam quam quae probari possit eorum coniecturast, qui pro *litterae* scribendum *litterarum* putauerunt. Equidem persuasum mihi habeo, ab interprete super *monumenta* explicationis caussa *litterae* esse positum, idque ab librariis receptum. Potuit hoc eo facilius fieri, quo saepius Cicero *monumenta* et *litteras* coniungere solet. Cfr. II. in Uerr. III, 89, 209. *monumentis ac litteris.* II. in Uerr. IV, 48, 106. *litteris atque monumentis.* pro Ligar. 2, 6. *litteris monumentisque.* pro Deiot. 15, 37. *litteris monumentisque.*

Non semper easdem sententias ab eisdem — esse defensas) *Esse defensas* a Bau. [et Erf.] est. Praeclaram codicis optumi lectionem sermo ipse conmendat, qui de eo, quod factum sit, instituitur: neque enim aliis praecipere uideri uolt, sui defensione contentus. Priuatim ad Lentulum scribens Platonis auctoritate utitur, quae in foro proferenda non erat. Garatonius. Scripturam *defensas,* pro qua ceteri libri *defendendas* habent, necessario fuisse recipiendam, uerba, quae praecedunt, *haec de sapientissumis et cl. uiris — monumenta nobis prodiderunt,* luculenter ostendunt.

CAP. XL.

§. 95. *Nunc uenio ad illut extremum, quod dixisti*) Ad illut scilicet, quod extremum dixisti. At nescio quomodo, Bau. [et Erf.] habet, *in quo dixisti.* Recte quidem dici potuit, *ad illut, quod in extremo dixisti.* Altera illa ratio loquendi perplexior, in qua extremum accussationis caput intellegas. Uerumtamen alii uiderint: ego in uolgata lectione acquiesco. Garatonius. A latinitate abhorrere puto, quod in B et E scriptum extat. Nam *in quo* sic tantum poni potuit, si uerbum loci significationem habens praecessisset, quale est, quod Garato-

nius suppleri putat posse, *accussationis caput.* Atqui inaudita istiusmodi ellipsis est. Itaque temere agere eum iudico, qui a uolgata scriptura, quae rectissume se habet, discedat. Ceterum facile etiam, unde orta praua lectio sit, intellegi licet. Nam finge, in codice, qui fons Bau. et Erf. extiterit, scriptum fuisse: *extremu m quoddixisti,* et uidebis, procliui errore et *m* in praepositionem *in* et alteram *d* litteram omitti potuisse. Saepenumero autem litteras, quae cohaerebant arctissume, distractas a librariis, contra quae non debebant coniungi, coniunctas esse, res est notissuma.

Explicabo breui) Libris omnibus inuitis legendum puto *breuiter;* quamquam Charisius quodam loco notat, *breui* positum esse pro *breuiter.* Set ego librariorum erratum esse arbitror; aut dicendum in uoce *breui* subintellegi *oratione,* ut aput Graecos *ἐν βραχεῖ* dicitur subintellecto *λόγῳ.* LAMBINUS. Charisius p. 176. Putsch.: *breui pro breuiter M. Tullius de Orat.* (*I,* 8.) *ad Quintum fratrem: ac ne plura quidem, quae sunt innumerabilia consecter, conprehendam breui.* ubi codd. nihil uariant. Uides erratum non esse; aliut praeterea exemplum rarissumi huius usus, de quo nihil Indices Ernesti et Schutzi dicunt, adtulit Forcellinus ex Epist. ad Diu. III, 8.. ORELLIUS. Minume rarus hic usus dicendus erat. Cfr. de Fin. B. et M. I, 17, 54. *explicabo breui.* pro A. Caecina C. XXXII. §. 94. *percurram breui.* de Inu. I, 9, 12. *reprehendendum uidetur, uerum breui.* de Or. I, 42, 190. *nunc conplectar, quod proposui, breui.* Ibid. C. XLVI. §. 203. *a me posse exponi tam breui.* Adde ad Herenn. IV, 26, 35. *proponit item breui, quid sequatur.* Ibid. C. XXXV. §. 47. *conprehendit enim breui multa.* Quin adeo nonnullis in locis ne potuit quidem *breuiter* scribi. Nam est aliquid discriminis inter *breui* et *breuiter.*

Quod minus peruagatum) Referendum hoc ad primum exili tempus, quo Planci auxilio maxume adiutus est, ab omnibus aliis desertus.

Ex illo incendio legum, iuris, senatus, bonorum omnium) Recte quidem et proprio sensu leges dici possunt incendi, ut in Pis. C. VII. §. 15. *Uoluit ille — leges incendere, uos abrogastis,* et in Cat. III, 8, 19. *legum aera liquefacta;* set non item ius, senatus, et boni homines. Itaque metaphorice nunc dictum *incendium* putandumst, ita ut *exiti* significationem habeat. Sic Cicero II. in Uerr. III, 26, 66. *Cernitis, iudices, quod et quantum incendium decumanorum inpetu non solum per agros, set etiam per reliquas fortunas aratorum, neque solum per bona, set etiam per iura libertatis et ciuitatis isto praetore peruaserit.* Idem X. Phil. 10, 21. *Concurritur undique ad conmune incendium restinguendum.* ubi uerbo *incendi* perniciosum bellum, quod Antonius ciuibus Romanis inferre conabatur, significatur.

Ardore suo) Rarum est, sic pro incendio dici. Set tamen et alibi sic Cicero, Academ. IV, 37., ubi *mundum conflagraturum ardore* dicit. ERNESTIUS.

Siciliam petiui animo) Ibam in Siciliam, iter, quod eo ducebat, ingressus sum; uerum a C. Uergilio prohibitus a Uibone, unde in Siciliam traicere cogitaram, terra Brundusium, quo antea non intenderam, petere coepi. GARATONIUS.

Sicut domus una) Propter quaesturam egregie gestam et beneficium Uerris accussati. MANUTIUS.

A C. Uirgilio) Lambinus [in m. 1584. non 1566.] *Uirginio* contra libros editos typis calamisque scriptos. GRUTERUS. Deceptum a Plutarcho Lambinum fuisse arbitror, qui in Cic. c. 32. habet *Γάϊος Οὐεργῖνος,* set mendose: nam ibi non modo ex Tullio, uerum etiam ex uno ipsius codice scribendum est *Οὐεργίλιος.* Bau. [et Erf.] *C. Uergilio,* quam scribendi ra-

tionem in hominis eiusdem nomine secutum esse Plutarchum uidimus. Graeca etiam extat aput Muratorium inscriptio p. MXII. 4. *C. Uergilio C. F. Balbo* in Sicilia quaestori ab Halaesinis posita, quam rettulit Castellius Inscr. Sicil. p. 59., haut tamen ex ipso marmore. Quo fit, ut articulum, qui addi solebat a Siculis, describentem omisisse putem; praesertim cum in altera Halaesinorum simili aput eundem p. 48. legatur, *O. ΔΑΜΟΣ.* Ex ea cognomen huius gentis discimus Balbum, ignotum Glandorpio et Pighio T. III. Annal. p. 215.. Neque dubitandum uidetur, quin ad hanc ipsam praetoriam familiam inscriptio Halaesina pertineat. An uero ad hunc, qui ex praetura Siciliae praefuit et certe potuit eandem obtinuisse antea pro quaestore, hoc Ciceronis producto loco uir ille amplissumus caute recteque dubitat. Filius fortasse fuit eodem praenomine, ut saepe fiebat, certe uero gentilis illius. De uera denique scriptione nominis contendere ita nolim, ut in P. Uirgilio poeta inter uiros doctissumos factum est, quem *Uergilium* appellat codex ipse Mediceus. Erant in ore omnium *uirgae;* erant etiam *Uergiliae* de Tauri sidere; hoc proxume accedit, set tam nominis adsciscendi caussa esse potuit quam corrumpendi. Unum hoc dico, cum nihil his hominibus cum P. Marone fuisse uideatur, uarietate quoque nominis potuisse distingui. Hic autem praetor, siue *Uirgilius,* siue, ut suadet inscriptio, *Uergilius me,* ait Cicero, *in Siciliam uenire noluit.* Id non pro inperio, set litteris comiter urbaneque scriptis, cum fortasse Cicero ad eum scripsisset prior, eum significasse arbitror; quas quidem Uibonem ad M. Tullium misisse testatur in huius uita Plutarchus c. 32.. Habuit hic in praetura conlegam non modo Q. Ciceronem, quicum alium quoque magistratum gessisse antea ex iis uerbis, *mei fratris conlegia,* plurali numero suspicatur Pighius l. l. p. 329., uerum etiam C. Caesarem. Erat ergo ei cum Caesare, qui tum Ciceroni maxume aduersabatur, eadem necessitudo conlegi. Alia ex hoc loco ad Uirgilium excussandum conlegit idem Pighius p. 366.. Garatonius. Cum scriptura *Uirgili* tantum in deteriorum codicum classe reperiatur, contra *Uergili* et Plutarchus, et inscriptiones, et antiquissumi optumique libri tum hoc loco tum alibi tueantur, profecto utra praeferenda sit, dubitari nequit. Sic etiam interpres Ambros. ad or. in P. Clodium et Curionem p. 72. ed. Mai. *C. Uergilio* scribit. Mirorque, Garatonium ambigere potuisse, utrum *Uirgilius* an *Uergilius* poeta celeberrumus a Romanis dictus esset.

Quocum me uno uel maxume) Uide de hoc usu nominis *unus* superlatiuis adiuncti quae monita sunt ad C. XLI. §. 97. *unam mihi amicissumam.*

Cum uetusta amicitia, tum mei fratris conlegia, tum res publica sociarat) Sic ante Garatonium editores recentiores omnes scripserunt. „Erf. *cum uetustas, tum amicitia, cum fratris collegia, tum* etc.: non male.“ Graeuius. Immo longe optuma et maxume Tulliana Erfurtensis est lectio. Quis etenim nescit, ita loqui saepe Ciceronem in epistulis ad Diuersos? V, 15.: *Tecum uiuere possem equidem et maxume uellem; uetustas, amor, consuetudo, studia paria* etc.; X, 10.: *Ad eas enim caussas, quibus inter nos amore sumus, officiis, uetustate coniuncti, patriae caritas accessit.;* XI, 16.: *L. Lamia praeturam petit; hoc ego utor uno omnium plurumum: magna uetustas, magna consuetudo intercedit.;* XIII, 32.: *Set uelim sic existumes, hanc familiam et hos mihi maxume esse coniunctos uetustate, officiis, beneuolentia.* Accedit, quod huius egregiae lectionis uestigia supersunt in meo cod., in quo etiam *cum mei fr. c.,* in ed. Rom., et in utraque Uen. exhibentibus *tum uetustatum amicitia,* eaque tam aperta, ut litterula una perierit. Quin etiam eadem erant in cod. Barber. uestigia, in quo alterum illut *tum* ante uocem *amicitia* erasum ita fuit, ut tamen appareat; et duae po-

stremae syllabae uocis *uetusta* superductae fuerunt aliis item erasis; quae res magnam mihi suspicionem inicit, in eo codice integram extitisse uocem *uetustas* a prima manu, siue potius *uenustas*, quae cum illa conmutari solet, ut uidimus ad c. 12. pro Arch.. Id certe, quod suberat, pluribus constabat litteris, quam quod postea scriptum fuit. Similia in aliis codicibus deprehensa fuissent, opinor, si eos docti uiri diligentius excussissent. Simile fatum huius locutionis fuerat V. ad Diu. 15., ubi edebatur *uetustus est amor*; ex suis optumis Msis Uictorius restituit *uetustas, amor*, Graeuianis adstipulantibus et duobus Barber., in quorum etiam altero num. 1410. legitur *nam uetustas*. Garatonius. In ipso Bau. *uetustatum amicitia*, qui etiam *cum* ante haec exhibet. Codex optumus Erf. obtulit Graeuio, *cum uetustas, tum am.*; non male, inquit; quam bene, non intellexit. Neque plus uidit Ernestus, qui hanc Tullianam latinitatem suo in egregio indice praetermisit; quod tamen et Pareus antea fecerat et ipse Gesnerus; set Faber adtigerat, quem secutus est Forcellinus. Ego denique similia plura ex Tullio congessi. Hunc postea peropportunum locum inueni XI. Epist. 27. ad Matium: *Quantum memoria repetere praeterita possum, nemost mihi te amicus antiquior. Set uetustas habet aliquid conmune cum multis, amor non habet. Dilexi te quo die cognoui, meque a te diligi iudicaui. Tuus deinde discessus — et uitae dissimilitudo non est passa uoluntates nostras consuetudine conglutinari.* Est igitur *uetustas* ipsa temporis longitudo, quod inlustrauit Pareus Lexic. crit. p. 1289., quae in hac re ad primam amicitiae originem refertur, cum inter nos officiosa cognitione coniungimur, eaque non modo ab interiore amicitia atque ab amore, uerum etiam a consuetudine ipsa seiungitur. Garatonius.

Mei fratris conlegia) Quia conlegae fuerunt in praetura; post praeturam autem Uergilius in Siciliam et eodem anno Q. Cicero in Asiam profectus est. Manutius.

Tum res publica sociarat) Bauaricus [et Erf.] uno est uerbo sic auctior, *tum rei publicae caussa sociarat.* Quod etsi necessarium non est, cum optumum sit, *res publica sociarat*, ut pro Mil. c. 8. *res publica nos coniunxit cum bonis*, uerumtamen Tullianum omnino est et sequentibus censentaneum, *eiusdem tribuni pl. contionibus propter eandem rei publicae caussam saepe uexatus.* Garatonius. Optumorum codicum scripturam eo minus recipere dubitaui, quo aequaliora, quae sibi opposita sunt, membra, *mei fratris conlegia* et *rei publicae caussa* existunt. Accedit, quod, quomodo nomen *caussa* exciderit, facilius intellegitur, quam quomodo ab interprete addi potuerit. Uide etiam Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XL sqq..

§. 96. *Quid dicam? C. Uergilio, tali ciui et uiro — fidem defuisse*) Priscianus ed. Putsch. p. 766. ita hunc locum citat: *Quid dicam de C. Uirgilio, tali ciui et uiro?* Atque ita ipsum legisse illut ostendit, quod ablatiui terminationem putauit hic esse, *tali ciui.* Si usus est codice, non eum ceteris omnibus praeferendum esse ullo modo putauerim; si memoria, nimium sane ab illa fuit deceptus. Garatonius.

Iter a Uibone Brundusium terra petere contendi) In hoc loco neminem haesisse repperi. Ego autem semper haesi. *Iter terra petere aliquo*, qualis forma dicendi? Uidetur *iter* delendum. Mox c. 41. est *Dyrrhachium petere contendi.* Ernestius. Abundat hic profecto uox *iter:* satis enim erat dicere, *a Uibone Brundusium terra petere contendi*, ut mox c. 41. *Dyrrh. petere contendi.* Pantagathus igitur, ut narrauit Ursinus, emendabat, *terra Uibone Brundusium petere contendi*; uocem *iter* delebat Ernestus. Set nullum esse hic emendationi locum ostendit uir doctrina et iudicio maxumus Ruhnkenius ad Uell. II, 82., qui docet. *petere iter* ab optumis auctoribus fuisse aliquando usurpatum; a Liuio XLIV, 2. *quod iter peti-*

turus esset, ignarus, a Uelleio ibi, *ne destinatum iter peterent;* tum addere loci etiam notam, qui peteretur, Ouidium III. ex Ponto 2, 80. *Quoue parum fausta puppe petistis iter?* Hinc non modo *iter petere* rectum esse cognoscitur, set etiam *iter Brundusium petere.* Denique nonne uidetur satis fuisse, *iter Brund. terra petiui?* Dici etiam potuit, *iter Brund. terra contendi,* uel potius *intendi:* uide quae notaui ad c. 10. pro Mur.. Nam erat immo satis *contendi,* sublato penitus *iter petere.* Ad hanc rationem Gruterus in Tacit. II. Hist. 22. *Cremonam petere intendit,* alterutrum tolli posse censebat; quem locum Tullius ipse tuetur, qui bis proxumeque dixit, *petere contendi.* Uides itaque, quanta sit in hoc loco uerborum profusio, ex qua tamen nihil demendum est, cum omnia sint optuma. Nam cum Liuios XXXVI, 21. dixerit, *a porta ad M. Iunium praetorem iter intendit,* et ipse Cicero pro Amer. 34. *tantum itineris contendere,* adiectio uerbi *petere* nihil habet absurdi. [Simillume Uergilius Aen. I, 157 sq. locutus est, *litora cursu contendunt petere.*] Iam liquet, quidnam sentiendum de Lambino sit, qui hanc redundantiam ferre nolens edidit, *iterum a Uibone,* pulchre quidem, quod adtinet ad litterarum apices, set aduersus historiae fidem. Nam ex Plut. in Cic. c. 31. 32. conligitur, cum Uibonem Tullius peruenisset, litteras accepisse a C. Uergilio, quibus a Sicilia repellebatur, statimque contendisse Brundusium. Non itaque Uibone longius antea processerat, multoque minus antea Brundusium uenerat, ut uox *iterum* suaderet. Consentit cum Plutarcho haec ipsa Tulli narratio: ait enim, *Siciliam petiui animo,* h. e. ibam in Siciliam, iter, quod eo ducebat, ingressus sum; uerum a C. Uergilio prohibitus a Uibone, unde in Siciliam traicere cogitaram, terra Brundusium, quo antea non intenderam, petere coepi. A Uibone non longus erat in Siciliam traiectus; set inde per Bruttium in Lucaniam regrediendum fuit atque ad eum flexum eundum, qui Metapontum et inde Brundusium ferebat. Mare Mediterraneum Cicero statim petiuit; mox Hadriaticum petere coactus est, quo Brundusium adluitur. Garatonius. Cum olim existumassem, quod Sicilia prohiberetur, eam fuisse caussam, cur statim Uibone discesserit, tum Plutarcho tum his ipsis narrantis uerbis suadentibus, cognoui postea ex epistulis, quas illo tempore ad Atticum scripsit, et falli Plutarchum et Ciceronem consulto quae nihil huc facerent praeterisse. Sic enim in iis epistulis: III, 2. *Itineris nostri caussa fuit, quod non habebam locum, ubi pro meo iure diutius esse possem, quam in fundum Sicae.* Scripta est epistula in itinere, cum Uibonem nondum peruenerat. Ipse igitur in Sicae fundum sponte se contulit, non eo detrusus est a Sica, ut e Plutarcho, licet ibi fortasse corrupto, conligitur, cum certe domo prohibitum a Sica dixerit. Neque uero minus Tullium *tecto recepisset,* quod lex Clodia uetabat, in oppido, quam fecit in agro. Sequitur epist. 3.: *Set te oro, ut ad me Uibonem statim uenias, quo ego multis de caussis converti iter meum.* Ad Sicae fundum scilicet, qui prope Uibonem erat. Similiter cum Brundusium ingredi noluisset, ut narrat c. 41., et in suburbano M. Laeni Flacci mansisset, ut in praedio Sicae ad Uibonem, tamen dixit epist. 7. *Brundusium ueni,* et cum Thessalonicae aput Plancium iam esset, epist. 8. *Brundusi proficiscens scripseram ad te* etc.. Sunt igitur eodem modo intellegenda, quae scripsit epist. 4. *a Uibone subito discessimus;* quibus uerbis uim Tunstallus intulit, dum explicare ita maluit, a consilio Uibonem proficiscendi discessimus, in epist. ad Middletonium p. 90., quo falsius est nihil. Set iam quartam illam epistulam uideamus, qua ueras illius subiti a Uibone discessus caussas edocuit. *Miseriae potius nostrae quam inconstantiae tribuas uelim, quod a Uibone, quo te arcessebamus, subito discessimus. Adlatast enim nobis rogatio de pernicie mea, in qua quod correctum esse audiebamus, erat eiusmodi, ut mihi*

ultra quadringenta milia liceret esse. Illo (Uibonem nescio quomodo Tunstallus intellegit, cum aperte finis lege praescriptos *illo* significet) *quom peruenire non liceret, statim iter Brundusium uersus contuli ante diem rogationis, ne et Sica, aput quem eram, periret, et quod Melitae esse non licebat.* Erat enim Melita, ut constat ex Uerrinis, in C. Uergili prouincia; neque satis ab Italia distabat, siquidem inde, quod Plutarchus facit, non ab urbe, quod Dio XXXVIII, 17., CCCC milia metienda sunt, quae quidem ille quingenta, hic haut multo minus fuisse tradidit. Set, quam coepimus, rem agamus. Sica primum Tulli familiaris et cliens, qui ei praefectus fabrum in consulatu fuisset, poena legis, quae nondum esset rogata, teneri non poterat; Cicero *pro suo iure* in eius fundum uenit, in oppidum noluit; ibi diutius manere Atticum expectans cogitabat, officium certe debitum non detrectante Sica; set eo legis capite audito discessit subito, *ne Sica* sua caussa *periret,* qui tam non ingratus, Plutarcho nolente, fuit, ut a se discedentem hospitem Brundusium, ut ex XIV. Epist. 4. ad Terent. patet, sit prosecutus. Deinde quod ait, *illo quom peruenire non liceret,* explicare non queo, nisi *mari* aut addam, aut per se Atticum intellecturum credam, quod, ut hic dicitur, *praecludebat hiemis magnitudo.* Dum igitur mari non licebat uti tranquillo, terrestri utendum erat itinere; quae duo cum essent, alterum iuxta mediterraneum, cuius ex aliquo ulteriore portu maris futura tranquillitas solui permitteret, Cicero non poterat, Sicilia et Melita interdictus, suscipere; alterum ergo Brundusium uersus iniuit, unde traiectus erat in Graeciam, in Epirum, in Macedoniam. Set eo de loco alii uiderint; qui porro apertissumus fieret, si quis emendaret audacius: *illic* (aput Sicam) *quom permanere non liceret.* Denique, quod hic Sica *Οὐίβιος, Σικελὸς ἀνήρ,* Uibius, uir Siculus a Plutarcho appellatur, an ibi hac de re agatur, Ernestum in Ind. Histor. p. 262. dubitare non oportuit. Omnino et e gente Uibia illum fuisse nos docet, et natione Siculum existumabat. Quidni autem? nisi forte suspiciosi esse uolumus et Graecum hominem, qui *Uibium Sicam,* uel etiam *Siculam* legisset, ita esse interpretatum putare, cum ei de Uibi patria nihil conpertum esset, quae quidem inscienti credibilior Uibo fuisset. Middletonius ex hoc Plancianae loco haut recte conlegit, Ciceronem in Siciliae conspectum uenisse; a Tunstallo itaque reprehenditur. At hic ipse non uidit, auctorem illi Dionem esse l. c.. Tullius uero ipse fatetur, se Roma profugientem eo cogitasse; modo enim, *ex illo,* inquit, *incendio — cedens — Siciliam petiui animo;* set non ultra Uibonem processit. Dionis igitur illut, *ὑπεξῆλθεν ἐς Σικελίαν,* si plane falsi coarguere nolumus, de uoluntate urbane ac leniter interpretemur. IDEM.

CAP. XLI.

§. 97. *Brundusium ueni, uel potius ad moenia accessi*) Quod Bau. postulat, ut uerbum *accessi,* quo ipse caret, deleamus, id equidem facio lubentissume. Nam eo sublato uerbo locutio remanet elegantior. IV. in Uerr. 23. *quom ad Haluntium uenisset praetor laboriosus et diligens, ipse in oppidum accedere noluit, quod erat difficili ascensu atque arduo — in lectica cubans ad mare infra oppidum expectabat.* Ibi quoque si *accedere* deleatur, quo de uerbo contenditur, *uenire* subaudias. Set quidquid eo de loco censeas, nihil ad hunc dubitationis adfertur. GARATONIUS. Uide Proleg. L. II. C. I. §. 4..

Urbem unam mihi amicissumam) Est ipsum Brundusium. *Unam* ad *amicissumam* referendum, intellecto *omnium,* quod et alibi omittitur, aut corrigendum, *urbem ipsam, mihi amic.,* nempe, ut opponatur moenibus. ERNESTIUS. Notissumum illut dicendi genus, quod Ernestio

etsi probe intellectum dubitationem tamen aliquam mouit, pluribus exemplis inlustrat editor Eclog. Cic. Turici 1820. p. 28.. ORELLIUS. Quid, quod Uergilius *unus* etiam ad conparatiui uim augendam usurpauit, Aen. I, 15. canens: *Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam Posthabita coluisse Samo.*

Quae se uel potius excindi, quam e suo conplexu ut eriperer, facile pateretur) Durum est *uel potius,* cum id etiam uersu proxume superiori sit. Alterutrum *uel* aut *potius* delendum puto. Languet etiam *facile,* quod non est, si *potius* deleatur. ERNESTIUS. Recta est, set nimis arbitraria Schutzi correctio: *quae se uel excindi, quam — facilius pateretur.* Longe melior est Weiski medella: *quae se potius uel excindi* etc., a qua recipienda non alienus eram. ORELLIUS. Bakio placuit: *quae se uel excindi, potius quam — facile pateretur.* Ego nihil uerius puto, quam *potius* non esse a Cicerone scriptum; quod ut statuam, duplex me caussa mouet. Primum nusquam uerba *uel potius* sic ut hoc loco usurpata memini, set semper particularum disiunctiuarum instar initium membri eiusmodi occupant, quod alteri opponitur, ut paulo ante, *Brundusium ueni, uel potius ad moenia accessi.* Neque uero lucramur quicquam transpositione. Nam coniunctis uerbis *uel excindi* particula quidem *uel* nihil habet offensionis, set *potius,* siue ante *uel* siue post *excindi* ponatur, non recte additum patet. Quis enim umquam *potius facile pati* pro *facilius pati* dixisse reperietur? Accedit, quod *uel* particula eo hic sensu positast, ut procliue interpretibus esset, eam *potius* particula explicare. Illut autem ambiguum fateor esse, utrum *facile pateretur* an *facilius pateretur* a M. Tullio scriptum sit. Nam hoc quidem certumst, *facilius* si fuit scriptum, procliui errore id in *facile* mutari a librariis potuisse. Saepe enim *us* syllaba finalis excidit, cum lineola tantum super antecedentem litteram posita indicari soleret. Exempla huius erroris ex codice Erfurtensi in Praef. ad Uarr. Lectt. ex eo enot. p. XXXVI. XXXVIII. plura adtuli. Omissa autem syllaba illa quid pronius erat librariis, quam pro *facili* scribere *facile?* Probabilius tamen equidem mihi statuere uideor, et *potius* esse delendum nec *facile* esse mutandum, ita ut *quam* ad suppressam *potius* particulam referendum sit, quae eo facilius supprimi hic potuit, quo magis conparatiui notio uerbis *uel excindi* iam continebatur. Pluruma exempla huius usus Kritzius ad Sallust. Catil. C. VIII. §. 1. et qui ab eo conmemorati homines docti sunt adtulerunt.

Cui cum omnes metus) Sic ego primus edidi, pro uolgato *omnis* ex Mb et Lc *omnes* restituens, quem numerum latinitas hic flagitat. Cfr. de arusp. respons. C. XXV. §. 55. *iam omnes isti, qui portenduntur, metus extinguentur.* pro Sestio C. XV. §. 35. *set me alii metus atque aliae curae mouerunt.*

Cui cum — haec perpeti, si acciderent, maluit, quam custodiam mei capitis dimittere) Haec uerbis maiora non fieri, testis epistula est ad uxorem XIV, 4. *Nos Brundusi aput M. Laenium Flaccum dies XIII. fuimus* (ex ante diem XIV. Kal. Maias ad ante diem V. Kal. easdem, ut ex hac epistula et III. ad Att. 7. conficitur, decem uix sunt; reiectus fortasse uento mansit ad pridie Kal., qui dies epistulae subscribitur; ita certe dies XIII. fuerunt) *uirum optumum, qui periculum fortunarum et capitis sui prae mea salute neglexit; neque legis inprobissumae poena deductus est, quominus hospiti et amicitiae ius officiumque praestaret. Huic utinam aliquando gratiam referre possimus; habebimus quidem semper.* Brundusium igitur, quod intra finis erat lege praestitutos, ea iam lata peruenit. GARATONIUS.

Optumi senis, et fratris et utriusque filiorum) Quamquam additio illa egregiorum codicum, Bau. et Erf., *et fratris* a sequentibus *et utriusque filiorum* manifesto postulabatur,

moneo tamen, a simili loco pro Sext. c. 63. eam confirmari diserte, ubi conmemoratur diserte *domus Laeni Flacci et patris et fratris eius.* GARATONIUS.

Dyrrhachium, quod erat in fide mea, petere contendi) Ad Terentiam XIV, 1. *Dyrrhachium ueni, quod et libera ciuitas est* (ideoque lege Clodia non tenetur) *et in me officiosa et proxuma Italiae. Set si me offendet loci celebritas, alio me conferam.* Non haec tum scripsit, cum primum Dyrrhachium adpulit, set cum eo rediit VI. Kal. Decembris; et ita ad eandem ep. 3.: *Ego eo nomine sum Dyrrhachi* (ab Thessalonica) *hoc tempore* (pridie Kal. Decembris), *ut quam celerrume quid agatur audiam; et sum tuto: ciuitas enim haec semper a me defensast.* Priore aduentu de Plancio et Thessalonica non cogitabat, set *per Macedoniam,* inquit epist. 4., *Cycicum petebamus,* et III. ad Attic. 6. *nobis iter est in Asiam, maxume Cycicum;* data epistula XIV. Kal. Maias, quo ipso die Brundusium uenit. Propter metum scilicet quam longissume profugiebat; iterum Thessalonicae, ut hic infra ipse fatetur, in idem consilium reccidit. GARATONIUS.

§. 98. *Cum tantum abessent aliquot dierum uiam*) Uocem *tantum* ex Erf. unus habet post Graeuium Ernestus, et recte; ceteri omnes scripti et editi *tum.* Set uocem *aliquot* ab Oliu. et Lallem. adoptatam cum Graeuius ex Mso eodem restituerit, inuectam contra libros dicit a Lambino in U. L.. Atqui Lambinus in secunda editione retinuit *aliquorum* cum uolgatis, et coniecturam illam uerissumam *aliquot* margini adscripsit, de qua laudari debuerat. Immo antea Corradus l. c. p. 164., dum ista ex Tullio describeret, hoc ipsum *aliquot* egregie posuerat, nescio utrum de coniectura, an uero ex aliqua ueteri editione. GARATONIUS. Quod Graeuius Erfurtensem habere dixit, *tantum,* id non habet, set scribit cum Bau. *tamen.* Cfr. Praef. ad Uarr. Lectt. ex cod. Erf. enot. p. LXXVIII.. Duo tantum libri, nec ii optumae notae, Mc et Lc, *tantum* habent, reliqui *tum.* In sollemni harum particularum confusione, de qua ibidem monui, id potissumum agi debet, ut quam sententia requirat, uideamus eamque recipiamus. Iam uero *tum* particulam a sensu loci alienissumam esse, sponte patet. Neque *tamen* particulam, quae in duobus optumis codd. extat, huic loco conuenire puto, quamquam recipiendam Orellius duxit, explicans: *ea cogitatione permotus, illos tamen abesse aliquot dierum uiam, in Macedoniam perrexi.* At tum hoc diceret Cicero: dubitabam in Macedoniam pergere, set tamen, cum aliquot dierum iter abessent, perrexi. Quod pugnat cum sensu totius loci, in quo Cicero apertissume significat, se Dyrrhachium statim reliquisse, quia prope fuerint sceleratissumi homines suaeque saluti maxume infensi, atque, ut procul ab iis esset, in Macedoniam ad Plancium perrexisse. Itaque cum Graeuio, Ernestio, et Garatonio *tantum* particulam recepi; qua recepta Cicero, id quod sententiae loci accommodatissumumst, significat se, antequam illi de aduentu suo audire potuissent, in Macedoniam perrexisse, idque fecisse propterea, quod tantum aliquot dierum uiam afuerint ideoque de aduentu suo facile certiores fieri potuerint.

In Macedoniam ad Planciumque perrexi) Fortasse rectius, *ad Plancium q.,* id est, *ad Plancium quaestorem.* MANUTIUS. Hanc egregiam Manuti correctionem eo minus recipere dubitaui, quo magis ab usu sermonis latini alienumst, inter nomen loci, in quem itur, et nomen hominis, ad quem acceditur, copulam interponere. Cic. pro Cluent. C. LXII. §. 175. *Quom — in Falernum se ad C. Quintilium contulisset.* de Har. Resp. C. XVI. §. 35. *Quis legatum Thessalonicam ad nostrum inperatorem uenisse nescit?* Corn. Nepot. XVIII, 13, 4. *Ossaque eius in Cappadociam ad matrem atque uxorem liberosque eius deportanda curarunt.* Accedit,

quod multis exemplis edocti librarios antiquiores scimus nota *que* ad omnis casus obliquos nominis *quaestoris* significandos usos esse. Cfr. Niebuhrius ad fragm. or. pro Fonteio p. 54..

Lictoribus dimissis) Lictoribus in urbe non utebantur quaestores, ut ait Gellius lib. XIII. c. 2.; in prouincia eos habere licuit, quod hic locus declarat, cui suffragari uidentur illa uerba ad Cornificium: *illut non nimium probo, quod scribi, quo illi animo aequiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademisse.* Nam si legatis lictores tribuuntur, cur non quaestoribus honore praestantibus? est enim legatus infra quaestorem, ut in epistula ad M. Caelium, et ad Thermum. MANUTIUS.

Insignibus abiectis, ueste mutata) Ornamenta quaestoris abiecit et praetextam deposuit, ut monitum iam a Manutiost.

§. 99. *O rem cum auditu crudelem tum uisu nefariam*) Cur hos amplexus, has lacrumas *rem crudelem* et *nefariam* appellat? nempe non per se, set ob caussam, quae erat crudelis et nefaria, quod in eas miserias couiectus erat innocentissumus et meritissumus de re publica uir. ERNESTIUS.

Thessalonicam me in quaestoriumque perduxit) Hospitium quaestoris significans proprie secundum uocabulum magistratus etiam loco ipsi nomen dedit. Nunc autem omnia, in quibus uariae dignitatis praesides habitent, praetoria nominantur. SCHOLIA AMBROSIANA. Quaestores nimirum propriam sui magistratus domum in prouinciis habebant, ut etiam ex Liuio constat. Ea uero *quaestorium,* donec prouincialis quaestura mansit, est appellata. Prouinciarum praesides numquam sublati; set sub inperatoribus nomina eorum, dignitates, potestatesque inmutatae; legati, et praefecti Augustales, procuratores Caesaris, consulares, correctores, aliisque nominibus appellabantur; praetorium nomen obsoleuit eorum, qui prouincias regebant; illut autem domus, in quibus praesides quicumque habitarent, non amiserunt. Immo *praetoria* dicta sunt aliquando etiam loca iuri dicundo publice constituta, de quibus Perizonius p. 63. eius libri, quo copiosissume de praetorio disseruit. GARATONIUS.

De praetore Macedoniae) Fuit L. Apuleius.

Set, si acciderent) F. Ursinus post *set* desiderari *qui* monuit, quo pronomine facile carere possumus, cum modo *non qui* praecesserit.

§. 100. *Cum ad me L. Tubero, meus necessarius, qui fratri meo legatus fuisset, decedens ex Asia uenisset*) Quo tempore L. Tubero ad eum uenerit, conligi potest ex III. ad Att. 9.: *Q. frater quom ex Asia discessisset ante Kal. Maias, et Athenas uenisset Idibus.* Thessalonicam legatus illius Tubero mense Iunio facile peruenerit. Ibi Cicero retentus a Plancio haut tamen lubenter commorabatur. III. ad Att. 14. Kal. Sextilis, *iam extrudimur,* inquit, *non a Plancio: nam is quidem retinet; set ab ipso loco.* Incertus deinde, quo se conferret, de abeundo adsidue cogitabat, III, 15. 16.. Tandem XVI. Kal. Octobris epist. 19. Asia iam omissa et Cyzico *in Epirum,* inquit, *ad te* (in Attici agros) *statui me conferre.* Uerumtamen non discessit a Plancio nisi post Idus Nouembris, cum repente Dyrrhachium rediit. Eo iam peruenerat VI. Kal. Decembris, quo die ad Atticum et ad Terentiam litteras misit, quas antea Thessalonicae scripserat. Sic autem ad Attic. III, 22.: *Me adhuc Plancius liberalitate sua retinet, iam aliquoties conatum ire in Epirum. Spes homini est iniecta non eadem, quae mihi, posse nos una decedere, quam rem sibi magno honori sperat fore. Set iam quom aduentare milites dicuntur, faciendum nobis erit, ut ab eo discedamus.* Similiter ad Terentiam XIV, 1.: *Plancius, homo officiosissumus, me cupit esse secum et adhuc retinet*, etc.. GARATONIUS.

Easque insidias, quas — audierat, animo amicissumo detulisset) Bau. [et Erf.] *ad me animo;* iterat nimirum *ad me,* cum initio iam sit, *cum ad me L. Tubero.* Nihil esse opus, omnes intellegunt. Distantia tamen excussat. GARATONIUS. Non meminit uir doctus, priora uerba *ad me* ad uerbum *uenisset* pertinere, ita ut iure ad uerbum *detulisset* eadem uerba denuo adposita uideri debeant. Nam dicitur ubique *deferre aliquid ad aliquem* uel *alicui.* Itaque iteratio legituma certe, non distantiae caussa facta debet dici. Nihilominus non nego, secundo loco salua sententia omitti illa uerba potuisse, cum facile ad *detulisset* cogitando repeti possint. Set cum non omnia insiticia iudicanda sint, quae potuisse omitti intellegimus, hoc autem loco praecedente uerbo *audierat* praepositionem *ad* librari errore excidere facile potuisse appareat, optumorum malui codicum quam deteriorum auctoritatem sequi. Cfr. Proleg. L. II. C. I. §. 8. p. XL sq..

In Asiam me ire propter eius prouinciae mecum et cum meo fratre necessitudinem conparantem, non est passus) Perperam hoc in loco offensi quidam uiri docti sunt. Recte Ernestius *conparare* cum infinitiuo eodem modo quo *parare* nonnumquam coniungi monuit, conferrique in eam rem Burmannum ad Ouid. I. Metam. 225. Garatonius iussit. Nec probanda ullo pacto Corradi correctiost, qui p. 164. hunc locum ita scriptum adtulit: *in Asiam me ire, propter eius prouinciae mecum et cum meo fratre necessitudinem, non est passus.* Nam omisso uerbo *conparantem* Cicero caussam, ob quam se Plancius in Asiam ire non esset passus, in prouinciae secum et cum fratre suo necessitudine positam fuisse significaret. Atqui non illam ob caussam deductus a Plancio Cicerost, quominus in Asiam iret, set quod ibi insidias ei ab exulibus coniuratis paratas Tubero nuntiarat. Itaque ad sententiae integritatem prorsus necessarium uerbum *conparantem* est, ita ut dicat Cicero, Plancium se in Asiam propter illam necessitudinem ire conparantem, non esse passum ire. Supplendum tantummodo ad uerbum *non est passus* uerbum *ire.*

Ui me, ui me, inquam, Plancius et conplexu suo retinuit) Optume primus Franci, ut sequens *inquam* declarat, has uoces repetiit, *ui me, ui me, inquam.* GRAEUIUS. Quod probat uno ex Mso Graeuius, ab emendatore, cuius eadem sententia esset, profectum arbitror. Est enim *ui me, inquam* superioris dicti *non est passus* enucleatio. Similia nos abunde alibi demonstrauimus. GARATONIUS. Cum non unus Franci liber, uerum alii etiam non mali *ui me, ui me* scribant, ac uolgata scriptura facillumo librariorum errore oriri potuerit, magnamque repetitio illa orationi uim addat, equidem Graeui iudicio necessario accedendum putaui. Uide etiam quae Proleg. L. II. C. I. §. 5. p. XXXI. dixi.

CAP. XLII.

§. 101. *Si quidem ego tibi uiuus non prosum, qui fortasse mortuus profuissem*) Lacrimosis lemmatibus iam perorat, adfectus animi sui cum uaria miseratione promens[1]), ut tantum auxilii reus habeat, quantum suo dolori patronus adiecerit. SCHOLIA AMBROSIANA.

Me — praesentem tibi gratias relaturum) Sic recte Graeuius probante Grutero tollendae ambiguitatis caussa ex auctoritate cod. Erf., quocum facit Bau., scripsit, ceteris libris *gratiam* exhibentibus, quae scriptura manifesto ab iis ortast, quibus pariter atque Garatonio, qui uol-

1) Sic cum Maduigio scripsi pro *proluens,* quod in cod. est; de prioribus uide A. Peyronum in Ciceronis Orr. fragmm. p. 236..

gatam retinendam scripturam putauit, locutio *gratias referre* a consuetudine latina recedere uidebatur. At uide Cic. III. Phil. 15, 39. *senatui magnae curae esse ac fore, ut pro tantis eorum in rem p. meritis honores eis habeantur, gratiaeque referantur.*

Sin autem uitam mihi fors ademisset) Quod unus ex omnibus nullo citato codice olim dederat omnium sagacissumus Lambinus, testatur Zinzerlingius ad Val. Flacc. V, 485. in Erf. legi, *fors ademisset*, idque ipse rectissume praefert et poetarum exemplis inlustrat. Uerum etiam Sallustius pluries ac Liuios itemque Caesar, Corn. Nepos, Tacitus aliique dabunt exempla, quae notissuma sunt, ad lectionem optumam confirmandam; ipse denique Cicero ad Att. II, 22. IV, 10. VII, 14. VIII, 1. XIV, 13. et in Uerr. IV, 43., ubi cum *sors*, ut hic, ederetur, *fors* e Msis egregie restituit idem Lambinus. Nihil hac permutatione frequentius; eum uide, qui ab aliis praecipue laudatur, Drak. ad Silium XV, 105. ad Liu. I, 4. et Oudend. ad Caes. B. G. II, 21. VII, 87.. Ex his intelleges, nullum fere criticum esse, qui rem hanc non adtingat, et in sollemni uarietate *fortem* latinis auctoribus non restituat, quod meliores, ubi rectius id est, exhibere Msi solent, ut hic Erf. [et alii], quo ex uno tot in hac oratione loci sanati sunt. Eum codicem conferentem Graeuium litterulae unius fefellit fugitque uarietas. Qui si animum parumper aduertisset, *sortem* non putasset huc admodum conuenire. At uero *fors* ad incertos casus significandos maxume pertinet ex ipsius Tulli sententia II. de Legg. 11., quam obseruauit iam Cortius ad Sallust. Iug. I, 1. et antea Briss. de Form. I, 86. in Add. p. 18. ed. Lips. 1731.. Adde Perizon. Dissert. III. p. 276. et sqq.. Iuuat autem huc aduocare quae leguntur I. Tusc. 38. *Mors, quae propter incertos casus cotidie inminet, propter breuitatem uitae numquam longe potest abesse.* Hinc etiam propter maxume ancipitis comitiorum euentus in Pis. 2. *Fors domina campi.* Lambinus uerborum, de quibus agimus, differentiam exposuit optume ad IV. Tusc. 29.. Merito denique hanc Erf. lectionem probauit I. F. Gronouius IV. Obs. 21.: nam certe probauit, quamuis eam non adferat, cum sit in iis, quae recte a Zinzerlingio l. c. animaduersa uno uerbo concedit. GARATONIUS.

Aut uis aliqua maior reditum peremisset) Inpediuisset, aut irritum reddidisset. Hoc interdum est *perimere.* III. de Off. 7. *Huiusmodi igitur res Panaetium persecuturum fuisse, nisi aliqui casus aut occupatio consilium eius peremisset.* Alia sunt aput Tullium exempla. GRAEUIUS.

Nihil tibi — de meis opibus pollicebar, set de horum erga me beneuolentia promittebam) Adtende ad discrimen uerborum *polliceri* et *promittere,* conl. VII. ad Diu. 5, 4. *neque mehercule minus ei prolixe de tua uoluntate promisi, quam eram solitus de mea polliceri.* Confer etiam ad cognoscendam uerbi *polliceor* notionem Ciceron. in Rull. II, 37, 100., quo in loco temere Ernestius haesit, ibid. §. 103. extrem., in Cat. I, 13, 32. et ad Diu. II, 5..

§. 102. *Nisi te cum mea salute conplecti*) Id est, nisi te, ipse saluos, conplecti, dixit paulo durius, ut uerbo *salutis* uti posset, quo responderet oratio melius sequenti, *tibi salutem* etc.. ERNESTIUS. Immo hoc dicit: nisi ita te conplecti, ut meam salutem cum tua coniungam. Cfr. pro Sulla C. X. §. 29.: *si ea tibi regia uidentur, quod omnes boni omnium generum atque ordinum suam salutem cum mea coniungunt.* et Matthiae ad or. Muren. C. I. §. 2.. De uerbo *conplecti* conpara pro Sestio C. LXIX. §. 146.: *ego uero uos in omni fortuna, quaecumque erit oblata, conplectar.*

Salutem tibi iidem dare possunt, qui mihi reddiderunt) Eximius locus[1]) ad per-

1) Sic Maius; cod. *nimis hos.*

mouendos iudices. Procliuiorem facit inpetrandi facilitatem, constituens in eorum misericordia firmamentum salutis Cn. Plancii, per quos ipse sit reditum consecutus. Ita eleganter et pro se gratias agit, et huic pares humanitatis euentus deprecatur. SCHOLIA AMBROSIANA. Cfr. etiam quae ad C. I. §. 2. monuimus.

Non dicam meorum in bonos meritorum, set bonorum in me) Acutam inesse simulationem modestiae Garatonius monet.

Mecumque uos simul hic miserrimus et optimus obtestatur parens) Ualde copulatis utrimque personis et in patre sine dubio plurimum constituit miserationis et sibi eandem uim sollicitudinis uindicauit, quasi uterque Cn. Plancio pater sit, alter natura, alter officio gratiosus. SCHOLIA AMBROSIANA.

Miserrumus et optumus) Ut hic recte adiectiua *miserrumus* et *optumus* particula copulatiua *et* iunguntur, ita sincerissumus etiam ille locus or. Sestianae est, qui extat C. III. §. 7. *Duxit uxorem patre uiuo optumi et calamitosissumi,* ubi Ernestius aliique *et* iu *at* contra latinitatem mutauerunt.

§. 103. *Nolite, iudices, per uos, per fortunas, per liberos uostros*) Locum hunc, *Nolite, iudices* etc. protulit Cortius ad Sallust. Iug. XIV, 25.. Set miror, elegantiarum inuestigatorem illum eximium suspicatum non fuisse, quod perfacile in mentem uenit, corruptum hunc esse locum atque ita legendum: *Nolite, iudices, per, uos, fortunas, per liberos uostros, inimicis meis* etc., uel: *per, uos, liberos, per fortunas uostras.* Habemus etenim iustissumam existumandi caussam, alterum illut *per,* quo sublato elegantior existit oratio, inuectum perperam ab inperitis fuisse, cum solerent hanc ipsam formulam, quam non intellegebant, tollere passim atque corrumpere. Neque minus hoc tempore testata atque inlustrata doctorum obseruationibus isthaec elegantia est, quam frequentia in ea submouenda Msorum peccata comperta sint. Locus autem sic emendatus simillumus fieret tum Sallustiano illi, quem diximus: *Patres conscripti, per, uos, liberos atque parentes, per maiestatem populi Romani, subuenite misero mihi;* tum Liuiano alteri celeberrumo XXIX, 18., qui manus item inperitorum non effugerat: *Quibus per, uos, fidem uostram, patres conscripti, priusquam eorum scelus expietis, neque in Italia neque in Africa quicquam rei gesseritis,* ubi omnes libri *fidemque,* unus tantum *et fidem.* Uide tamen ibi Drak. et ad Silium I, 658., qui etiam Sili locus et adfertur a Cortio et ad emendationem huius nostri muniendam cum duobus adlatis esset aptissumus; quamquam pluruma sunt eius generis, a quibus omnibus haec emendatio ferme postulatur. GARATONIUS. Tu praeterea, si lubet, cfr. Uerg. Aen. X, 569., Gronou. ad Liu. XXIX, 18. in ed. Drak. T. VII. p. 187., Oudend. ad Appul. IV. p. 305., Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 209., ad Terent. Andr. III, 3, 6., Huschk. ad Tibull. I, 5, 7.. De Graecis u. c. Sophocles Trach. 436. *μή πρός σε τοῦ κατ᾽ ἄκρον Οἰταῖον νάπος Διὸς καταστράπτοντος ἐκκλέψῃς λόγον.* Cfr. Pors., Matthiae, et Elmsleius ad Eurip. Medeam 318. s. 325., Monk. ad Eurip. Hippolyt. 603., Wuestemann. ad Eur. Alcest. p. 56.. ORELLIUS. Equidem eo minus egregiam Garatoni correctionem recipere dubitaui, quo magis ineptum patet esse, quod uolgo scribitur, *per uos. Uostros* autem utrum a Cicerone an ab interprete profectum sit, dubitari potest. Uide Proleg. L. II. C. I. §. 15. p. LI sq..

Id a uobis ei persoluere) Eleganter e re pecuniaria, in qua *soluere ab aliquo* dicitur, cum non ipse ex arca sua, set ex alterius soluit per adtributionem, siue, ut nos uolgo dicimus, per assignationem; u. Clau. in *soluere. Persoluere* sic etiam est Flacc. 20.. ERNESTIUS.

§. 104. *C. Flaue*) Sic ex emendatione Garatoni pro uolgato *C. Flaui* scripsimus. Argumenta, quibus ductus ita uir doctissumus scribendum putarit, ipsius uerbis cum lectoribus communicauimus Proleg. L. III. C. II. p. LXX sqq..

Magno in metu meo) Cum de Planci salute uehementer timeam. MANUTIUS.

Subito) Statim postquam uostras uidi lacrumas. Atque hoc dicit, non quia iustitiae caussa iam satis disputata et defensa diffidat, set ut iustitiae misericordiam addat. MANUTIUS.

Uos eosdem in hoc conseruando futuros, qui fueritis in me, quoniam istis uostris lacrumis de illis recordor, quas pro me saepe et multum profudistis) Aduerbium *saepe* alterum extorsit *multum*. Tullione ipsi, an descriptoribus? Nulla est uarietas; atque ita Uergilius III. Aen. 348. *Et multum lacrumas uerba inter singula fundit*. Quid quaerimus? Graecum est πολλὸν δάκρυα; Catullus tamen LXVII, 17. de coma Berenicis ex Callimacho maluit, *Ubertim thalami quas intra limina fundunt*. Set huic locutioni, si poeticam dicas, defensiones aliae non desunt. Certe *multas* usitatius dicere, quid erat negoti? quo esset emendatio ista fortasse periculosior. Tempus uero illut omnino significat, quo in exilium profectus est, de quo pro domo c. 22.: *quid illa tot uirorum fortissumorum milia? quid nostri equites Romani? quid senatus? quid denique omnes boni? si nulla erat uis, cur me flentes potius prosecuti sunt, quam aut increpantes retinuerunt aut irati reliquerunt?* Neque solum tum fleuerunt, cum Cicero abiuit, uerum etiam *saepe* toto discriminis illius acerbissumi tempore. Set qui eum retinere ac conseruare non potuerunt, idem Plancium poterant. Dici ergo nequit, uos Plancium conseruaturos, ut me conseruastis, set ut me conseruare uoluistis, uel potius, ut me restituistis. Spes etenim atque omen, quod ex his lacrumis capitur, non uoluntatem tantummodo, set ipsum inprimis exitum spectat. Atque ut iudicum lacrumae spem omenque absolutionis Plancio adferebant, ita in Tulli periculo, quod tollere ipsi non poterant, atque in ipsa fuga profusae, restitutionis spem dederint necesse est, quam perficere potuerunt. Uel igitur *in me* explices *erga me*, uel, si repetendum est *conseruando*, erit idem quod *restituendo*; ratione tamen habita uoluntatis, quae bonis omnibus eadem semper fuit. GARATONIUS. Nihil hoc in loco insolenter dictum nihilque mutandumst. Uerba *in hoc conseruando* significant: in Plancium, qui conseruari debet uel conseruandus est, sententiaque totius loci haec est: spero, uos eosdem in hunc, qui conseruari meretur, futuros esse, qui fuistis in me, id est, uos eosdem huic salutem daturos esse, qui mihi reddidistis. Cfr. §. 102.. Quod praeterea *multum* deleri uolt Garatonius, in eo uehementer fallitur. Eiusmodi uerba numquam addiderunt interpretes. Male autem et inconcinne pro *multum* Cicero *multas* scripsisset, cum ubique praecedente aduerbio *saepe* ex recto latini sermonis usu aduerbium *multum* sequi soleat. Uerba *lacrumas profundere* unius ueluti uerbi instar habenda sunt. Rectissume autem *saepe et multum flere* dici, nemo non sponte intellegit.

INDEX

RERUM ET UERBORUM.

INDEX SCRIPTORUM.